2464.

IO. FRIDERICI CARTHEVSERI
MEDICINAE DOCTORIS
EIVSDEMQVE IN REGIA ACADEM. VIADRINA
PROF. PVBL. ORDINARII

PHARMACOLOGIA
THEORETICO-PRACTICA

RATIONI ET EXPERIENTIAE SVPERSTRVCTA

IN QVA

MEDICAMENTORVM OFFICINALIVM
VSITATIORVM PRAEPARATIO, NATVRA
MODVS OPERANDI, VIRES ATQVE
VSVS MEDICVS

PERSPICVE DESCRIBVNTVR
AC SOLIDE EXPLICANTVR



BIBLIOTH:
ACADEM:
DORPAT:

BEROLINI
APVD AMBROSIVM HAVDE
BIBLIOP. REG. ET ACAD. SCIENT. PRIVILEGIAT.
M DCC XLV

4-ÜA
Tartu Riikliku Ülikooli
Raamatukogu
7843

PRAEFATIO

QVEMADMODVM boni militis eſt, arma, quibus ſemetipſum non tantum defendere, ſed hoſtes quoque ſtrenue aggredi, vincere, ac profligare tenetur, exactius, ratione formae atque uſus, cognoſcere; ſic doctum pariter, conſcientioſum ac rationalem decet medicum, ſelectiora, tuta et

activa, ſanitatis conſervandae ac reſtaurandae praeſidia, quoad formam externam, indolem, principia activa, modum operandi, vires & uſum, probe cognita ſibi atque perſpecta reddere; præſertim, cum noſtro ævo ſupellex pharmaceutica, quæ priſcis temporibus valde curta erat, tanta paullatim ſortita fuerit incrementa, ut notitia pharmacorum, quoad ſola etiam nomina, artis ſalutaris tyroni jam grave faceſſat negotium, & prudentiores ideo medici, qui præſtantiora duntaxat ſeligere jubent, numerum eorum nunc magis minuere, quam amplius augere ſatius ducant. Pridem ego ita ſentientibus meum adjeci calculum, et ante triennium ea propter, ut aliquid pariter opera mea qualicunque ad promovendum utile hoc negotium conferrem, *Rudimenta materiæ medicæ rationalis*, in qua generaliora de ſimplicium ſelectiorum differenti natura, principiis activis, modo operandi atque virtutibus medicis tradita fuerunt, in uſum cumprimis auditorii mei, typis imprimenda curavi, poſtea vero, cum quotidie animadverterem, æque magnum, immo majorem, præparatorum atque compoſitorum chemicorum & pharmaceutico-

rum

rum reperiri numerum, & bona, mala, tuta, periculoſa, activa, inertia, promiſcue congeſta eſſe, ac paſſim in Officinas introducta, ea quoque, ut ulterius auditorum meorum commodo inſervirem, ſcrutinio exactiori ſubjicere, & uſitatiora, rejectis minus uſitatis, aut minus concinnis pleriſque, in ordinem & ad certas claſſes genericas, horis ſubciſivis, redigere allaboravi. In principio nondum mihi animus erat, natum inde opuſculum in publicam emittere lucem, ſed potiora auditorum calamo duntaxat communicare decreveram; verum, cum paullo poſt temporis, in Collegiis orationi liberiori maxime deſtinati, haud leve diſpendium, ſcribendi moleſtia, immo, errores varii, tam reales, quam verbales, qui frequentiſſime a medicinæ tyronibus, dum dicta excipiunt calamo, committuntur, animum ſubirent, iiſdemque ſincerum aliis quoque inſerviendi ſtudium accederet, evulgandi conſilium cepi. Dividere opuſculum placuit in duodecim Sectiones, in quibus de pharmacologia in genere, de ſpiritibus, oleis, aquis, liquoribus medicatis diffuſioribus, vinis medicatis, eſſentiis, tincturis, elixiriis, balſamis liquidis, ſalibus

 acidis,

acidis, alkalicis, mediis & mixtis, ſublimatis, floribus, ſalibus ſiccis volatilibus, præcipitatis ſtricte ſic dictis, magiſteriis, regulis, calcibus, crocis, ſulphuribus, vitris, refinis, extractis, ſuccis inſpiſſatis, pulveribus ac ſpeciebus compoſitis, maſſis pilularum, rotulis, morſulis, trochiſcis, ſyrupis, aquis & acetis mulſis, oxyſacharis, elæoſacharis, julapiis, conſervis, electuariis, unguentis, balſamis externis, ceratis & emplaſtris agitur, ac, præter conſuetam præparandi methodum, etiam natura eorum, vires & uſus medicus deſcribuntur. Cuncta præparata, tum chymica, tum pharmacevtica ſtricte ſic dicta, quæ in hoc opuſculo occurrunt, uſitatioribus quidem adnumeranda ſunt, non omnia tamen, quod in limine fateri haud erubeſco, locum inter ſelecta & activa merentur; retinenda nihilominus & illa fuerunt, quoniam medicorum plerique iiſdem in praxi, quanquam abſque ullo emolumento, aut citra perfectam tamen ſecuritatem, frequentiſſime utuntur: Meam cæteroquin epicriſin illis ſubnectere, & inertiam eorum aut genium nocivum oſtendere nullibi neglexi. Circa præparatorum ſpagiricorum deſcriptiones,

nes, quæ cum notis ſubjunctis, pro materiæ ſubſtratæ conditione & dignitate differenti, alibi prolixiores exiſtunt, alibi breviores, tam meam, quam aliorum, præſertim chymicorum celebrium, experientiam ſecutus ſum; quod compoſita autem ac præparata pharmacevtica, ſtricte ſic dicta, attinet, illa plerumque ſecundum *Diſpenſatorii Brandenburgici* præſcriptum ac normam tradidi, ita tamen, ut paſſim rejicienda non minus, quam addenda atque emendanda modeſte indicaverim. Plura quidem ſcitu notatuque digna ubivis inſerere potuiſſem uberius; attamen, ne tractatus, auditorum meorum uſui, uti in antecedentibus pridem dixi, præcipue dicatus, contra ſcopum in molem juſto majorem excreſceret, intra arctiores terminos memet continere neceſſarium duxi, præprimis, cum ob varia negotia alia temporis, huic labori impendendi, penuria, brevitatis ſtudium mihi quotidie imperaret. Humaniſſime interea Lectorem benevolum & medicæ ſcientiæ gnarum rogo, ut opellam hanc, in proximi commodum ſuſceptam, æqui bonique conſulat, errata typographica, quæ propter abſentiam meam hinc inde

irrepserunt, amice corrigat, & sua pariter meditatione atque inquisitione practica artis pharmaceuticæ rationalis incrementum magis magisque promovere annitatur. Dabam Trajecti Francorum ad Viadrum, die XII Januarii MDCCXLV.



INDEX GENERALIS SECTIONVM ET CAPITVM

Sectio I. de Pharmacologia in genere. Pag. 1

- *II. de spiritibus et liquoribus spirituosis. 4*

Caput I. de spiritibus acidis, clyssis & acetis. ibid.

- *II. - - - alkalicis seu urinosis. 85*
- *III. - - - inflammabilibus. 102*
- *IV. - - - acidis dulcificatis sive salino-acido-inflammabilibus. 144*
- *V. - - - urinoso-oleoso-inflammabilibus, & sic dictis salibus volatilibus oleosis liquidis. 167*

Sectio III. de oleis. 178

Caput I. de oleis essentialibus æthereis. ibid.

- *II.* - - *destillatis empyrevmaticis.* 229

- *III.* - - *essentialibus expressis, coctis, & infusis.* 245

Sectio IV. de aquis destillatis, vinis medicatis & liquoribus medicis diffusioribus. 257

Caput I. de aquis destillatis. ibid.

- *II. de vinis medicatis & liquoribus medicis diffusioribus.* 277

Sectio V. de tincturis, essentiis, elixiriis, & balsamis liquidis. 299

Caput I. de tincturis, essentiis & elixiriis. ib.

- *II. de balsamis liquidis.* 370

Sectio VI. de salibus siccis. 377

Caput I. de salibus acidis & austeris. ibid.

- *II.* - - *alkalicis fixis.* 385

- *III.* - - *mediis sive neutris,* 398

- - *acidulo-sulphureis, ut & concretis unguinoso-salinis dulcibus.* 437

Sectio

Sectio VII. de sublimatis, floribus, & salibus siccis volatilibus. 442

Caput I. de sublimatis stricte sic dictis. ibid.

- *II. de floribus & salibus siccis volatilibus.* 458

Sectio VIII. de præcipitatis, magisteriis, sulphuribus, calcibus, crocis, regulis atque vitris. 469

Caput I. de præcipitatis, magisteriis & sulphuribus. ibid.

- *II. de calcibus, crocis, regulis atque vitris.* 503

Sectio IX. de extractis, succis inspissatis, rob, resinis, &c. ut & pulveribus compositis, speciebus atque fæculis. 535

Caput I. de extractis, succis inspissatis, rob, resinis &c. ibid.

- *II. de pulveribus compositis, speciebus atque fæculis.* 570

Sectio X. de pilulis, rotulis, morsulis et trochiscis. 609

Caput I. de pilulis & massis pilularum. ibid.

- *II. de rotulis, morsulis & trochiscis.* 620

Sectio

Sectio XI. de ſyrupis, aquis & acetis mulſis, oxyſacharis, elæoſacharis, julapiis, conſervis, confectionibus liquidis, electuariis, looh & trypheris. 634

Caput I. de ſyrupis, aquis & acetis mulſis, oxyſacharis, elæoſacharis, julapiis, & conſervis. *ibid.*

- *II. de electuariis, confectionibus liquidis, looh & trypheris.* 659

Sectio XII. de unguentis, balſamis externis, emplaſtris, ceratis &c. 688

Caput I. de unguentis & balſamis externis. *ibid.*

- *II. de emplaſtris, ceratis, & maſſis odoratis.* 724

SECTIO

SECTIO I
DE
PHARMACOLOGIA IN GENERE

§. I

PHARMACOLOGIA, ſeu medicamentorum, præſertim officinalium, doctrina, recte in *mere practicam*, & *theoretico-practicam*, diſtinguitur. Illa, ſpecialius a quibuſdam *Pharmacia*, *Pharmaceutica*, itemque *Pharmacopœa* dicta, ſolummodo artem denotat, medicamenta, in officinas introducta, & hodienum uſualia, debite colligendi, præparandi, ac componendi: Hæc autem latius extenditur, &, præter medicaminum præpa-

rationem empiricam, simul etiam naturam eorum, vires atque usum docet, & rationes, cur pharmaca hoc vel illo modo præparentur, ac componantur, adducit & explicat. Hinc priorem *Pharmacopolæ*, posteriorem ipsi *Medici* addiscunt, aut tamen, prout decet, addiscere tenentur.

§. II

MEDICAMENTA, in officinis obvia, vulgo ad tres classes generales rediguntur; quarum prima *simplicia cruda*, altera *simplicia præparata*, & tertia denique *composita* complectitur. De simplicibus crudis ordinario in *materia medica stricte sic dicta;* de præparatis & compositis autem in *Pharmacia* agitur.

§. III

AD PHARMACA, præparata æque atque composita, varia, tum *chymica*, tum *galenica*, spectant, nimirum *spiritus*, *olea*, *aquæ*, *aceta*, *tincturæ*, *essentiæ*, *elixiria*, *extracta*, *salia acida*, *alcalia*, *media*, *sublimata*, *flores*, *magisteria*, *calces*, *croci*, *massæ pillularum*, *rotulæ*, *morsuli*, *trochisci*, *pulveres*, *confectiones*, *electuaria*, *syrupi*, *emplastra*, *unguenta*, & similia, quorum omnium descriptionem, tam generalem, quam specialem, sequentes Sectiones exhibebunt.

§. IV.

§. IV

CLARE exinde patescit, *Physicam*, *Botanicam*, atque *Chemiam*, multum inservire Pharmaciæ, & unumquemque ideo pharmaceuticum theoretico-practicum in singulis hisce probe versatum esse debere, ut triplicis regni corpora, ad præparationem & compositionem apta ac necessaria, justo tempore & loco colligere, genuina ab adulterinis discernere, & rite deinceps præparare atque componere, immo tuto & cum ratione in morbis adhibere sciat.

SECTIO II

DE SPIRITIBVS ET LIQVORIBVS SPIRITVOSIS

CAPVT I

DE SPIRITIBVS ACIDIS, CLYSSIS ET ACETIS

§. I

SPIRITVS CHYMICI ſunt liquores mobiles, volatiles, activi, ex aqua & tenerrimis, vel *inflammabilis*, vel *ſalinæ*, vel *utriuſque* proſapiæ, particulis, perenni & veloci motu inteſtino agitatis, nunc laxiori, nunc arctiori interveniente cohæſione, compoſiti.

§. II

HABITA ratione principii activi, cuncti ſpiritus, arte chemica parandi, commode dividi poſſunt 1) in ſpiritus *ſalinos acidos*, 2) *ſalinos alcalicos*, ſive *urinoſos*, 3) *inflammabiles*, ſive *ſulphureos*, & 4) *mixtos*, h. e. *ſalino-ſulphureos*, & *ſulphureo-ſalinos*.

§. III

SPIRITVS ſalini acidi, de quibus in hoc capite primario agendum erit, ex *aqueis* conſtant particulis, & *ſalinis acidis*, quibus pauca tamen *ſubſtantia oleoſa*, aut *tenerrima inflammabilis*,

mabilis, in futura tractatione ſpecialiſſima fuſius demonſtranda, arcte ſociata eſt. Corpuscula rigida & acuta ſalino-acida liquori activitatem, & ſpecificam indolem, aqueæ autem particulæ decentem illi fluiditatem conciliant.

§. IV

QVANTITAS veræ ſubſtantiæ acidæ ſalinæ in diverſis ſpiritibus & liquoribus acido-ſpirituoſis valdopere differt. HOMBERGIVS, qui laborioſum ſpirituum quorundam acidorum ſcrutinium ſuſcepit, ex uncia una *olei vitrioli* drachmas quinque, totidemque grana, ex uncia *ſpiritus nitri* drachmas duas & grana viginti octo, ex uncia *ſpiritus ſalis* drachmam unam & grana quindecim, & ex uncia *aceti deſtillati* vix grana viginti octo ſalini acidi principii, phlegmate diluente penitus orbati, eduxit. *a*

§. V

SPIRITVS acidi, præprimis minerales, ablato phlegmate ſuperfluo, evadunt fumantes, & quo magis aqua auffertur, eo majora pariter incrementa aciditas, vis corroſiva, ac vires reliquæ capiunt. Penitus pars acida ſegregari poteſt ab aquoſa, quando metalla poroſiora, ut *ferrum* & *cuprum*, vel alia etiam concreta

a) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences, Ann. 1699. p. 69.

terreo-ſemi-metallica, ut *lapis calaminaris* & *zincum*, in iis ſolvuntur, & deinde partes acidæ a moleculis metallicis, ſemi-metallicis atque terreis, quibus ſub corroſione firmius fuerunt unitæ, præmiſſa perfecta humidi evaporatione, & magmatis relicti exſiccatione, denuo in retorta, deſtillationis beneficio, ſeparantur.

§. VI

MELIVS adhuc, ſi graviſſimos ſaltem ſpiritus acidos, e vitriolo, ſulphure & alumine vulgari modo paratos, exceperis, prædicta acidæ ſubſtantiæ concentratio obtinetur per *ſalia fixa alcalica*, quæ acidis ſpiritibus tanta adduntur quantitate, ut inde, finita efferveſcentia, perfecta enaſcantur ſalia media. Ex hiſce enim, poſt debitam evaporationem ſufficienter exſiccatis, immo aliquantulum calcinatis, adfuſo oleo puro atque rectificato vitrioli, acidum fumans concentratiſſimum, puriſſimum, nec amplius particulis metallicis aut ſemi-metallicis inquinatum, in retorta, arenæ balneo imponenda, denuo expellitur. Ire interim inficias nequeo, labores hoſce intuitu ſpirituum quorundam ſuperfluos eſſe, cum præcipui ſpiritus acidi minerales, ſi ſubjecta, e quibus ordinario eliciuntur, ſicciſſima recipiantur, ac plus minusve calcinata, ſub prima ſtatim deſtillatione concentratiſſimi prodeant.

§. VII

§. VII

EX VARIIS quidem triplicis naturæ regni concretis liquores acidi ſpirituoſi deſtillando, vel alia etiam methodo, ex tractatione ſpecialiori uberius cognoſcenda, poſſunt educi, præ reliquis tamen corpora quædam mineralia ſalina & ſulphurea, ut *vitriolum*, *alumen*, *ſulphur commune*, *nitrum*, *ſal commune fontanum*, *foſſile*, atque *marinum* ſumme cauſticos reddunt liquores, qui *ſpecifica* tamen *gravitate* notabiliter inveniuntur diſtincti. Nam acidum vitriolicum, quod in alumine pariter ac ſulphure latet, acidum nitri, hoc acidum ſalis culinaris, & illud denique acidum animale ac vegetabile quodcunque gravitate ſuperat. Obſervante enim vix laudato HOMBERGIO, [a] certa *olei vitrioli* quantitas æſtate unciam unam, drachmas tres, grana quinquaginta tria, hyeme unciam unam cum dimidia & grana tria, æqualis *ſpiritus nitri* moles æſtate unciam unam, drachmam unam, grana quadraginta, hyeme unciam unam, drachmas duas, grana decem, æqualis *ſpiritus ſalis* quantitas æſtate unciam unam, grana triginta novem, hyeme unciam & grana quadraginta ſeptem, & æqualis denique *aceti deſtillati* quantitas æſtate drachmas ſeptem, grana quinquaginta quin-

a) Loc. cit.

que, hyeme autem integram unciam pendebat.

§. VIII

RATIO inde patet, cur acidum vitrioli acidum nitri, hoc acidum ſalis, & hoc iterum acidum vegetabile, ſi ſcilicet diverſa hæc acida, ſecundum ordinem indicatum, *nitro*, *ſali culinari*, & *terræ foliatæ tartari* adfundantur, expellat: Immo, exinde cognoſcimus, cur acida graviora ac potentiora promptius cum alcohole in mutuos ruant amplexus, & majorem, quam ſpecifice leviora, ſortiantur dulcedinem. Graviſſima cæteroquin acida mineralia evadunt leviora, ac volatiliora, quamprimum ſubtilis quædam ſubſtantia inflammabilis adhuc cum ſalinis moleculis intime copulatur; quemadmodum hoc non tantum vulgaris ſpirituum mineralium dulcificatio, ſed etiam ſpiritus ſulphuris atque vitrioli volatilis præparatio, aliaque experimenta, uberius in ſequentibus deſcribenda, ſatis ſuperque comprobant.

§. IX

NON SOLVM circa gravitatem ſpecificam, verum etiam circa *indolem* notabile occurrit diſcrimen, quod clare ex variis miſcelis, ſolutionibus, præcipitationibus, cum acidis diverſis in Chemia ſuſceptis, licet cognoſcere. Ex eodem enim ſale alcalico fixo cum acido vitrio-

vitriolico, decenti quantitate priori addito, *tartarus vitriolatus*, cum acido nitri *nitrum*, cum acido ſalis *ſal culinare*, vel eidem tamen ſimillimum, & cum aceto *terra foliata tartari* generatur; quæ ſalia enixa, etiamſi idem contineant ſal alcalicum, ſeſe ſpecificis quibuſdam proprietatibus valde ab invicem diſtinguunt. Ex limatura martis in ſpiritu ſalis ſoluta, inſpiſſata ſolutione, vitriolum flaveſcens, valde adſtringentis ſaporis, ægre ſiccandum, gignitur, cum contra ex limatura martis & ſpiritu vitrioli vitriolum virideſcens, durum ac ſtabile, nec ita, ut præcedens, in aëre diſfluens, naſcatur. Spiritus ſalis, ſolutioni argenti inſtillatus, præcipitat pulverem album, qui edulcoratus & igni commiſſus evolat in auras, & ipſa etiam tigilla penetrat; inſtillato autem oleo vitrioli, pulvis candidus ad fundum deſcendit, qui, licet adhuc ſubtilior ſit, volatilitate tamen deſtituitur, ac facile iterum in argentum reducitur. [a] Acidum vitrioli, ſub deſtillatione expulſum, albicantes graviores, acidum nitri rubicundas, & acidum ſalis culinaris albicantes quidem, aſt tenues ſimul, valde mobiles atque volatiles nebulas, præſertim accedente aëre liberiori, formare conſuevit. Quid dicam de aqua forti & aqua regia,

a) Conf. b. HOFMANN. Obſ. phyſico-chym. p. 224.

quarum prior argentum quidem, non aurum, posterior aurum, minime autem argentum solvit? Ratio discriminis commemorati ab admixtæ terreo-inflammabilis substantiæ quantitate, subtilitate & specifica indole, indeque ex parte enata differenti molecularum minimarum soliditate, magnitudine & figura, nunquam tamen, ob insignem partium subtilitatem exacte determinanda, procul dubio petenda erit.

§. X

ACIDVM vitriolicum in sulphure minerali parti inflammabili tam arcte unitum est, ut ipsa incensio actualis ad separationem ejusdem requiratur. Me quidem haud latet, illud a parte phlogista quoque avelli posse per sal tartari aut aliud alcali fixum, quod in crucibulo cum sulphure pulverisato leni colliquescentia combinandum est, ut inde primo sic dictum *hepar sulphuris*, & postea ex illo, leniſſimæ atque protractæ calcinationis beneficio, pulvis salinus ex gryseo-albicans, tartaro vitriolato natura simillimus, resultet: Verum, cum methodo hac spiritus acidus obtineri, ac denuo ex sale enato destillatione educi nequeat, parum in hoc passu ad eam respiciendum est, & ipsa sulphuris incensio, si spiritum confestim educere velimus, necessaria manebit.

§. XI

§. XI

IN VITRIOLO substantia acida spirituosa martialibus duntaxat aut venereis, & in alumine unctuoso-terreis particulis sociata est, adeoque etiam solius Vulcani ope, & absque additamento, ex utrisque expellitur; sal culinare autem & in specie nitrum in hoc passu soli igni obtemperare, & partem acido-spirituosam, citra acidi cujusdam gravioris, vel expliciti, vel impliciti, ac demum sub destillatione evolvendi, additionem, dimittere obstinate renuunt, quoniam in priori cum terreo-alcalica, & in posteriori cum terreo-alcalico-salina substantia combinata est, quæ acidum, semel unitum, ob multo majorem affinitatem, pertinacius retinent. Vulgo *vitriolum plus minusve calcinatum*, *alumen ustum*, & *terræ martiales* atque *bolares*, flavo, rubro, brunno, &c. colore præditæ, & acido vitriolico, aut tenerrimis vitrioli moleculis magis minusve prægnantes, vel, quod præstat, ipsum *vitrioli oleum*, adduntur, ut illud, ceu acidum omnium ponderosissimum, in nitri aut salis, probe antea siccandi, poros penetret, & actione sua validiori acidi levioris ab alcalino principio separationem promoveat. Succedit etiam, ast longe operosius, & saltem adhibito

hibito igne fortiſſimo, quando terræ vitreſcibiles, ut *arena*, *ſilices*, &c. adduntur, quæ, cum parte terreo-ſalino-alcalica in maſſam vitream, aut tamen vitriformem colliqueſcentes, partem acido-ſpirituoſam ad ſeceſſum cogunt.

§. XII

ERRONEAM igitur ſententiam tuentur, qui ſibi aliisque perſuadere allaborant, vitriolum, alumen, terras limoſas, bolares, ochreaceas, aliasque martiales ideo nitro & ſali culinari deſtillationis tempore admiſceri, ut partium diſcontinuationem, uti loqui amant, præſtando, colliquefactionem impediant. Si memorata enim ratio niteretur veritate, perinde eſſet, utrum terræ martiales atque laudatæ ſubſtantiæ aluminoſæ & vitriolicæ, an harum loco terræ cretaceæ, aut alterius generis terræ aridæ & inſulſæ adderentur; immo perinde foret, utrum terræ bolares, &c. recentes, an ſæpius jam adhibitæ, adjicerentur. At, contrarium docet experientia, nec dicta a chymici arbitrio pendere, ſed abſolute terras & corpora alia, acido vitriolico ſeu ſulphureo, vel explicito, vel implicito, plus minusve inſtructa, deſiderari, aperte monſtrat. Nam, præter vitriolum & alumen, terras quoque bolares acido vitriolico pollere, liquores acidi vitriolicæ

licæ indolis, deſtillando, quanquam exigua quantitate, inde proliciti, nec minus paucum ſal medium, *arcano duplicato*, aut *ſali mirabili Glauberi* natura ſimillimum, & ſub deſtillatione ex acido vitriolico cum alcalina nitri ac ſalis parte denuo coaleſcente, genitum, ſufficienter confirmant. Præterea, ſi laudatum ſal, finita deſtillatione e capite mortuo aqua extrahitur, & terra bolaris ſiccata rurſus nitro aut ſali culinari recenti additur, ſpiritus expulſio, ut antea, haudquaquam exſpectanda eſt.

§. XIII

CLARIVS adhuc memorata pateſcunt, quando vitriolum calcinatum, aut ipſum vitrioli oleum additur: Tunc enim, expulſo ſpiritu nitri aut ſalis puro, notiſſimum *arcanum duplicatum*, & in caſu poſteriori *ſal mirabile Glauberi* majori naſcitur copia, ſi juſta ſcilicet prædictorum quantitas adjecta fuerit: Juſta, inquam, quantitas. Multi enim in hoc paſſu delinquunt, & nimiam vitrioli aut olei vitrioli quantitatem addendo, in caſu priori arcanum duplicatum, aut ſal mirabile, integri vitrioli moleculis adhuc refertum, producunt, in caſu poſteriori autem ſpiritum nitri aut ſalis impetrant, vitrioli acido valde remixtum. Adjectis terris bolaribus, limoſis, &c. allata,

ob

ob acidi inhærentis penuriam, haud metuenda ſunt, & aliqua potius nitri portio integra remanet, quod examen, cum ſale, ex terra poſt deſtillationem extracto, ſuſceptum, clare oſtendit. Valde igitur decipiuntur, & injuſte aquæ fortis deſtillatores avaritiæ adcuſant, qui eosdem ideo vitriolum addere perhibent, ut plus ſpiritus obtineant. Profecto, neceſſitas illos cogit, & citra ejusmodi corporum additionem acidi nitri ac ſalis perfectam ac promptam ſeparationem ſperare nequeunt. Facillime cæteroquin acidum vitrioli, quod hac ratione quandoque admixtum fuit, a nitri & ſalis ſpiritu ſeparatur, ſi ille ſemel adhuc ſuper ſal proprium ac recens abſtrahitur. Vitriolicæ enim proſapiæ partes acidæ in nitrum ac ſal recenter adjectum, ſeſe inſinuant, & ex utroque acidi quidquam denuo extrudunt, quod eandem proinde cum ſpiritu rectificato naturam obtinet.

§. XIV

CVM dilutioribus ſpiritibus acidis mineralibus, quoad principia, indolem ac vires, licet paullulum ab iis deſtillandi modo diſcernantur, ſic dicti CLYSSI conveniunt. Aliqui eos in *clyſſos minoris, medii* atque *majoris apparatus* diſtinguunt; quæ diſtinctio tamen mihi plane ſuperflua videtur, quum perinde ſit, utrum

utrum bina, an vero tria vel quatuor corpora, ad incenſionem apta, recipiantur. Ordinario parantur in magnis retortis terreis, loricatis, ac tubulatis, prunis in furno ampliori imponendis, mediante detonatione, ſeu incenſione exploſiva & impetuoſa. Nam, quoties mixtura ex nitro ac ſulphure, &c. cochleatim & per vices injecta, in candente retortæ fundo accenditur, & foramen ſuperius poſt quamcunque injectionem linteo madido, in globum convoluto, tegitur, fumi acidi ſub nebularum forma per foramen ſeu tubum lateralem in amplum recipiens, intermedio tubo vitreo longiori adplicatum, tranſeunt, & aquam aut ſpiritum vini in eo contentum ita imprægnant, ut inde, ſuſcepta rectificatione, ſpiritus aqueo-acidus, aut acido-inflammabilis reſultet.

§. XV

ACIDIS mineralibus, neque gravitate, neque vi corroſiva & activitate reliqua, æquiparanda ſunt acida liquida vegetabilis proſapiæ, tum fermentatione ex liquoribus vinoſis parata, ut *aceta*, tum etiam deſtillando ex dulcibus, auſteris, acidis, ac reſinoſis corporibus prolicita, ut *ſpiritus ſachari, mellis, mannæ, ligni quercini, ligni guajaci, tartari*, & ſic porro, licet in radice cum acido vitriolico conveniant. Nam ſuccus, ex plantis auſteris,

v. g.

v. g. ex viridi ligno quercino, & ſatis adhuc ſucculento, expreſſus, ſapore pollet vitriolato, & ſubjectis metallicis, v. g. cupro aut ferro, prius tamen parte ſua mucilaginea & oleaginoſa liberatus, decenti quantitate additus, ac debita encheireſi tractatus, verum vitriolum, communi valde ſimile, immo, ſali alcalico adfuſus, tartarum vitriolatum gignit.

§. XVI

PRÆDICTÆ debilitatis, impotentiæ & levitatis relativæ triplex allegari poteſt ratio. Nam primo liquores acidi vegetabiles ex particulis ſubtilioribus conſtant, ſecundo phlegmate diluente nimium abundant, & tertio ſubſtantia oleoſo-mucilaginea, aut inflammabili teneriori, corpuſcula ſalina acuta magis obtundente ac involvente, largius remixti ſunt. In acetis & aliis ſuccis acidis vegetabilium expreſſis hujus & acidæ ſubſtantiæ unio, ſuperveniente præprimis in acetis, tempore calido, fermentatione fortiori, aut juſto diutius protracta, facile iterum deſtruitur, & ſecedens pars oleoſo-mucilaginea primo in ſuperficie pinguem cuticulam format, quæ ſenſim ad fundum præcipitatur, pars acida ſubtilior autem in auras evolat, & acetum ideo corrumpitur, ac ſuo penitus ſpoliatur acore. Quare in Hollandia, referente HVM-

HVMMELIO, [a] acetis, in Indiam etc. per mare transmittendis, oleum vitrioli, & quidem cuivis vaſi, ſeu menſuræ, quam ſua lingua *Oxthofft* dicunt, dimidiam ejus libram probe immiſcent, ut gravius hoc acidum utriusque ſubſtantiæ connubium, & ſic vigorem pariter ac limpidam claritatem, praeſertim ſub climate calidiori, diutius conſervet.

§. XVII

IN ACIDIS regni animalis liquoribus major adhuc, tum totius, tum partium, levitas, debilitas & impotentia obſervatur, dum ſubſtantia acida in vivis animantibus valde per calorem ac circulum motumque inteſtinum perennem attenuatur, &, oleoſis aut tenerioribus inflammabilibus partibus altius immerſa & involuta, nimium contemperatur. Tam parcus præterea in hoc regno acidi proventus eſt, ut ex animantibus, eorundemque partibus, ſi lac quadrupedum, nec minus formicas, & alia quædam inſecta aculeata exceperis, veri liquores acidi, adhibito etiam ignis gradu quocunque, extorqueri nequeant.

a) V. Ejusd. Tract. de arthritide tartarea & ſcorbutica p. 43.

§. XVIII

QVÆVIS acida cum ſalibus alcalicis fixis et volatilibus coeunt in *ſalia media*, et potentiora quoque, præſertim vitriolicum, olea unctuoſa in *pinguedines*, ætherea autem in *reſinas* & *bitumina* transformant, imo, ex iisdem & ſubſtantiis tenerioribus inflammabilibus vera *ſulphura mineralia*, nec minus, ſimul accedente pauca terra ac phlegmate, *olea* enaſcuntur; de quibus plura in ſequentibus videnda ſunt.

§. XIX

LIQVORES acidi ſpirituoſi leviores ac temperatiores, vegetabilis & animalis proſapiæ, maxime autem *aceta* puriora, atque ſubtiliora, quæ reliquis omnibus longe præferenda ſunt, internum in medicina uſum inveniunt, & utiliſſime in ſingulis morbis, a præternaturali ſanguinis incaleſcentia, & orgaſtica expanſione, bile fervida, vel putredinoſa etiam humorum reſolutione, primario obortis, exhiberi poſſunt. Nimium quippe diſſolutis humoribus, leviter coagulando, naturalem ſyſtaſin reddunt, affrictum globulorum inteſtinum minuunt, partes oleoſo-inflammabiles & urinoſas figunt, poſteriores ad indolem ammoniacalem reducunt, & hac ratione non tantum temperant atque refrigerant,

gerant, verum etiam putredinem imminentem avertunt, præſentem cohibent, & ſolida ſimul blandis ſtimulis ad vegetiorem contractionem excitant, quid? quod aceta pura atque ſubtiliora ſibi inter ipſa reſolventia & ſudorifera locum vindicant. Leniſſima in hoc paſſu non obſtare videtur coagulatio, quam acidula ſubtiliora ſanguini nimium reſoluto inducere antea adſerui. Nam decens globulorum denſitas & habitus compactior multum ad augendam fluiditatem confert, quum nimia ex adverſo eorundem raritas ac laxitas fluiditatem minuat; quemadmodum hanc ſententiam inter alia ipſe ſanguis apud animantia ſaniſſima comprobat, quippe qui in venis, ob habitum globulorum laxiorem, ſemper ſpiſſior, craſſior, et obſcuriori rubedine præditus reperitur; in arteriis autem, ob denſiorem atque compactiorem globulorum habitum, longe majori fluiditate & colore rutilante pollet.

§. XX

SPECIALIVS liquores acidi ſubtiliores, præprimis fermentatione parati, ut aceta, cum fructu uſurpantur in febribus ardentibus, bilioſis, inflammatoriis, putridis malignis ac peſtilentialibus, nec minus in ſiti præternaturali, vomitu bilioſo, cholera, diarrhoea

rhoea bilioſa, ictero, a vehementi iracundia enato, hæmorrhagiis exorbitantibus, dyſuria, calculo, mania, ſcorbuto, nimio oeſtro venereo, lipothymia, palpitatione cordis, cephalalgia, ac morbis ſimilibus, quoties ſcilicet ab orgaſtica ſanguinis commotione aut acrimonia bilioſa originem ducunt, ut & contra ipſa venena animalia & vaporoſa vegetabilia. Externe quoque aceta ſpirituoſiora, excitandi fine, apud ſyncopticos, aut apoplexia laborantes ſanguinea, naribus admoventur, & varia pariter epithemata refrigerantia, aliaque, partibus, gangræna & ſphacelo correptis, adplicanda, frequentiſſime ingrediuntur. [a]

a) B. BOERHAAVIVS acetum maximis extollit laudibus, & inſignes ejusdem vires medicas in *Chemia* ſua [α] prolixe recenſet; *Acetum*, ſcribit, *ſal volatilis, oleoſus, acidus eſt; oleum enim ejus ſub macilento acido tenui reconditum latet. - - Hæc vero compoſitio admodum utilis eſt, quoniam putredini, humoribus animalium adeo communi, adeo periculoſæ, adverſa, interim oleoſi adunati mitificatione minus acris habetur. Simul adeo penetrabilis liquor hic eſt, ut ſine partium ſeceſſu diverſarum, per denſiſſima ſola tranſeat quam expeditiſſime, viribus intactis, imo & totum fere per corpus*

α) Tom. II. p. m. 184.

corpus humanum, pauciſſima forte vaſcula exceperis, libere meabilis eſt, indeque in plurima vaſa poterit diſtribui, ibidemque exercere vires, quas poſſidet proprias, inprimis excitatas vitali motu, & calore naturali. Quin & permiſceri ſe patitur facile cum omni genere humorum corporis noſtri noto, ne olea quidem exceperis; hac igitur tenuitate & permiſcibilitate ſua in corpore noſtro plurima perficit. Refrigerandi vim habet eximiam, quoties febris oritur ſtimulo acrioris bilis, alcaleſcentia ſalis, aut putridi nati in corpore humano, et a morſu venenato ferarum, ſitim & hinc oriundam ſedans. Vnde Dioſcorides & Hippocrates, Poſca, vel Oxycrato, inprimis mellis admiſtu mitificato, ad hæc mala nihil reliquerunt commendatius. Chirurgi autem ad externa mala, Eryſipelatum, Phlegmones, putridorum ulcerum, nihil quidquam cognoverunt pulchrius. Morſuique curando virulentorum aliud non eſt Poſca efficacius, eximio in Rabie canina exemplo. Ebrietati adeo quidem adverſa, ut quum ſpiritus vini fermentatitius unicum fere ſit, temulentiam quod concitat, aceti ſpiritus eandem jam citam domet. Imo vero ſomno vinoque ſepultus ex abuſu ſpirituum, ingeſto excitatur aceto. Hinc nervis ipſis erigendis, movendisque ſpiritibus vix aliud aptius. Debilibus, languentibus, lethargicis, ſoporoſis, ſyncopticis, vomiturientibus, incaſſum ſæpe ſuccurrere conatus per artificioſiſſima Chemiæ producta, ſummum tandem ab aceto, naribus, orique, adhibito, vel in ventriculum ingeſto, auxilium impetravi. Quin

etiam, quod ſoli credent experti, convulſis, hypochondriacis, hyſtericis, prodeſſe ſæpius memini. Jure ideo Hippocrates & Galenus & ſplenicis laudabant. Ad putredinem veram humorum, corruptionem mortiferam, gangrænoſos reptatus adeo prodeſt, ut nihil habeat ſimile; quod expertus palam eloquor. Quid autem verbis opus? Nonne, æſtuantiſſimo fervore autumni incandeſcente, & putredinis intentante ſaniem, caro, cruorve, copioſo perfuſa aceto, ſincera ſervantur? ſed & attenuandi virtutem quoque, pace aliter ſentientium, aceti virtutibus accenſeo: Si enim tepefactum cruori immiſcetur, ejusdemve ſero, diluit ea, non cogit, nec generat hac admiſtione polypos, ſed ſuaviter reſolvit coagulata. In acutis ideo febribus, in ardentium febrium immanitate, in peſte, variolis, morbillis, ſimilibusque malis, ubi fida Anatome toties coagulata repperit, acetum remedium ſummum, ubi alcalini, volatiles, ſales, tam infauſto eventu, adhibentur; quia acri ſtimulo velocitatem, & natam inde denſitatem adaugent. Videte ſalis volatilis oleoſi, ſi non autorem, laudatorem utique ſupremum, Clariſſimum Franciſcum de le Boe Sylvium. Quonam prophylactico fretus, peſte ægros ſecurus inviſit? Aceto ad unciam unam, alteramve, prius epoto tutus. Teſtatus etiam omiſſi ſemel culpam dolore ſtatim nato capitis luiſſe. Sudoriferum certius, efficaciusque ignoramus; quum acetum dilutum, aut merum, ſi potatur, quam maxime ſudores propellat, etiam in peſte, maximeque malignis in morbis, ubi alia vix reſpondent. &c. §. XXI

§. XXI

CVM acidis mineralibus gravioribus ac cauſticis longe cautius mercandum, immo tutius uſus eorum internus plane omittitur, qui mihi ſemper videtur ſuſpectus, etiamſi larga aquæ miſcela diluantur ac debilitentur. Non movent me grandia elogia, quibus ſcriptores aliqui ſpiritus hoſce, interne adhibitos, ornant: Salinæ enim moleculæ, quamdiu priſtinam ſoliditatem, magnitudinem, rigiditatem & figuram acutiſſimam, quæ ſingulæ copioſa phlegmatis additione non auferuntur, retinent, facillime ſolidis ac fluidis, coagulando, vellicando, arrodendo, immo corrodendo, præſertim, ſi corpuſcula acuta & rigida ſalina minimorum canaliculorum ſenſibilibus atque elaſticis parietibus membranaceis altius infigantur, noxam inferre, adeoque ſanis & ægris corporibus plus obeſſe, quam prodeſſe, poſſunt.

SPIRITVS, CLYSSI, ET LIQVORES ACIDI VSITATIORES

Oleum & Spiritus vitrioli.
Spiritus ſulphuris.
- - *aluminis.*
- - *nitri.*
- - *ſalis.*
- - *vitrioli philoſophicus.*
- - *aperitivus Penoti.*
- - *æruginis.*

Clyſſus antimonii ſulphuratus.

Spiritus tartari.
- - *mellis.*
- - *ſachari.*
- - *ligni Guajaci.*

Acetum deſtillatum ſimplex.
- - *bezoardicum.*
- - *prophylacticum.*
- - *rutaceum.*
- - *ſquilliticum.*

OLEVM ET SPIRITVS VITRIOLI

SPIRITVM & oleum vitrioli nullum eſſentiale intercedit diſcrimen, dum hoc totum in ſpiritum, & ſpiritus vice verſa in oleum poteſt mutari. Nam oleum, ſatis inepte ita dictum, nihil aliud eſt, niſi ſpiritus, phlegmate ſuo, quantum fieri potuit, orbatus, adeoque etiam concentratiſſimus ac ponderoſiſſimus, & ſpiritus ex adverſo oleum eſt, phlegmate largius remixtum, & magis ideo dilutum ac debilitatum. Quare ordinario etiam vitriolum martiale, ſi oleum duntaxat deſideratur, ante deſtillationem ad rubedinem uſque calcinatur, ut phlegma penitus expellatur: Sin vero præter oleum ſpiritum quoque elicere placuerit chymico, tunc ad flavedinem ſolummodo calcinatur, aut ſaltem in pulverem gryſeum, aut ex gryſeo-albicantem, ſolis aut hypocauſti calore redigitur; quam ultimam methodum illi in ſpecie commendant, qui ſingularem ſpiritum acido-ſulphureum volatilem in vitriolo quærunt, eumque deſtillationis initio elicere ac ſeparare allaborant. Peragitur acidi e vitriolo ſeparatio duplici modo, nimirum per *deſtillationem deſcenſoriam* & *lateralem*. Si prior placet methodus, deſtillatio ſequenti modo

modo eſt adornanda: Recipiuntur binæ ollæ argillaceæ majores, ea præditæ figura, ut compoſitæ ovum quodammodo referant, & ſuperior inverſa erectæ inferiori, interpoſito tamen orbe fictili, multis pertuſo foraminulis, commode imponi, ac firmiter cum eadem conjungi queat. Orbi fictili ſufficiens imponitur vitrioli, ad rubedinem, vel ſaltem flavedinem calcinati, quantitas, & inverſa olla ſuperior erectæ, & in foci foveola collocatæ inferiori, adplicatur: Quo facto juncturæ luto optime clauduntur, & primo duntaxat cinis calidus, prunis remixtus, deinde vero, poſtquam olla ſuperior aliquantulum incaluit, ſoli carbones accenſi circumquaque admoventur, iisdemque olla ſuperior tandem adeo obruitur, ut vis ignis ad ſummum provehatur gradum; ſic acidum vitrioli expulſum in ollam inferiorem, cum denegetur adſcenſus, per foraminula orbis interpoſiti deſcendere ac deſtillare cogitur. Finita deſtillatione, & ollis refrigeratis, oleum vitrioli ex olla inferiori, poſt ollæ ſuperioris, & interpoſiti orbis remotionem, in vitream effunditur lagenam, & caput mortuum in orbe relictum ſeorſim adſervatur. Hoc oleum, licet obſervata hac methodo majori obtineatur copia, martialibus aut venereis particulis aliquantulum imprægnatum eſt, quæ facile

tamen advocata rectificatione ſeparari poſſunt. Altera methodus, quæ uſitatior æſtimanda, ita ſeſe habet: Repletur retorta terrea loricata, vacua ſaltem relicta parte tertia, vitriolo, in pulverem gryſeum redacto, vel ad flavedinem aut rubedinem calcinato, ac tali imponitur furno, in quo carbones circa latera non minus, quam etiam ſuperne poſſunt accendi. Poſtquam collo retortæ roſtrum intermedium, (ein Vorſtoß,) eidemque capax receptaculum adplicatum, & juncturæ probe clauſæ fuerunt, primo lenior, deinde intenſior ignis, magis magisque, & ad ſummum uſque gradum augendus, admovetur: Sic, protracta tamen per aliquot dies & noctes deſtillatione, e vitriolo ad rubedinem calcinato, ſtatim nebulæ albicantes, ex vitriolo autem, leni calore in gryſeum tantummodo pulverem redacto, primo phlegma acidulum, deinde vero, igne auctiori reddito, nebulæ albicantes, quæ ſpiritum, tandemque oleum, ceu acidum ponderoſiſſimum, conſtituunt, in recipiens expelluntur. In caſu priori, ubi vitriolum ad albedinem calcinatum receptum fuit, illico acidum colligitur concentratiſſimum, in caſu autem poſteriori, adſumto ſcilicet pulvere vitriolico gryſeo, liquor prolicitus indiget rectificatione, & ſpiritus debilior phlegmaticus ab acido graviſſimo,

ſimo, quod oleum vocant, in retorta vitrea, arenæ balneo imponenda, nova deſtillatione ſeparandus eſt. Circa hanc rectificationem tamen monendum venit, excipulo pauxillum aquæ puræ infundendum, idemque longiori ac valde curvo retortæ collo ita adplicandum eſſe, ut guttæ aqueæ & acidæ leviores, ob vehementem ignis gradum, qui ad phlegmatis ſequeſtrationem requiritur, tranſeuntes fervidiſſimæ, in aquam cadant, & hac ratione vitri ruptura ac fiſſura, facillime alias contingens, præcaveatur. Expulſo phlegmate ac ſpiritu, ab ulteriori deſtillatione, ſi oleum ſcilicet in retorta relictum ſatis purum ſit atque diaphanum, deſiſtendum, & oleum concentratum, vaſis refrigeratis, in vitrum, non ſubere tamen, ſed vitreo pariter piſtillo, obturandum, confeſtim effundendum eſt: Sin oleum vero adhuc ex rubro-nigricans ſit, & partibus heterogeneis remixtum, mutato receptaculo, & igne auctiori reddito, deſtillatio continuatur, uſque dum acidum ponderoſiſſimum quoque in recipiens expulſum ſit.

NOTAN-

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM ACIDI VITRIOLICI

I. VITRIOLVM eſt concretum minerale metallico-ſalinum, ex acido ponderoſiſſimo, natura acido vagabundo primigenio proximo, & particulis martialibus, vel venereis, vel utriſque, corroſionis ac novæ deinceps concretionis beneficio enatum. Triplex igitur, intuitu ſcilicet principii metallici, datur vitrioli ſpecies, nimirum vitriolum *martiale*, *venereum*, & *venereo-martiale*. Vitriolum martiale viridi, venereum cœruleo, & venereo-martiale ex viridi-cœruleſcente pollet colore. Exigua enim cupri quantitas, in vitrioli martialis mixtionem recepta, ſatis inſigni portioni colorem cœruleſcentem conciliare valet. Præter indicatas ſpecies adhuc *rubrum* & *album* vitriolum reperitur: Hoc *Cinci* admixtioni, illud *calcinationi* ſuum debet colorem, & arte proinde ex martiali vitriolo paratur, vel circa montes ignivomos, & alibi, ubi ipſa natura calcinationem inſtituit, eruitur.

II. Hinc inde quidem, præſertim in fodinis metallicis Sylvæ Hercyniæ, vitriolum reperitur *nativum*, maxima tamen copia in variis regionibus ex terris vitriolicis, pyritis, & marcaſitis ſulphureis, tum martialibus, tum venereis arte paratur. In memoratis enim pyritis & marcaſitis, ſulphure ſuperfluo deſtillatione aut toſtione prius

prius liberatis, & aeri in magnis latisque acervis aliquandiu expoſitis, ex metallo & acido remanente, corroſione interveniente, generatur, poſteaque, aqua inde extractum, coctione in vaſis plumbeis, & cryſtalliſatione, ad debitam formam ac conſiſtentiam redigitur.

III. Præter metallum & acidum ponderoſiſſimum vitriolo pauxillum quoque ſubſtantiæ inflammabilis tenerioris inhæret. Probant ejus præſentiam, ut taceam obſervationes complures alias, vapor ſulphureus & inflammabilis, quem mixtura ex oleo vitrioli, aqua & limitura martis in phiola eructat, itemque ſedimentum nigricans, ſub artificiali vitrioli martis, ex ferri limitura, & oleo vitrioli aqua diluto, præparatione collectum; quippe quod elutriatum verum ſulphur exhibet, & cum mercurio, certa encheiriſi adhibita, in cinnabarim poteſt ſublimari. Separatur quidem in prædictis experimentis pars ſulphurea, non tota tamen, ſed acidi quoque nonnihil firmiſſime adhæreſcit; quod eo dignius fide habendum, quum maxima ubique inter phlogiſton & acidum vitrioli potentiſſimum affinitas deprehendatur.

IV. Vitriola martialia, in crucibulo calcinata, primo gryſeum, poſtea rubrum, venerea autem in parte inferiori nigrum, in ſuperiori flavum colorem adquirunt. Solutio quoque vitrioli martis aquoſa, injecto pulvere gallarum, aut earum ſolutione pariter aquoſa inſtillata, nigrum induit colorem, qui nunquam tamen in ſimili caſu in vitrioli venerei ſolutione oritur, ſed mixtura potius

tius pallide flaveſcentem & lutoſum adquirit colorem: Vnde conſtat, ad atramenti confectionem nullum aliud, niſi martiale, vitriolum aptum exiſtere.

V. Vitriolum veneris facile mutatur in martiale, quando cum limatura martis probe coquitur. Martiales enim particulæ ſub coctione adhærent acido, & venereas, quæ minori gaudent affinitate, e priſtina mixtione extrudunt. Idem propemodum fit *Neuſolii* in Hungaria, quando ferrum, aquæ venereo-vitriolicæ ad tempus immerſum, vel totum transformatur in cuprum, vel cuprea tamen cruſta obducitur. Ferrum enim, quod majorem cum acido vitriolico affinitatem, quam cuprum, habet, ſucceſſive ab acido ſolvitur, & cuprum, e mixtione deturbatum ac præcipitatum, ejus locum iterum occupat.

VI. Quando vitriolum uſque ad rubedinem calcinatur, acidum adeo concentratur, ut, aqua adfuſa, efferveſcentia oboriatur. Aliqui hoc experimento utuntur ad explicandam calcis vivæ cum aqua incaleſcentiam & ebullitionem, aſt illud pro mea ſententia parum in hoc paſſu illuſtrationi inſervire poteſt, quum in calce viva facilius alcalicæ, quam acidæ graviſſimæ, partes demonſtrari queant.

VII. Vitriolum veneris acidum ſuum facilius, quam martiale, ſub deſtillatione dimittit, cuius phænomeni ratio in antecedentibus (No. V.) indicata fuit. Promtius pariter & igne remiſſiori acidum e vitriolo expellitur, quando eidem Cincum additur.

VIII.

VIII. Oleum vitrioli non verum oleum, ſed liquor aqueo-ſalino-acidus ponderoſiſſimus eſt, qui, debite a quiſquiliis, caſu illapſis, rectificatione purgatus, aquea pelluciditate gaudet. Color rubicundus enim, quin tandem ex rubronigricans, ſpirituoſo huic liquori non competit originaliter, ſed demum, cum ſpiſſitudine eminentiori, naſcitur, quando ſub deſtillatione, aut poſt eandem, fruſtula luti, vel moleculæ ſuberis corroſi, ceræ, picis, &c., quibus lagenæ obturantur, quæque principium inflammabile continent, in liquorem incidunt. Valde igitur errant, qui vitrioli oleum in *album* & *rubrum* diſtinguunt, & hoc ſulphure martiali & venereo imbutum, & ideo etiam priori præſtantius eſſe, opinantur. Omne enim oleum vitrioli purum, uti jam antea monui, poſt deſtillationem inſtar aquæ limpidum eſt, & tale quoque permanet, ſi in vitro adſervetur, vitreo pariter piſtillo debite clauſo, nec corpora, pingui ſubſtantia inflammabili prægnantia, vel fortuito illapſa, vel ſtudio injecta, eidem rubedinem & nigredinem inducant. Probabile tamen videtur, oleum vitrioli nigricans, aliquoties, poſt reiteratam inquinationem, rectificatione ad priſtinam limpiditatem reductum, ſucceſſive paulo levius evadere, & volatilius, cum nequeat ſub deſtillatione impediri, quin tenerrimæ quædam particulæ inflammabiles acidis corpuſculis arcte uniantur.

IX. Oleum vitrioli quævis fluida reliqua, dummodo exceperis mercurium currentem, gravitate ſuperat, & proinde etiam in deſtillatione ad

ejus

ejus ſeparationem ignis intenſiſſimus, qui ſub ipſa etiam rectificatione, teſte BOERHAAVIO, *a* fere ad gradum Thermometri *Fahrenheitiani* ſexcenteſimum adſcendere debet, requiritur. Major tamen huic acido levitas, & volatilitas plane inſignis conciliari poteſt, ſi acidis corpuſculis quædam adhuc ſubſtantia inflammabilis tenerior arctius ſociatur; quod fieri poterit, quando a corporibus ſulphureis, oleoſis, &c., ſive ex vegetabilium, ſive animalium, ſive mineralium claſſe fuerint, v. g. ab antimonio, auripigmento, opio, &c., ſemel vel aliquoties abſtrahitur. *b* Luculentius adhuc veritas hæc ex præparatione ſpiritus vitrioli volatilis STAHLII cognoſcitur, qui ex vitriolo calcinato, retortæ terreæ non loricatæ, & jam fiſſuris hinc inde præditæ, immiſſo, deſtillatur. Phlogiſton enim carbonum, retortæ immediate adplicatorum, ſeſe per fiſſuras inſinuans, & partibus acidis ſpirituoſis firmiſſime adhæreſcens, illas ſumme reddit volatiles, ut ideo ſpiritus penetrantiſſimus, non quidem ſub forma nebularum albicantium craſſiorum, ſed limpido plane halitu, prodeat, qui ob ſummam tenuitatem vaſorum commiſſuras penetrat, nares acutiſſime ferit, et, in pulmones incaute admiſſus, ſuffocationis periculum adfert. *c* Melius adhuc acidi vitriolici volatiliſatio methodo prædicta obtinetur, quando vitriolum ad rubedinem calcinatum

a) In Chemiæ T. II. proceſſ. 206.
b) Conf. b. HOFFM. Obſ. phyſico-chym. p. 167.
c) Conf. STAHL. in Tract. von Salzen p. 113 it. in Obſ. & Animadv. phyſico-chymicis p. 72. ſeq.

tum ſub deſtillatione cum limatura martis, cum qua ſubit reactionem, permiſcetur, vel ipſi etiam oleo vitrioli ante deſtillationem ſpiritus vini aut olei cujusdam expreſſi modica quantitas additur, aut illud ab antimonio vel mercurio aliquoties abſtrahitur. Admixtam autem ſubſtantiam phlogiſtam veram laudatæ volatilitatis cauſſam eſſe, exinde liquido patet, quod ſpiritus hic volatilis, in phiola hermetice ſigillata digeſtioni calidæ expoſitus, cuticula quadam pingui in ſuperficie obducatur, quæ accedente phiolæ ſuccuſſione ad fundum ſecedit. Renaſcitur quidem cuticula ejusdem naturæ, attamen, ſi illa ipſa ſemel iterumque ad fundum præcipitata fuerit, ſpiritus volatilitatem ſuam penitus amittit, ac priſtinam ponderoſitatem & craſſam aciditatem recuperat. Accidit hic, quod etiam in aceto optimo, in corruptionem abeunte, fieri obſervamus, præterquam, quod cuticula in aceto craſſior atque magis unctuoſa ſit, & ipſum acetum, cuticula, in ſuperficie enata, aliquoties ad fundum deturbata, acore ſuo ſpolietur. Patet quoque principii inflammabilis admixtio in ſpiritu vitrioli volatili ex quibusdam effectibus, fumi ſulphuris accenſi effectibus ſimillimis: æque ſcilicet, ac ſulphuris accenſi fumus, colorem coeruleum & rubicundum, quem acidum vitrioli fixius alias exaltat, in ſubjectis coloratis minuit & extinguit.

X. Acidum vitrioli graviſſimum phlegma ſub deſtillatione difficillime dimittit, idemque aviditſſime pariter ex aere attrahit & imbibit, ut inde etiam notabile, quoad pondus & menſuram, augmen-

tum capiat; amittit tamen hac ratione multum de activitate, nec amplius sibilum ac æstum, aquæ instillatum, excitat.

XI. Oleum vitrioli particulas quasdam metallicas teneriores, sub destillatione secum abreptas, in sinu fovere, alii adfirmant, alii negant. Quod me attinet, adfirmantium cohorti memet adjungere nullus dubito. Oleum vitrioli enim, nec minus aqua regia ipsum etiam aurum, si eidem copia adfundantur largiori, secum rapiunt in sublime, *a* & subtilis etiam substantia metallica, in verum metallum addita borace redigenda, ex oleo vitrioli, præsertim igne sub finem admoto violentissimo inde expulso, per admixtum oleum quoddam expressum separari potest. Quod vero a partium metallicarum miscela eminentior olei vitrioli gravitas pendeat, nondum cum quibusdam adserere audeo.

XII. Quantitas acidi, destillatione ordinaria e vitriolo eliciendi, exacte determinari nequit, quoniam omne acidum, etiamsi destillatio igne intensissimo per octiduum, & donec nullæ amplius nebulæ prodeant, continuetur, rarissime, vel nunquam, expellitur. B. HOFFMANNVS, vitrioli centenarium, destillatione violentissima, per tres dies & noctes protracta, viginti libras phlegmatis & decem libras olei reddere, adfirmat. *b* Et BOERHAAVIVS ex quinque libris vitrioli, ad rubedinem calcinati, uncias quinquaginta duas acidi

a) Conf. KVNCKELIVS in Laborat. chym. p. 284. seq.
b) In Obs. physico - chymicis p. 269.

acidi concentratissimi, & uncias centum & quatuor capitis mortui sese obtinuisse testatur. Quinque unciæ, quæ facta computatione adhuc deficiunt, sine dubio, uti auctor quoque judicat, sub destillatione difflatæ fuerunt. *a* Quantitas hæc major quidem est, quam ea, quæ adducta fuit ab HOFFMANNO, plus tamen adhuc acidi inesse summe probabile est, cum acidum vitrioli martem æquali quantitate solvat.

XIII. Caput mortuum rubrum, vel ex atrorubescens, post destillationem relictum, quod vulgo *Colcothar* vocant, aeri ad tempus expositum, & deinde destillationi rursus subjectum, denuo acidi spirituosi portionem reddit; manifesto documento, illud sub prima destillatione extrema Vulcani tortura nondum penitus expulsum fuisse, & acidum vagabundum primigenium quoque, sese iterum ex aere in matricem metallicam insinuans, aliquam vitrioli regenerationem procurare. Ex capite mortuo etiam sal austerum emeticum, sub *Gillæ Theophrasti* nomine notum, aqua extrahitur, terra residua autem, vulgo *Terra vitrioli dulcis* dicta, *Entis veneris Boylei*, præsertim si venereæ sit prosapiæ, præparationi impenditur.

XIV. Oleum & spiritus vitrioli variis usibus chymicis atque physicis inserviunt, & a multis quoque inter medicamenta interna, temperantia, antorgastica, antiputredinosa & stomachalia referuntur, immo, D. HVMMELIVS oleum vitrioli, sibi relictum, & ad paucas guttulas in vehiculo

 lar-

a) In Chemiæ T. 2. proc. 206.

largiori propinatum, tanquam polychreſtum, maximis extollit laudibus, eodemque in Dania Chirurgum quendam Legionarium, nomine STAHL, qui illud ſub *panaceæ & auri potabilis* nomine care venditabat, multos ægros, calculo, podagra, malo hypochondriaco, colicis vehementiſſimis, ardore ſtomachi, aliisque morbis chronicis pertinaciſſimis, etiam ex acida primarum viarum ſaburra oriundis, laborantes, brevi tempore feliciſſime ſanaſſe, teſtatur. *a* Singulas haſce curationes, quas praedictus Chirurgus legionarius fauſto eventu vitrioli oleo perfeciſſe dicitur, ego quidem penitus in dubium vocare nolo, nunquam tamen auctor ero ſuaſorque, ut medici providi ac conſcientioſi eum intuitu hujus remedii ſequantur. Facilius enim, quod ſupra pridem dictum fuit, a gravi ac cauſtico ejusmodi acido minerali noxa, quam utilitas, ſperanda eſt, & licet prior non confeſtim, aut apud ægros robuſtos ſemper ſentiatur, tandem tamen, ſi uſus aliquoties reiteretur, certiſſime ſupervenier; quemadmodum tale quid pariter obſervatur, quando ab imprudentibus empiricis ad excitandam ſalivationem infuſum mercurii ſublimati dilutius, aut in febre quartana rebelli, cachexia &c., arſenicum album interne exhibetur. Inter ſeptica externa facilius locum illi concedere, imo parcam ejus miſcelam cum melle, aut aliis electuariis, in ſcorbuto oris gingivis tumidis atque flaccidis provide adplicandis, aut inter gargariſmata recipiendis, non plane rejicere poſſum.

SPIRI-

a) V. Tract. cit. p. 39. ſeq.

SPIRITVS SVLPHVRIS

IN SVLPHVRE communi minerali idem acidum, quod cum marte aut venere vitriola format, reperitur; aſt longe difficilius a parte inflammabili, cui arcte hæret ſociatum, ſeparatur. Quando ſulphur incenditur, illico quidem ſecedit, maxima tamen ex parte cum ſubſtantia phlogiſta, in flammam, quæ liberiorem aeris acceſſum abſolute poſtulat, converſa, avolat in auras, ut ideo parum, licet multiplex etiam artificium adhibeatur, colligi queat. Id quoque, quod multo impetratur labore, ob neceſſariam aquæ additionem, debilem plerumque liquorem acidum exhibet. Melius igitur pro mea ſententia eſſet futurum, ſi medici ſpiritum hunc ex acidorum uſitatiorum cenſu plane proſcriberent, eidemque ſemper vitrioli ſpiritum, natura omnino & virtute ſimillimum, ſubſtituerent.

VVLGO Spiritum ſulphuris dividunt in *graviorem* ſeu *fixiorem*, quem ordinario in pharmacopoliis vendunt, *atque oleum ſulphuris per campanam* vocant, & *leviorem*, *volatilem*, qui nondum ubique civitate pharmacevtica donatus eſt, & ab inventore STAHLIO *Spiritus ſulphuris volatilis* STAHLII dicitur. Prior ita elicitur: Suſpenditur ſub

camino, vel in alio loco commodo alembicum, vel campana vitrea, roſtris tabulatis utrinque exporrectis inſtructa, cui parva adplicantur excipula. Deinde in lapide ſub campana crucibulum, aut aliud vaſculum terreum, duorum vel trium digitorum transverſorum hoc & campanam ſuſpenſam intercedente ſpatio, collocatur, ſulphure citrino groſſiuſcule ſaltem contuſo repletum; quibus peractis, ſulphur accenſo, & transverſim impoſito filo ſulphurato accenditur, ſic fumi acidi, partim, ad latera ſecedentes, in auras diſſipantur, partim in campanam adſcendunt, ibidemque in roridas guttulas, ſucceſſive defluentes, condenſati, in excipulis colliguntur. Monendum tamen, campanam æque atque excipula ſtatim in principio aqua vel ſpiritu vini phlegmatico probe humectanda eſſe, ut fumi acidi ſiccisſimi matricem ſeu corpus inveniant, & ſic citius, ac copia majori condenſari ac colligi queant. Alii campanam, roſtris tabulatis deſtitutam, eligunt, & crucibulum, ſulphure refertum, ac campanæ ſupponendum, in alio vaſe ampliori, cui aliquid aquæ infundunt, ita collocant, ut guttulæ acidæ, ex campana defluentes, in aquam cadant, eamque ſapore acido ac viribus imbuant. Alii linteola oblonge ſecta ac ſulphurata accendunt, & alterum

rum poſt alterum in doliolum, quoad partem dimidiam aqua repletum, injiciunt; ſic aqua, ſi dolioli oſtium, poſt quamcunque linteaminum accenſorum injectionem, aliquantulum claudatur, & doliolum poſt telæ ſulphuratæ deflagrationem hinc inde commoveatur, acidis ſulphuris partibus ita ſucceſſive imprægnatur, ut, ordinaria deinceps deſtillatione rectificata, debilem ſulphuris ſpiritum largiatur. Alii aliis adhuc utuntur methodis, quas deſcribere tamen diſplicet, quum nunquam, etiamſi hæc vel illa methodus eligatur, concentratus ſulphuris ſpiritus, vel notatu digna tamen ſpiritus concentrati quantitas, obtineatur.

VOLATILIS ſulphuris ſpiritus ita paratur: Repletur vaſculum terreum ſulphure contuſo, idemque impoſito filo ſulphurato ſub expanſis linteis, forti lixivio alcalico imprægnatis, accenditur, ut fumi acidi, a parte inflammabili nondum perfecte liberati, cum ſale alcalico, quod ſub adcenſu attingunt, in ſal neutrum, ſeu tartarum vitriolatum concreſcant. Hoc deinde, ex linteis probe ſaturatis aqua extractum, denuo coagulatur, & exſiccatur, indeque, addito in retorta vitrea, arenæ imponenda, oleo vitrioli, ſpiritus ſulphuris volatilis concentratiſſimus

expellitur. Alii prædictam linteaminum imprægnationem in ollis singularibus, sibi mutuo imponendis, quas vulgo *Aludels* vocant, suscipiunt, & in hunc finem lintea, sale alcalico imbuta, ollis superioribus imponunt, sulphur autem in vasculo, in medio ollæ infimæ collocato, accendunt, ac toties nova linteamina immittunt, quoties priora exsiccata ac probe imprægnata esse observant. Ex linteis hisce deinde sal neutrum, vel fricando excussum, colligunt, vel, pariter aqua extractum, evaporando ad siccitatem redigunt, & inde deinceps præfata methodo spiritum volatilem eliciunt. Olla suprema, quod adhuc addendum est, foramine instructa esse debet, ut sulphuris deflagratio eo promptius succedat.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM SPIRITVS SVLPHVRIS

I. SVLPHVR est concretum minerale, siccum ac durum, salino-inflammabile, vel flavi, vel ex viridi-flavescentis, vel rubri, aut ex flavo-rubescentis, vel gryscei coloris.

II. Omne quidem sulphur minerale nativum est, ac compositionem suam soli debet naturæ, a plerisque nihilosecius, quum opera humana ad separationem ejus plerumque necessaria inveniatur, in *nativum* & *factitium* distinguitur, ac binæ nativi, tres factitii species recensentur. *Fossile nativum*, quod vulgo etiam *sulphur vivum* appellant, vel *purum*, vel *impurum* est. Hoc in *Islandia*, *Italia* & alibi ex fodinis sulphureis, vel etiam circa montes ignivomos, eruitur, & variis quisquiliis terreis, arenosis, lapideis, aliisque remixtum est, ut ideo prius, quam trahi possit in usum, depuratione indigeat: Illud vero purum ac semi diaphanum existit, & colore vel citrino, vel rubescente, vel rubro gaudet, quæ rubedo tamen sulphuri proprie non competit, sed unice ab admixto arsenico deducenda est: Hinc, quo intensior adest rubedo, eo major inhæret arsenici quantitas, ita ut sulphur saturate rubrum potius pro rubri arsenici, quam sulphuris, specie habendum sit. Ad species *factitias* refertur 1. *Sulphur stillatitium*, citrinum, aut ex flavo virideſcens, 2. *Sulphur vulgare Officinarum*, flavum, vel ex viridi-flavescens, & 3. *Sulphur caballinum*, gryscei coloris. *Sulphur stillatitium* in supposita vasa fictilia destillat, quando Goslariæ & alibi pyritæ martiales atque marcasitæ sulphureo-venereæ, substratis & interpositis ligni aridi segmentis, in acervos, tostioni in aere libero subjiciendos, congestæ, accenduntur. *Sulphur vulgare Officinale* partim sublimationis beneficio, in retortis ferreis aut lapideis, methodo, ab HENCKELIO in *Pyritologia* descripta, ex pyritis, cæterisque marcasitis metallico-sulphureis segregatur, partim ex foveis, quæ in prædictis pyritarum acervis, seu rogis,

toſtionis tempore, vel ſponte naſcuntur, vel ſtudio ab operariis, quamprimum minera continuata ignitione mollior reddita fuit, imprimuntur, & ſulphure liquefacto paullatim replentur, ferreis cochlearibus exhauritur; unde conſtat, hoc et ſulphur ſtillatitium, ſi illud ſemel repetita liquefactione, atque quisquiliarum ſubſidentia fuerit depuratum, nullum plane intercedere diſcrimen. Quod reſtat *Sulphur caballinum* ex fecibus, poſt ſulphuris depurandi antecedentis liquefactionem ad fundum ſecedentibus, naſcitur, & proinde nullius pene utilitatis eſt, præterquam, quod equis a mulo-medicis exhibeatur.

III. Sulphur commune purum ac citrinum ex ſolo acido vitrioli ponderoſiſſimo, & ſubſtantia phlogiſta teneriori, arctius invicem unitis, conflatum eſt; quemadmodum elementa hæc reſolutio æque ac nova ejus compoſitio confirmat. Ex ſulphure enim, in tigillo, leni interveniente colliquefactione, in ſic dictum *hepar* redacto, blanda calcinatione ita pars inflammabilis ſeparatur, & in auras expellitur, ut ſolum remanens acidum cum alcali perfectum ſal neutrum, tartaro vitriolato ſimillimum, producat, quod denuo tamen, cum adjecto carbonum pulvere colliquefactum, priſtinam hepatis formam & indolem recuperat. Succedit etiam ſulphuris, aut tamen halitus ſulphurei, productio, quanquam methodo diverſa, cum corporibus aliis, phlogiſto principio prægnantibus. Nam ex mixtura aquæ, olei vitrioli, & limaturæ martis halitus prodit ſulphureus,

reus, qui, in phiola anguſtioris orificii collectus, admota candela, cum ſtrepitu quodam & exploſione accenditur. Ex mixtura aluminis uſti, & vitelli ovorum calcinatione verum ſulphur, quod ſponte in aere libero, immo aere ſaltem in vitrum admiſſo, accenditur, poteſt parari. Fruſtula hujus pyrophori ſeu ſulphuris artificialis grandiuſcula, æque ac ſulphur vulgare, cœruleam oſtendunt flammulam, & acidum quoque halitum eructant. Ex magmate terreo-reſinoſo nigricante, poſt olei vitrioli dulcis deſtillationem reſiduo, ut & ex oleis, reſinis atque gummatibus, cum oleo vitrioli combinatis, in retorta ſpiritus, ſulphurei odoris & indolis, deſtillari, quin, decenti adhibita encheireſi, verum ſulphur, minerali analogum, ſublimari poteſt. Nihil dicam de momentanea halitus ſulphurei productione, quando oleum vitrioli carboni candenti inſtillatur, ejusdemque farinæ experimentis reliquis, quæ hinc inde in GLAVBERI, STAHLII, HOFFMANNI, NEVMANNI, aliorumque recentiorum ſcriptis leguntur conſignata: Satis enim ex allegatis liquet, ſulphur minerale ex duplici ſaltem elemento, inflammabili videlicet & acido-ſalino, compoſitum eſſe.

IV. Quanquam ſulphur vulgare facillime ignem concipiat, & totum, uti adparet, flamma conſumatur, veræ tamen ſubſtantiæ phlogiſtæ exiguam ſaltem quantitatem continet in mixtione ſua. In integra enim libra, teſte NEVMANNO, *a* nondum

a) In Lect. de Sulphure p. 205.

dum binæ drachmæ reperiuntur, & tota pars reliqua, ultra uncias quindecim & drachmas ſex pondere adſcendens, ex acido ponderoſiſſimo conſtat. Ægre nihilominus hoc acidum a parte inflammabili ſub deflagratione avellitur, & maxima ex parte cum eadem in aerem, cujus liberior acceſſus ad deflagrationem ſumme neceſſarius eſt, auffugit: Hinc non mirandum, quod ordinario, vario etiam adhibito artificio, tam parum ſpiritus concentrati colligatur.

V. Ob phlogiſtæ ſubſtantiæ adhæſionem largiorem volatilis ſulphuris ſpiritus levior eſt, vulgari fixiori, & id quoque cauſſa eſt, cur facile iterum ex enato tartaro vitriolato, in præcedentibus deſcripto, per oleum vitrioli, in retorta adfuſum, expellatur. Quodammodo hic ſpiritus cum ſpiritu ſulphureo-acidulo minerali, quem *aquæ* fovent *ſoteriæ*, quique iis vires largitur præſtantiores, convenire creditur. Siquidem *Dominus* SEIPIVS experimentis ſatis probavit, in *Pyrmontanis* quoque *acidulis* pelluciditatem, ſaporem vividum acidulum, eminentem levitatem, egregiam corporis vaſa permeandi promtitudinem & virtutes præcipuas ab inhærente ſpiritu vitrioli aut ſulphuris, vulgari tamen leviori, volatiliori ac pinguiori, pendere. *a* Subtile & activum hoc acidularum elementum intrat, quando pyritæ, præſertim martiales, pingues, ſub terra humectati, incaleſcunt, & ſub hac incaleſcentia aliquan-

a) Vid. ejusd. Beſchreibung des Pyrmonter-Brunnens cap. 4.

quantulum reſoluti, ſpiritum phlogiſto-acidum tenerrimum & valde elaſticum, ſeu potius expanſivum eructant, qui aquas deinde, pyritarum ſtrata transeuntes, vel ſaltem prætereuntes, ingreditur, iisdemque hac ratione virtutem præcipuam communicat.

VI. Cereviſias, vina & aceta, nimiam, eamque deſtructivam, fermentationem cohibendo, diu hic ſpiritus conſervat, & turbidis æque ac vappidis pelluciditatem reddit. Idem tamen ipſum quoque acidum vitrioli graviſſimum præſtat, imo, illud in hoc paſſu volatili ſulphuris acido a quibusdam præfertur. *Acidum ſulphuris accenſi*, ſupra allegatus HVMMELIVS ſcribit, *a jam a multis ſeculis ad conſervanda ab ulteriore fermentatione & vappeſcentia vina adhiberi conſueviſſe, notum eſt, cujus loco, ſi aliquid olei vitrioli probe vino commiſceas, non tantum idem præſtabis, ſed & vina ab odore ingrato, & fumo caput petente, quæ ſulphur accenſum inducit, ſimul immunia præſtabis; idem efficit in cereviſia, quæ a ſubſequenti fermentatione turbatur, & claram ad ultimam guttam conſervabit. Sic & vina pendula hujus admixtione illico reſtituuntur; imo ipſa aceta, ne in mucorem & coagulum abeant, præſervantur, & ipſa vina dulcia, quæ in Hollandia a fermentatione tueri & ita bibere moris eſt, nullo alio artificio melius in deſiderato ſtatu conſervantur, quam admixto iis acido vitrioli, quod non tantum eorum dulcedinem non imminuit, ſed & auget, & vina generoſiora præſtat.* &c.

VII.

a) Libr. cit. p. 42

VII. Quoad vires & uſum medicum ſulphuris acidum perfecte cum acido vitrioli, licet temperandi fine ſæpius quam hoc, a medicis quibusdam præſcribatur, convenit, & ideo etiam idem de eo, reſpectu uſus interni & externi, judicium ferendum eſt.

SPIRITVS ALVMINIS

TERTIVM concretum minerale, in quo acidum vitrioli ponderoſiſſimum copioſius hoſpitatur, alumen eſt, indeque ſequenti modo deſtillando elicitur: Repletur retorta terrea loricata, vel etiam vitrea, ad partem dimidiam alumine vulgari, leni uſtione ſuperfluo phlegmate liberato, & loricata terrea igni aperto, vitrea altius arenæ balneo imponitur; ſic igne ſubſtrato, aut circumquaque admoto, & per gradus aucto, primo ſpiritus debilis, poſtea fortior ſub nebularum albicantium forma in adplicatum recipiens expellitur. Qui ſimul phlegma deſiderant, alumen nondum calcinatum recipiunt, & primo partem aqueam, pauciſſimis moleculis acidis remixtam, e cucurbita evocant, deinde vero ex reſiduo, retortæ injecto, methodo prædicta acidum gravius ac concentratum deſtillando educunt.

* * *

NOTAN-

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM SPIRITVS ALVMINIS

I. ALVMEN vulgare & ordinarium in *Suecia*, *Anglia*, *Gallia*, *Italia*, *Germania*, &c. ex mineris *terreo-ſalinis*, vel *lapideo-* aut *metallico-ſulphureis*, vel *terreo-ſalino-bituminoſis*, plerumque aeri libero prius aliquandiu exponendis, elixiviatur, & deinde, coctione, evaporatione, & cryſtalliſatione, ad corporis ſalini ſplendentis formam ac conſiſtentiam deducitur.

II. Alumen, ſive jam perfectum in terris aut lapidibus quibusdam, habitu externo ſalem aluminoſum jam jam referentibus, hæſerit, ſive in mineris terreo-bituminoſis, aut lapideo-metallico-ſulphureis, ſpontanea in aere libero incenſione ac lenta deflagratione ſubſtantia inflammabili aliquantulum orbatis, demum fuerit genitum, ex acido vitriolico & terra pingui cretacea, limoſa &c., componitur. Probant hæc elementa ſyncriſis & diacriſis: Nam ex limatura martis & ſpiritu aluminis vitriolum, & ex eodem, aut vitrioli ſpiritu, cum terris cretaceis, limoſis, aut lapide ſciſſili combinato, aluminis ſpecies naſcitur; poſt ſpiritus quoque ex alumine expulſionem nil remanet, niſi terra candida, quæ extrema calcinatione in crucibulo penitus acido orbata, inſipida plane, &

terris

terris cretaceis ſimillima evadit. Præcipitatur quoque hæc terra alba, quamprimum ſolutioni aluminis aquoſæ oleum tartari per deliquium inſtillatur, & acidum cum alcali puro, excluſa terra, in novum ſal medium, tartaro vitriolato, aut ſali mirabili Glauberi, vel ipſi etiam ſali Epſonienſi valde ſimile, concreſcit, quod, ſive memorata præcipitatione, ſive ſimplici ſpiritus aluminis miſcela productum fuerit, addito pauxillo ſalis tartari & carbonum pulvere, in crucibulo in maſſam rubicundam, hepati ſulphuris ſimilem, æque ac tartarus vitriolatus ordinarius, confluit, indeque verum ſulphur minerale deinceps poteſt ſeparari, manifeſto documento, acidum aluminis, ſulphuris & vitrioli nullum intercedere diſcrimen, ſed in tribus hiſce ſubjectis unum idemque hoſpitari.

III. Sat magna quidem, minor tamen, quam in vitriolo, acidi quantitas in aluminis mixtione hæret, & dimidiam illud cum aqua totius ponderis partem conſtituit. Ex libra enim aluminis, igne extremo calcinati, teſte B. HOFFMANNO, *a* octo unciæ acidi ac phlegmatis expelluntur, & reliſtæ unciæ octo terram inſipidam & inertem ſiſtunt. Difficillime tamen acidum ſub deſtillatione totum ſegregatur, & modica ſaltem acidi concentrati quantitas, niſi ſumma ignis, per aliquot dies & noctes continuo admovendi, violentia accedat, ordinario obtinetur; quod cauſſa quoque fuiſſe videtur, cur LEMERVS quinque alumi-

a) In Obſerv. phyſico-chym p. 272.

aluminis libras octo tantum ſpiritus concentrati uncias reddere ſcripſerit. *a*

IV. Spiritus aluminis quoad uſum medicum internum cum ſpiritu vitrioli & ſulphuris vulgari convenit, rarius tamen, quam præcedentes, adhibetur. Externe, præſertim non adeo concentratus, cum melle roſato, aut ſyrupo mororum &c., mixtus, ad aphtas oris & ulcera mundificanda, nec minus phlegma acidulum, e cucurbita evocatum, refrigerandi fine in ophtalmiis & inflammationibus, nec minus mundificandi ſcopo in ulceribus & vulneribus a quibusdam commendatur. Sed proſtant tutiora ac meliora, & ſpiritu hoc in caſibus memoratis commode carere poſſumus. Cavendum inprimis, ne frigidum phlegma acidulum, partibus eryſipelate correptis improvide adplicatum, noxiam retropulſionem efficiat.

SPIRITVS NITRI

NITRVM acidum ſuum, arcte cum ſubſtantia terreo-ſalino-alcalica combinatum, absque corporis cujusdam, acido vitrioli prægnantis, additione, non dimittit, & deſtillatio ideo pro addendorum differentia valde variat. Alii enim *terras limoſas*, *lutoſas*, *bolares*, aqua paullulum humectatas, vel *lateres contuſos* cum nitro pulveriſato in maſſam redigunt, & ex globulis inde formatis,

a) In Curſu chymico P. p.

tis, atque retortæ loricatæ injectis, igne vehementi ſpiritum nitri proliciunt. Alii nitro ſiccato *alumen uſtum*, aut *vitriolum leniter calcinatum*, portione anatica, vel etiam dupla, addunt, vel *ſpiritum aluminis*, *vitrioli*, aut ipſum *vitrioli oleum* adfundunt, & deſtillationem deinde, admoto igne aperto, in retorta terrea loricata, ſimplici, aut tubulata, vel in retorta vitrea, arenæ balneo imponenda, inſtituunt. Qui prædictas terras martiales addunt, parum ſpiritus concentrati impetrant, plus vero, qui vitriolum calcinatum, alumen uſtum, aut acida liquida graviora, præſertim oleum vitrioli, miſcent, colligunt, & ſpiritus præterea longe fortior eſt, maxime, ſi oleum vitrioli nitro ſicciſſimo adfuſum fuerit. Vltimam igitur methodum, quum ſit optima, fuſius deſcribere placet: Recipiuntur ſcilicet nitri puri, pulveriſati, & optime ſiccati unciæ ſeptem, eidemque, in retortam vitream ſiccam ac mundam injecto, binæ olei vitrioli rectificati, vel etiam vulgaris, probe tamen adhuc fumantis, unciæ ſucceſſive adfunduntur, ſic in inſtanti nebulæ rubicundæ cum aliquali mixturæ ebullitione, & leniori retortæ incaleſcentia adſurgunt, quæ retortam colore aureo-rubente obducunt. Olei infuſione peracta, retorta absque mora arenæ balneo altius imponitur, & adplicato capaci

capaci recipiente, ac probe lutata commiſſura, ignis ſubſternitur, & ſucceſſive augetur, donec ſpiritus gravior, qui æque, ac præcedens ſubtilior, partim guttatim, partim ſub nebularum rutilantium forma, in receptaculum tranſit, penitus quoque expulſus fuerit. Finita deſtillatione, ſpiritus rubicundus concentratiſſimus, ſumme cauſticus, ac valde fumans, tritorii vitrei ope ex receptaculo in aliud vitrum, vitreo pariter operculo muniendum, effunditur. Quum integra etiam receptaculi ſuperficies interna rubro colore tincta ſit, aquæ vel ſpiritus vini pauxillum infundendum eſt, ut color, eumque producentes particulæ acidæ adjuvante vitri agitatione aufferantur. Aqua loco ſpiritus vini debilis ſeorſim adſervari, ſpiritus vini autem dulcificationis tempore alcoholis & ſpiritus nitri fumantis mixturæ adfundi poteſt.

Aliqui deſtillationem ſpiritus nitri fumantis in retorta tubulata ſuſcipiunt, & easdem fere, quas in clyſſorum præparatione adhibere ſolemus, cautelas obſervant, præterquam, quod oleo vitrioli nitro injecto ſucceſſive inſtillato, foramen ſuperius operculo probe claudant, ne nebulæ deſtillationis tempore ſimul per iſtud egrediantur.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM SPIRITVS NITRI ACIDI

I. NITRVM eſt ſingulare ſal medium, fixum, cryſtallinum, ex acido ſui generis & ſubſtantia terreo-ſalino-alcalica compoſitum. Singulare dicendum, quia in igne liqueſcens cum quibusvis corporibus ſulphureis, bituminoſis, reſinoſis, oleoſis, pinguibus, aliisque, ſubſtantia terreo-phlogiſta ſicciori, concentrata, ac magis minusve explicita præditis, promptiſſime accenditur, vel rectius, corpora memorata in motum igneum & flammantem redigit, etiamſi, per ſe deguſtatum linguæ frigoris ſenſum imprimat, & aquam, ac vivorum animantium humores valde refrigeret.

II. Nitrum partim naturæ, partim arti ſuos debet natales. Natura primo nitrum *embryonatum*, & artifex demum ex illo nitrum ordinarium componit. Embryonatum ex acido aeris vagabundo, ac primigenio, & tenerrima ac pingui ſubſtantia oleoſo-urinoſo-ſalina, terris variis, præſertim putridis, inhærente, naſcitur; hinc tale etiam mixtum ignem nondum perferre, & in corpus ſolidum, ſiccum, cryſtallinum redigi poteſt, ſed ſub lixivii evaporatione & decoctione iterum deſtruitur, & maxima ex parte in auras expellitur evaporando, ut nil, niſi magma unguinoſo-ſalinum in vaſe remaneat; quid? quod, tanta pollet teneritudine, ut fervidiores ſolis radii illud

illud maxima ex parte iterum diſſolvant ac deſtruant: Vnde etiam ratio patet, cur in cumulorum, ex terris ſaburroſo-limoſo-calcario-putridis, aliisque nitro generando aptis, congeſtorum, latere boreali longe uberior nitri proventus obſervetur, quam in latere, meridiano ſoli expoſito. Alii aliam quidem cauſſam allegant, & ventos boreales plus acidi adferre opinantur; verum hæc ſententia ab aliis jam dudum fuit refutata, & ad mera pertinet commenta. Ex nitro embryonato deinde nitrum ordinarium reſultat, quando nitri coctores lixivio, aqua e terris, nitro primordiali teneriori prægnantibus, extracto, lixivium aliud alcalicum, pari methodo, eodemque menſtruo e cineribus vulgaribus aut clavellatis, & calce viva paratum, debita quantitate admiſcent, vel poſterius ſtatim ante prioris lixivii extractionem terris nitroſis adfundunt, ut una eademque elixiviatione ſtatim perfectum lixivium nitroſum obtineant. Quamprimum enim alcali fixum ſolutum cum nitro embryonato, pariter in aqua ſoluto, miſcetur, priſtina in poſteriori unio principiorum diſſolvitur, alcali fixum, volatile urinoſum extrudens, denuo cum acido primigenio, tenerrima ſubſtantia phlogiſta remixto, connubium ſubit arctiſſimum, & ita nitrum naſcitur ordinarium ac comparative fixius, quod deinde coctione, evaporatione, & cryſtalliſatione ad debitam formam ac conſiſtentiam redigitur. Cryſtalliſatione rite inſtituta, ordinario moleculæ nitroſæ congregatæ in cryſtallos longas, priſmaticas, ſexangulares concreſcunt.

III. Quando nitrum, præprimis in vaſe aperto, igne funditur, ac diu detinetur in fluore, acidi quidem pauxillum amittit, & poſt refrigerationem, humidum ex aere attrahens, plus minusve unguinoſum evadit; at major nihiloſecius & gravior acidi portio tam arcte parti ſalino-alcalicæ adhæret, ut citra acidi vitriolici additionem nunquam penitus igne ſolo poſſit avelli. Quo purius quoque atque concentratius acidum vitriolicum eſt, eo citius ac melius etiam deſtillatio ſuccedit. Si oleum vitrioli additur, ad quinque vel ſex partes nitri probe ſiccati partes duæ olei vitrioli probe fumantis ſufficiunt. Nam uncia una ſpiritus nitri communis ſatis concentrati, teſte NEVMANNO *a* drachmas duas cum dimidia ſalis acidi, & drachmas ſex & dimidiam phlegmatis continet, ac ſeptem propemodum ſalis tartari drachmas ad perfectam ſaturationem expoſcit.

IV. Si nitrum puriſſimum ad deſtillationem receptum, ac juſta olei vitrioli quantitas adfuſa fuerit, poſt ſpiritus expulſionem novum plane ſal medium, ſeu notum *arcanum duplicatum*, purum, ac totum, vel maxima tamen ex parte, in aqua ſolubile, relinquitur; ſin nitrum vero nondum depuratum fuerit adhibitum, caput mortuum aqua non ſolvitur totum, ſed terræ candidæ calcariæ ſat larga portio, ſolutionem reſpuens, in fundo remanet, quæ commode tamen, me ſentiente, magneſiæ albæ ſubſtitui poteſt. Addito alumine uſto, aut vitriolo calcinato, tale qui-

a) In Lect. de nitro p. 141. Conf. etiam in antec. §. 4.

quidem ſal pariter enaſcitur, aſt rariſſime perfecta puritate gaudet; quemadmodum de hiſce ſect. de ſalibus mediis plura videnda ſunt.

V. Spiritus nitri concentratiſſimus rubro pollet colore, ac ſimiles fumos aere admiſſo eructat. Hæc rubedo tamen ſucceſſive evaneſcit, quando in vitro non ſatis munito adſervatur, aut aer ſæpius admittitur, & ablata rubedine etiam fumare ceſſat, nec amplius olea deſtillata ætherea ſpecifice graviora incendit. Immo, cum eadem perit elaſticitas, quæ tanta alias eſt, ut, accedente calore majori, vitra diffringat.

VI. Spiritus nitri fumans, uti dictum, olea graviora incendit, in levioribus autem fortem duntaxat ebullitionem, incaleſcentiam, ac fumum denſiſſimum excitat, & camphoram in oleum, olea vero in reſinas aut pinguedines mutat.

VII. Moleculis acidis ſpiritus nitri, præſertim rubicundi, ſubtilis quædam ſubſtantia inflammabilis, quæ acidum primigenium vitriolicum tranſformare videtur in ſpecificum nitroſum, certa quantitate ſociata eſt. Probatur ejus adhæſio 1. per *majorem levitatem*, 2. *colorem rubicundum*, 3. *geneſin nitri in terris pinguibus putridis*, & 4. *per productionem balſami ſulphuris ex ſpiritu nitri, & oleo terebinthinæ*. Quando enim pars una olei terebinthinæ cum quatuor partibus ſpiritus nitri, concentrati quidem, non tamen flammifici, miſcetur, & mixtura digeritur, tandem inde balſamus ſulphuris reſultat, ordinario ſulphuris balſamo ſimillimus

quoad formam & proprietates. *a* Specifica hæc transformatio non tantum cum acido vitriolico, ſed etiam ſalino vulgari ſuccedit. Nam flocculi illi terreo-inflammabiles, primo nigricantes, ac poſtea in aere flaveſcentes, qui ſub martis ſolutione per ſpiritum ſalis e ferro ſeparantur, ſalis ſpiritum recentem, ſi denuo illo ſolvantur, in ſpiritum nitri convertunt; uti de hiſce plura in *Excell.* D. POTTII *Tractatu de Sale communi* videnda ſunt. *b* Sine dubio ſubtilis hæc ſubſtantia inflammabilis acido primigenio adhæret, quando illud terras pingues ac putridas ingreditur, & cum principio oleoſo-urinoſo, jam in terris memoratis præſente, in nitrum embryonatum concreſcit.

VIII. Raro ſpiritus nitri perfecte purus obtinetur, ſed perſæpe acido ſalis communis aut vitrioli remixtus eſt, quoniam nitrum, præſertim crudum ac nondum depuratum, rariſſime a ſale communi perfecte liberum eſt, & ſub deſtillatione etiam plus plerumque, quam opus eſt, vitrioli, aut olei vitrioli nitro additur. Ab acido vitriolico facile liberari poteſt, quando ſemel adhuc ſuper nitrum recens abſtrahitur, & acidum gravius ideo in nitro remanet; quod acidum ſalis vero attinet, hoc difficilius ſeparatur, quoniam ſub rectificatione ſtatim in initio cum leviori ac volatiliori nitri parte acida transſcendit. Hinc præſtat nitrum adſumere depuratum, quod a ſale communi libera-

a) Conf. NEVMANNVS in Lect. de Nitro p. 26. 67. ſeq.
b) p. 58.

liberatur, quando ſolutio ejus, cum aqua pura facta, poſt filtrationem ac blandam evaporationem, confeſtim ad cryſtalliſandum reponitur, ac illæ tantum cryſtalli, quæ primo concreſcunt, e lixivio eximuntur, & in reſiduo ſal commune, quod tardius cryſtallos format, cum aliis impuritatibus relinquitur. Docimaſtæ & aurifabri acidum ſalis & vitrioli etiam præcipitando ſeparant per inſtillatam ſolutionem argenti, aut ipſas lamellas argenteas, exigua quantitate immiſſas. Purus enim ſpiritus nitri argentum injectum ſolvit, admixtum vero acidum ſalis ac vitrioli idem denuo e ſolutione præcipitat, ac ſimul cum præcipitatis argenti moleculis, quibus adhæreſcit, ad fundum ſecedit.

IX. In medicina hic ſpiritus per ſe interne, ob maximam vim cauſticam, nunquam adhibetur, rite autem dulcificatus medicamentum præbet egregium, cujus præparationem & uſum futuræ exhibebunt paginæ.

SPIRITVS SALIS

HVJVS ſpiritus deſtillatio convenit maxima ex parte cum deſtillatione ſpiritus nitri, & ita, ſi ſtatim ſpiritus deſideretur concentratiſſimus, adornatur: Recipiuntur unciæ duodecim ſalis communis fontani, probe ſiccati, eidemque, cucurbitæ prius vel retortæ vitreæ ſimplici indito, ſucceſſive ac provide unciæ quatuor olei vitrioli fumantis adfunduntur; quo facto vas deſtillatorium arenæ

balneo imponitur, &, adplicato capaci receptaculo, ac optime clauſis commiſſuris, ignis, per gradus augendus, ſubſternitur, ſic ſpiritus acidus, valde elaſticus, mobiliſſimus, & aere admiſſo admodum fumans, ſub nebularum albicantium forma, expellitur, atque in receptaculo, quanquam exigua admodum quantitate, in liquorem diaphanum condenſatur, partim etiam, & quidem quoad portionem maximam, per commiſſuras, luto etiam optime munitas, conſtanter ac liberrime penetrat. Quare, ſi majorem ſpiritus quantitatem obtinere velimus, ſal nondum ſiccatum, ſed aqua potius ante deſtillationem largius humectatum, adſumendum, vel recipienti, quæ methodus optima, aquæ portio infundenda eſt, ut ſpiritus acidus expulſus illico corpus, cui ſeſe poſſit inſinuare, inveniat. Alii, ut noxam, quam nebulæ acidæ mobiliſſimæ, ſub olei vitrioli inſtillatione impetuoſe adſurgentes, pulmonibus inferunt, quodammodo evitent, retortam terream tubulatam ac loricatam adhibent, & adplicatis adplicandis oleum vitrioli per amplum foramen ſuperius ſali ſiccato adfundunt, poſteaque, foramine memorato prius probe obturato, ſpiritum in recipiens expellunt.

NOTAN-

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM SPIRITVS SALIS ACIDI

I. SAL commune vulgo in *foſſile*, *fontanum* & *marinum* diſtinguitur; non eſſentialiter tamen hæ ſpecies differunt, ſed ſaltem reſpectu puritatis. Fontanum omnium puriſſimum eſt, ſali foſſili, nondum depurato, autem ordinario partes quædam terreo-lapideæ inhærent, & marino nitroſi quidquam perſæpe admixtum deprehenditur. Experientia enim conſtat, aquam marinam incendiis reſtinguendis non adeo aptam eſſe, ac motum flammantem magis intendere, quam cohibere; imo notum eſt, ſpiritum, ex ſale marino prolicitum, plerumque inſtar aquæ regiæ, quæ ex ſalis culinaris & nitri acido componitur, aurum ſolvere, quod alias purus ſalis communis ſpiritus præſtare nequit. Hermaphroditica ſeu mixta hæc ſalis marini indoles in iis maxime pelagi tractibus obſervatur, in quibus plura vegetabilia & extincta animantia putredine reſolvuntur.

II. Conſtat hoc ſal neutrum, fixum, minerale, ex duplici principio, nimirum *terreo-alcalino*, & *acido ſpecifico*. Terra, in aqua ſolubilis, propius ad indolem ſalis alcalici accedit, & ſingulari plane natura, hactenus a Chymicis nondum ſatis explorata, ac demonſtrata, pollet; *a* non latet

a) Conf. Excell. Dn. POTT in Obſ. & Animadv. de Sale communi p. 2. 3. ſequ.

latet tamen in ea, ſed potius in parte acida præcipuum differentiæ ſpecificæ, qua ſal commune a reliquis ſalibus neutris ſeſe diſtinguit, fundamentum. Nam, acido hoc per adfuſum vitrioli aut nitri ſpiritum expulſo, non renaſcitur ſal culinare, ſed cum ſpiritu vitrioli *ſal mirabile* GLAVBERI, cum acido nitri autem ſingulare *nitrum cubicum* generatur, quod cum carbonibus poteſt alkaliſari, manifeſto documento, terram ſalis alcalinam, majori cum ſpiritu nitri ſubſtantiæ inflammabilis portione introducta, in completum ſal alkali fuiſſe mutatam. Quod ſi vero ſpiritus ſalis cum ſale alcalico, v. g. ſale tartari, aut depuratis cineribus clavellatis combinatur, inde ſal cubicum, communi omnino ſimillimum, reſultat.

III. Ob arcte admixtum ſic dictum principium mercuriale, ſeu arſenicale acidum ſalis communis, admiſſo præprimis aere liberiori, valde mobile atque volatile eſt, & alia quoque corpora, præſertim metallica, quibus arcte adhæret, ad majorem mobilitatem ac volatilitatem diſponit. An hoc acidum de inflammabili etiam principio participet, nondum in clara luce poſitum eſt. Probabile tamen mihi videtur, eidem pauxillum adhæreſcere. Propius, quam acidum nitri, ad acidi vitriolici ac primigenii indolem accedit; hinc etiam cum phlogiſto unitum ſpeciem *hepatis ſulphuris* imperfecti conſtituit, immo, obſervatis obſervandis, *phoſphorum*, ſeu ſpeciem ſulphuris, æque ac vitrioli acidum format. *a*

IV.

a) Conf. D. D. POTT L. c. p. 9.

IV. Duplex in ſale communi acidum hæret, alterum volatilius, alterum paullo fixius. Hoc ad promptam ſui avulſionem, & plenariam in igne expulſionem additamenta, ut ſunt acida liquida & jam ſeparata graviora vitrioli, aluminis, ſulphuris, nitri, nec minus corpora, acido graviori prægnantia, v. g. terræ vitriolico-martiales, alumen uſtum, vitriolum calcinatum &c., expoſcit; illud autem facilius absque additamento, ſolius aeris humidi, nec minus aquæ ebullientis actione, avellitur, immo fixius, adhibitis hiſce mediis, tandem maxima ex parte poteſt ſegregari. Nam in ædibus gradatoriis, ubi ſalſugo per parietem, e virgultis ſtructum, decurrit, temporis ſucceſſu notabilis terræ portio virgultis adhæret, quæ, ita pariter ſentiente *Exc. Dn.* POTTIO, *a* acido ſuo, ab aere continuo permeante, plus minuſve ſpoliata fuit. Simile magma ſalino-terreum, non cryſtalliſabile, in aere facile deliqueſcens, immo in ipſo ſpiritu vini ſolubile, a ſalis coctione relinquitur, eidemque acidum paucum adhuc ſuperſtes tam laxe inhæret, ut, absque ullo deſtillatum additamento, ſub ſpiritus forma ſecedat. Deinde etiam chymicis non ignotum eſt, ſal commune, reiterata vice in aere humido ſolutum ac deſtillatum, tandem in aquam, ſalſo ſapore penitus deſtitutam & terram pene inſipidam, inertem, paullulumque unguinoſam, reſolvi, & acidum ideo, aeris humidi & ignis actione diuturniori ſenſim a parte terrea avulſum, tandem

totum

a) L. c. p. 14.

totum evaneſcere: Immo notum eſt, aquam communem ſæpius ſuper ſal culinare cohobatam, aliqua aciditate imbui. *a*

V. Terra alcalina ſalis communis mixtionem proportione ferme anatica ingreditur, &, acido ſuo adhuc unita, frequentius repetita ſalis calcinatione ac ſolutione, adeo volatilis reddi poteſt, ut tandem ex magna ſalis quantitate exigua ſaltem portio remaneat.

VI. Spiritus ſalis, addito oleo vitrioli, aut ſpiritu aluminis, vitriolo calcinato, alumine uſto &c., deſtillatus, longe majorem acidi ſalini principii quantitatem in ſinu fovet, quam qui adjectis terris bolaribus, aliiſque vitriolico-martialibus prolicitus fuit: Quippe qui valde aquoſus ac debilis eſt, & obſervante B. NEVMANNO, *b* in uncia una vix unicam acidi drachmam continet.

VII. Spiritus ſalis ſub deſtillatione facile vitreas retortas diffringit, & talem rupturam factam eſſe ex nebulis, poſt cœptam deſtillationem illico & maxima ex parte iterum ceſſantibus, cognoſcitur.

VIII. Raro ſpiritus ſalis acidus prima ſtatim ſub deſtillatione purus obtinetur, dum plerumque eidem ex additamentis peregrinæ materiæ, v. g. moleculæ metallicæ venereæ aut martiales, volatiles redditæ, vel etiam partes acidæ nitroſæ, aut vitriolicæ proſapiæ, adhærent & admiſcentur. Acidum vitrioli, ſuſcepta cohobatione ſuper ſal recens, facile ſeparatur, acidum nitri autem nunquam perfecte poteſt ſegregari,

a) Conf. D. D. POTT l. c. p. 37.
b) Vid. Lect. de Sale communi p. 67.

gregari, quum aliqua ejus portio acido ſalis adhuc levior ſit, & ideo in principio ſtatim cum ſpiritu ſalis transſcendat.

IX. Spiritus ſalis recens ac purus inſtar aquæ limpidus eſt, incidente autem portiuncula veſicæ urinariæ corroſæ, qua ordinario vitra clauduntur, vel etiam ſuberis corroſi, aut corporis alterius, phlogiſto principio plus minuſve prædiți, colorem rubentem induit.

X. Loco ſalis culinaris etiam ſal ammoniacum recipi, et inde ſpiritus acidus, ordinario, ex ſale communi prolicito, quoad omnes proprietates ſimillimus, pari quoque obſervata deſtillandi methodo, expelli poteſt.

XI. Poſt deſtillationem ſpiritus ſalis cum ſpiritu nitri ſingulare ſal cubicum nitroſum, addito autem acido vitrioli, vel vitriolo calcinato, notiſſimum *ſal mirabile* GLAVBERI in retorta vel cucurbita remanet, quod, penitus peracta deſtillatione, aqua ſolvendum, &, a partibus aliis heterogeneis depuratum, præmiſſa evaporatione, denuo cryſtalliſandum eſt.

XII. Spiritum ſalis acidum, a guttis quinque uſque ad viginti in vehiculo aqueo propinandum ſcriptorum chymico-medicorum plerique in variis morbis, maxime autem in febribus biliosis, ardentibus, peſtilentialibus, itemque reſolvendi & aperiendi fine in calculo, dyſuria, obſtructione viſcerum, malo hypochondriaco &c., commendant: Immo ſunt inter recentiores, qui eundem vino rubro Gallico auſteriuſculo, quod vulgo

Pountac

Pountac vocant, certa quantitate miſcent, & deinde ab interno hujus vini uſu effectus in herniis quibusvis exſpectant egregios. Sed abſit, ut eorum in hoc paſſu premamus veſtigia: Corroſivum ſane, adeoque minus tutum remedium eſt, quod nullum ante dulcificationem uſum internum in praxi invenire debet. Minus ſecure quoque dentibus, tartaro purgandis, illinitur, dum iis corrodendo magis nocere, quam purgando prodeſſe valet.

SPIRITVS VITRIOLI PHILOSOPHICVS

REC. Butyri antimonii quantum placet, eidemque aquam ſimplicem frigidam quantitate largiori adfunde, ut pars regulina ab acido debilitato ſecedens ad fundum præcipitetur. Aqua hæc acidula, poſt præcipitationem filtratione depurata, ex retorta vitrea, arenæ balneo imponenda, deſtillando rectificatur, &, abſtracto prius phlegmate ſuperfluo, acidum ſuccedens adeo concentratur, ut ſpiritus acidi vires conſequatur.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM HVJVS SPIRITVS

I. HIC liquor acidus, qui nihil aliud eſt, niſi debilior ſpiritus ſalis, absque ulla ratione & ſatis inepte

inepte *ſpiritus vitrioli philoſophicus* dicitur. Nullo ſingulari enim artificio ad ejus præparationem opus eſt, nec quidquam pariter acidi vitriolici in eo hoſpitatur, quum butyrum antimonii ex mera ſaltem parte antimonii regulina, & acido ſalis communis compoſitum ſit. Acidum ſalis concentratiſſimum antea in mercurio ſublimato cum argenti vivi globulis unitum erat, & ſub cinnabaris antimonii ſublimatione mercurium, cum ſulphure antimonii in cinnabarim firmiter coaleſcentem, relinquens, partem antimonii regulinam corrodit, & ſic corpus ſemi fluidum, corroſivum, & habitu externo unguinoſum, conſtituit: Adfuſa deinde largiori aquæ frigidæ quantitate, acidum tam debile evadit, ut partem regulinam amplius ſolvere ac ſuſtentare nequeat; hinc illa, ad fundum præcipitata, pulverem albicantem emeticæ virtutis, quem vulgo *Mercurium vitæ* vocant, conſtituit.

II. Commode officinæ hoc ſpiritu carere poſſunt. Nonnulli quidem medicorum ſingularem illi virtutem cephalicam, & antepilepticam tribuunt. Sed ubinam hæc in eo hæreat, ſane neſcio, quum omnino quoad indolem ac vires cum vulgari ac debiliori ſalis ſpiritu conveniat.

SPIRITVS APERITIVVS PENOTI

REC. Vitrioli Hungarici, leni calcinatione in pulverem gryſeum redacti, libras IV., ſilicum calcinatorum libras II., & tartari albi,

ſolutione in aqua & cryſtalliſatione depurati, vel hujus loco cryſtallorum tartari libram 1½. Pulveriſanda pulveriſata, & probe invicem mixta, retortæ vitreæ, in arenæ balneo collocandæ, vel etiam retortæ terreæ loricatæ, immittantur, ac ſpiritus, igne gradatim aucto, in recipiens expellatur.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM HVJVS SPIRITVS

I. IN *Diſpenſatorio Brandenburgico*, & pleriſque reliquis libris chemico-pharmaceuticis methodus hunc ſpiritum parandi, a vix tradita paullulum diverſa, reperitur: Subtiliſſime ſcilicet prædicta ingredientia pulveriſata ac miſta cellæ humidæ exponunt, ut paullulum deliqueſcant, tum ex arena per alembicum ſpiritum deſtillant, ac ter ſuper reſiduo cohobando abſtrahunt, tandemque omne per rerortam, igne aperto gradatim adhibito, proliciunt. E capite mortuo ſal eliquant, cui ſpiritum jungunt, ac quatuordecim dies cum eo digerunt; quo facto rurſus igne aperto omnes ſpiritus evocant, & rectificatos ſervant. Verum, quid tantis opus ambagibus? quid prodeſt præmittendum in cella humida mixturæ deliquium? immo, quid ſibi vult quatuordecim dierum cum ſale extracto digeſtio? Profecto, labores ſunt plane

plane inutiles & ſuperflui, & citius hic ſpiritus methodo deſcripta compendiaria parari poteſt.

II. Spiritus hic liquidum ſiſtit, ex acido vitrioli & acetoſo tartari mixtum, prius tamen prædominium obtinet. Convenit igitur cum debiliori ſpiritu vitrioli, & ab inventore & ejus aſſeclis ſingulare laudatur aperitivum in pertinaciſſimis viſcerum obſtructionibus chronicis, ictero, calculo &c., ſi in vehiculo adpropriato a ſcrupulo uno ad drachmam integram & ultra propinetur. Attamen pro meo judicio ab uſu ejus interno, ceu parum ſecuro, plane abſtinere præſtat.

SPIRITVS ÆRVGINIS

EX VIRIDI æris, pulveriſato, & aceto vini paullulum humectato, vel etiam ex cryſtallis viridis æris, retortæ vitreæ aut terreæ loricatæ, igni aperto imponendæ, injectis, prolicitur. Si viride æris fuerit receptum, ſpiritum evocatum plerique bis vel ter ſuper caput mortuum cohobare jubent, quo animam veneris, quam ſibi imaginantur, extrahat: ſin memoratæ autem cryſtalli adhibeantur, totus labor una ſtatim deſtillatione perficitur.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM HVJVS SPIRITVS

I. VIRIDE ÆRIS eſt concretum acido metallicum, ex *acido vini*, adeoque *acetoſo vegetabili*, & *cupro* compoſitum. Naſcitur enim, quando tenues lamellæ cupri auſteris uvarum, dulci ſucco muſti expreſſione ſpoliatarum, reliquiis ad tempus immerſæ, ab acido memorato corroduntur, & hac ratione in concretum, vitriolis analogum, mutantur. Acidum, cupri moleculis, prorſus relicto phlegmate, hac ratione unitum, valde concentratum redditur, & ideo etiam, deſtillando denuo ſeparatum, longe majores effectus, quam acetum, ſimplici ſaltem deſtillatione rectificatum, præſtare valet, quæ major activitas etiam cauſſa eſſe videtur, cur nonnulli hunc ſpiritum loco *liquoris Alcaheſtini* adhiberi poſſe, exiſtimaverint.

II. Falſo hic liquor acidus *ſpiritus veneris* dicitur: Nihil enim aliud eſt, niſi, uti pridem dictum fuit, acetum vini concentratiſſimum, non purum tamen, ſed ſubtiliſſimis cupri moleculis, prævia corroſione tenerrime reſolutis, ac ſimul tranſvectis, aliquantulum inquinatum. Nam ſub deſtillatione flores venerei collo retortæ ſeſe hinc inde adponunt, & ſpiritus quoque, præſertim igne fortiſſimo expulſus, non perfecte puro, ſed paullulum amaricante ac cupreo pollet ſapore.

III.

III. In *Diſpenſatorio* etiam *ſpiritus æruginis compoſitus* deſcribitur, qui ex viridi æris, gummi ammoniaco ac ſulphure deſtillando paratur; at ille merito ad parum concinna, adeoque ſuperflua, producta chymica relegandus eſt.

IV. Spiritus æruginis ſimplex a quibusdam, qui eundem anima veneris imprægnatum eſſe opinantur, præſtantiſſimis medicamentis, in epilepſia, apoplexia, paſſione hypochondriaca & hyſterica, &c., cum fructu inſigni adhibendis, adnumeratur. Pro mea ſententia acetum vini purum ac deſtillatum huic ſpiritui præferendum eſt: Quicquid enim in morbis, temperando, reſolvendo, & leniter ſolida ſtimulando ad contractiones vegetiores, efficit, non ut veneris ſpiritus, ſed ut acetum vini, præſtat.

CLYSSVS ANTIMONII SVLPHVRATVS

REC. Antimonii, nitri ac ſulphuris communis, partes anaticas. Pulveriſata & mixta per vices cum cochleari ferreo ingerantur in retortam, firmam, loricatam, & utrinque tubulatam, ita bacillis ferreis in furno impoſitam, ut a candentibus carbonibus, immediate admotis, in fundo candeſcat; ſic nebulæ copioſæ, poſt materiæ injectionem quamcunque, & accenſionem exploſivam, cum impetu, obturato prius commodo operculo foramine ſuperiori, per tubum lateralem

in capaciſſimum receptaculum, roſtro longo intermedio adplicatum, tranſeunt, &, cum aqua ibi contenta mixtæ, liquorem acidum conſtituunt, qui effuſus adſervatur, vel rectificatione concentratior redditur.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM HVJVS CLYSSI

I. EST liquor ſpirituoſus mixtus ex nitri ſcilicet & ſulphuris acido, quod, ſub mixturæ incenſione exploſiva, a parte alcalica nitri, & phlogiſta ſulphuris violenter avulſum, ſub denſiſſimarum forma nebularum, in receptaculum prorumpit, & aquam infuſam ſapore acido ac viribus imbuit. Convenit igitur cum vulgari nitri ac ſulphuris ſpiritu, larga aquæ additione debilitato, præterquam, quod plures partes inflammabiles, quæ ſeſe tam cito ſub clauſa detonatione ſubducere, ac motum flammantem concipere nequeunt, acidis particulis adhæreant, & illis ideo, leniter obtundendo, mitiorem concilient indolem. Sulphuris additio non æque neceſſaria eſt, dum liquidum, ejusdem naturæ ac virtutis, obtinetur, quando mixtura ex nitro & ſolo antimonio detonationi ſubjicitur. In retorta antimonium diaphoreticum, ſive prior, ſive poſterior mixtura adſumta fuerit, remanet, quod deinde eximendum, ac more conſueto aquæ adfuſione ac filtratione a ſalibus liberandum eſt.

II.

II. Pertinet hic liquor acidus ad medicamenta temperantia, refrigerantia, antiputredinoſa, & ſtomachalia, quæ in febribus biliosis, ardentibus, malignis, tertianis, nec minus in hæmorrhagiis exorbitantibus, inflammationibus, dejectione appetitus, & pluribus aliis morbis, temperantibus acidulis curandis, adhibentur. An vero etiam uſu continuato epilepſiam promiſcue abigat, & vermes expellat, obſervationibus certis nondum ſatis probatum eſſe exiſtimo. Dōſis variat: Nondum enim rectificatus, multa inprimis aqua recipienti infuſa, tam debilis eſt, ut potulentis, refrigerandi ſine ægris, febre ardente, aut alio morbo calido laborantibus, præſcribendis, majori quantitate, v. g. menſuræ potulenti ad drachmas duas, unciam dimidiam, imo integram, poſſit admiſceri. Sin vero fuerit rectificatus, minor quantitas, & perſæpe, ſi ſcilicet per ſe in vehiculo quodam exhibeatur, guttæ 3. 5. 10. 15. 20. pro uno præbio ſufficiunt.

SPIRITVS TARTARI

IMPLEATVR retorta terrea loricata fruſtulis tartari albi, a quiſquiliis, quantum fieri potuit, depurati, collocetur deinde in furno, & capaciſſimo recipiente, intermedio roſtro vitreo aut terreo, adplicato, atque commiſſuris, vel obiter ſaltem, vel relicto tamen exiguo foramine, quod claudi poſſit pro lubitu ac denuo aperiri, lutatis, ignis in principio valde moderatus admoveatur, ut

nebulæ valde elaſticæ, mobiliſſimæ, & deſtillationis initio cum impetu prodeuntes, quæ alias, commiſſuris firmiter clauſis, aut igne juſto vehementiori adhibito, facile periculoſam retortæ & receptaculi rupturam efficiunt, prius exeant. Expulſis hiſce, ignis gradatim augeatur, ut acidum gravius cum oleo foetido pariter educatur. Oleum foetidum nigricans a ſpiritu filtrando ſeparatur, & hic deinde, ut diaphanus evadat, ac purior, ſuper alumen uſtum in retorta vitrea rectificatur.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM HVJVS SPIRITVS

I. TARTARVS crudus, ſive ſit purior albicans, ſive impurior rubellus, eſt concretum terreo-oleoſo-acido-ſalinum, ac verum *vini ſal eſſentiale*, ſeu *acetum ſiccum*, quod in doliis e moleculis acido-terreis & unguinoſo oleoſis, e vino, ſucceſſiva præſertim & inſenſibili phlegmatis evaporatione ſpirituoſiori reddito, præcipitatis, & circumquaque lateribus ſucceſſive adpoſitis, naſcitur. Vberior inprimis ejusdem proventus obſervatur in vinis Rhenanis, aliisque ſenſibiliori acore pollentibus.

II.

II. In aqua frigida hoc concretum, ob copioſas partes unguinoſo-oleoſas, corpuſcula terreo-ſalina aliquantulum involventes, nunquam perfecte ſolvitur, ſed ſemper ad promptam ſubſtantiæ ſalino-acidæ ſolutionem & extractionem aqua fervida requiritur. Laudata principia cæteroquin tam aperta ſunt, ut ignaris aut ſcepticis facillime tartari crudi deſtillatione, detonatione & alcaliſatione cum nitro, ut & extractione cum aqua fervida, demonſtrari poſſint.

III. Spiritus tartari, per ſe in retorta vitrea rectificatus, ob immixtas ac ſimul tranſpulſas partes oleoſas craſſiores, obſcuram flavedinem, immo rubedinem aliquam retinet, & præterea debili gaudet ſapore acido; addito autem ſub rectificatione alumine uſto pulveriſato, quod partes oleoſas craſſiores imbibit ac retinet, magis diaphanus & acidus purior evadit. Curandum ſaltem, ut ignis moderatus admoveatur, ne ſimul copioſæ partes acidæ ex alumine tranſcendant: Inquam, copioſæ: Vix enim impediri poterit, quominus nonnullæ, præſertim e ſubtilioribus, cum tartari acido tranſeant, & ob admixtam ſubſtantiam oleoſam, volatiliores evadant.

IV. Plerumque ex libra una tartari quatuor unciæ ſpiritus ac phlegmatis, uncia una olei fœtidi, unciæ decem capitis mortui, & ex hoc, exemto poſt deſtillationem, & in crucibulo aut olla aperta aliquantulum adhuc calcinato, quatuor unciæ ſalis fixi alcalici impetrantur. Hoc alcali fixum non originaliter in tartari mixtione latuit,

ſed Vulcani demum violentia ex terra ſolubili, ſale acido, & oleo, nova interveniente ſyncriſi, genitum fuit. Ita pariter comparatum eſt cum geneſi ſpiritus urinoſi, qui e tartaro prodire conſuevit, quando eidem alcali fixum additur. Cum illo enim major ſubſtantiæ oleoſo-inflammabilis portio arcte combinatur, idemque proinde volatile redditur, & in ſal urinoſum transformatur.

V. Spiritus tartari acidus rectificatus perfecte comparari poſſet quoad indolem & virtutem cum aceto deſtillato, niſi arcte partes ſubtiliores oleoſæ empyreumaticæ acidis adhærerent, & ſpecificum ideo & diſtinctum liquori odorem, ſaporem, & quodammodo etiam virtutem, conciliarent. Humores in corpore valde commovet, & proinde etiam locum meretur inter efficaciſſima medicamenta diaphoretica, ſudorifera, & diuretica, in morbis, e ſanguinis ac lymphæ dyſcraſia, & impuritate enatis, v. g. in lue venerea, adfectibus ſcabioſis, rheumatiſmis, arthritide frigida, cachexia, ſcorbuto, ſimilibusque, cum fructu propinanda. Datur a gt. 10. ad 20. 30. 40. 50. 60., & ſæpius quoque tincturis aliis bezoardicis, aperitivis, diaphoreticis ac diureticis admiſcetur.

SPIRITVS SACHARI

E SACHARO ſicco, absque additamento cucurbitæ vel retortæ vitreæ, non adeo profunde arenæ imponendæ, igne moderato expellitur. Adhibita retorta, vix quarta ejus pars ſacharo contuſo replenda, & ignis in princi-

principio leniſſimus ſubſternendus eſt, ne ſacharum, ſub liquefactione valde ſpumeſcens, transſcendat integrum, aut retortæ collum obſtruens, violentæ rupturæ periculum adferat. Deſtillatione rite adornata, primo ſpiritus flaveſcens valde phlegmaticus, poſtea ex flavo-rubeſcens ac concentratior, ſub forma mobiliſſimarum nebularum albicantium, tandemque exigua olei ex brunno-nigricantis, quod ad fundum deſcendit, portio prodit. In cucurbita aut retorta copioſum caput mortuum terreum, nigrum & aliquantulum ſplendens, fixiſſimum, iners, relinquitur.

NOTANDA CIRCA NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM HVJVS SPIRITVS

I. SACHARVM eſt concretum unguinoſo-ſalinum vegetabile, ex *terra ſolubili*, *acido ſubtili*, & *ſubſtantia oleoſo-inflammabili* compoſitum, atque ex ſucco Cannæ ſachariferæ expreſſo, coctione, deſpumatione, & lixivii terreo-alcalici, e calce viva & cineribus, vel ſola calce confecti, additione paratum. Referente enim B. STAHLIO, *a* ex arundinibus, *Mambu* dictis, per molas conquaſſato-

a) In Fundam. chymiæ dogmaticæ, & experimentalis p. 69

quaſſatorias ſuccus, quo turgent, exprimitur', & ſtatim, ne corrumpatur, in ahenis æneis coquitur. Sub coctione partes feculentæ oleoſo-lignoſæ leviores ſub ſpumæ forma ſuperficiem, craſſiores ac graviores terreæ autem fundum petunt. Vtrarumque ſegregatio adjuvatur per lixivium, e calce viva & cineribus, vel e ſola calce viva paratum. Quumprimum enim illud immiſcetur, cum acidioribus ſucci partibus connubium ſubit, partes terreæ & oleoſæ craſſiores autem partim ad ſuperficiem adſurgunt, partim ad fundum præcipitantur. Ablatis ſupernatantibus levioribus per cochlearia ferrea cribriformia, liquor reſiduus ſpiſſiuſculus ulterius ad ſufficientem incoquitur conſiſtentiam, & deinde, formis figulinis pyramidalibus infuſus, in loca ſubterranea frigidiuſcula ponitur, tandemque, poſtquam ſoliditatem aliquam ibi nactus fuit, æſtui ſolari exponitur, ut penitus exſiccetur. Sub refinatione, ſeu repetita ſolutione, coctione, deſpumatione, &c., ſemper prædictum lixivium de novo infunditur, ut ſacharum tandem debitam conſiſtentiam, debitumque candorem conſequatur. Vnde conſtat, admixtam ſubſtantiam terreo ſalino-alcalicam baſin præbere, partes acidas autem, principio oleoſo-inflammabili obvolutas, & contemperatas, eidem ita adhærere, ut inde corpus quoddam unguinoſo-terreo-ſalinum cryſtallinum reſultet.

II. Spiritus manifeſto quidem ſapore acido pollet, non perfecte tamen puro, ſed oleoſo-empyreumatico leniſſime remixto, & adhuc recens halitu ſuo acri & aliquantulum balſamico mobiliſſimo nares,

nares, inſtar armoraciæ raſpatæ, raphani & ſimilium, acutiſſime ferit. Maxima igitur halitum ſpiritus ſachari recentis, & halitum plantarum quarundam acrium, quas vulgo antiſcorbuticas vocant, ſimilitudo intercedit, ut ideo etiam natura poſterioris ſpiritu ſachari optime illuſtrari poſſit. Partibus acidis ſubſtantia oleoſo-inflammabilis tenerrima arcte ſociata eſt, quod ex colore, odore, ſapore, & flavis quoque maculis, quas cuticulæ inſtillatus relinquit, ſufficienter cognoſcitur.

III. Spiritus ſachari, ad guttas 10. 20. 30. in vehiculo adpropriato propinatus, ſudorem leniſſime movet, urinam pellit, ſolida ad vegetiorem contractionem blando ſtimulo excitat, & ideo in febribus malignis, ſcorbuto, calculo, nephritide ſabuloſo-pituitoſa, iſchuria, rheumatiſmo ſcorbutico, &c., non contemnendum præſtat auxilium.

SPIRITVS MELLIS

REC. Mellis deſpumati libras II., ſalis decrepitati uncias ſex. Mixta, & cucurbitæ vitreæ indita, in balneo arenæ, igne moderato, ſenſim augendo, deſtillentur; ſic primo phlegma, poſtea ſpiritus flavus oleoſo-acidus, tandemque igne auctiori paucum oleum brunni coloris expellitur. LEMERY ex mellis optimi libris duabus, ex cucurbita terrea magna deſtillatis, primo aquæ claræ uncias ſex obtinuit. Hæc aqua odorem mellis

lis ſpirabat, &, licet inſipida eſſet, acidi tamen quidquam in ſinu fovebat, cujus præſentia ex colore rubente, quem tincturæ tornæ ſolis inducebat, innotuit. Continuata deſtillatione, accepit aquæ pellucidæ flavæ, grati odoris mellei, ſaporis acidi, acris, urentis, uncias quatuor. Aucto igne, nebulæ albicantes adſcendebant, quæ in receptaculo congregatæ, uncias tres ſpiritus rubri conſtituebant, qui empyrevmatico quidem, aſt non ingrato, odore & ſapore acido, acri, fervido pollebat, ac vivide cum alcalicis efferveſcebat. Ceſſantibus nebulis, denuo unciæ duæ aquæ, aurantio colore & ſapore acido, atque acri remiſſiori prædítæ, prodibant. Maſſa in cucurbita relicta valde erat expanſa, levis, nigra & pondere uncias ſex cum dimidia æquabat. Exemta, ac denuo, ſubſtrato igne violentiori, deſtillationi in retorta ſubjecta, dimiſit adhuc liquoris rubentis, valde empyrevmatici, ſaporis acidi, acris pungentis uncias ſeptem, & olei, inſtar picis, craſſi, nigri, acris, drachmas duas. Carbo, qui in retorta remanebat, uncias ſeptem, & drachmas ſex adhuc pendebat. [a]

Quoad

a) Vid. Memoir. de l'Acad. Royale des Sciences ann. 1706. p. 352.

QVOAD naturam, vires & uſum medicum ſpiritus mellis cum ſpiritu ſachari convenit, & pariter ad guttas 5. 10. 20. 30. poteſt propinari.

SPIRITVS LIGNI GVAJACI

REC. Raſuræ ligni Guajaci qu. pl. Immittatur retortæ terreæ loricatæ, &, capaci adplicato recipiente, ſpiritus, igne aperto, gradatim augendo, una cum oleo ſuo empyrevmatico evocetur. Oleum filtrando ſeparatur, liquor acidus autem ſuper alumen uſtum rectificandus eſt, ut concentratior evadat, & manifeſtum ac puriorem ſaporem acidum conſequatur.

SVDOREM hic ſpiritus, ad guttas 20. 30. exhibitus, movet, & cum tartari ſpiritu quoad vires reliquas valde convenit, adeoque officinæ etiam commode eodem carere poſſunt. Specificæ enim ac ſingulares virtutes, quas lignum poſſidet, poſt priſtinæ mixtionis deſtructionem, in ſpiritu non amplius quærendæ ſunt.

SPIRITVS ACETI, ET ACETVM DESTILLATVM SIMPLEX

INFVNDITVR cucurbitæ vitreæ aceti vini optimi qu. pl., &, adplicatis adplicandis, deſtillatio in arenæ balneo igne moderato inſtituitur; ſic in principio transſcendit liquor acidulus

acidulus, ſubtilis, mobilis, volatilis, qui verum aceti ſpiritum conſtituit: Huic deinde phlegma ſuccedit, multis particulis acidis remixtum, quod, mutato recipiente, ſeorſim excipiendum eſt. Quod reſtat acidum gravius, in cucurbita ægre adſurgit, & ideo etiam ex cucurbita in retortam vitream transfundendum, indeque poſtea in arenæ balneo acetum deſtillatum ordinarium proliciendum eſt, quod, relictis in retorta partibus impuris oleoſo-mucido-terreis, diaphanum ac limpidum quidem eſt, aſt ſpiritum prædictum gravitate, & acore longe ſuperat.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, VIRES ET VSVM MEDICVM ACETI DESTILLATI

I. CHYMICORVM plerique liquidum illud mobile acidulum, quod primo transſcendit, vilipendunt, aut penitus, ceu phlegma inutile, abjiciunt, quum illud tamen ſubtiliſſimam, maxime ſpirituoſam, adeoque præſtantiſſimam aceti partem conſtituat, &, intuitu uſus medici interni, vulgari, crudiori, graviori ac comparative ſegniori acero deſtillato longe præferendum ſit. Abundat quidem partibus aqueis, at iſtud parum refert, cum defectus memoratus doſi largiori compenſari poſſit.

II.

II. Acetum deſtillatum, præſertim portio ſubtilior ſpirituoſa, ad praeſtantiſſima medicamenta jure referendum eſt. Egregie enim bilis, ſanguinis & humorum reliquorum expanſionem refrenat orgaſticam, partes ſanguinis urinoſo-oleoſo-inflammabiles, nimium expanſas & commotas, temperat, imminentem putredinem avertit, præſentem cohibet, hæmorrhagias exorbitantes ſiſtit, & nihiloſecius ſudorem movet, contractionem ſolidorum vividam reddit, et in morbis variis complures egregios præſtat effectus, quos dudum in antecedentibus ex BOERHAAVII *Chemia* fuſius recenſui. Admiſcetur potulentis & potiunculis aquoſis, vel etiam per ſe in commodo propinatur vehiculo. Doſis ſpiritus aceti ſubtilioris ad drachmam unam vel alteram, concentrationis vero aceti deſtillati ſaltem ad guttas 10. 20. 30. 40. adſcendit. Externe liquidum utrumque, excitandi fine, in lipothymia, ſyncope, & apoplexia ſanguinea, naribus admovetur, & frequentiſſime quoque epithemata refrigerantia & antiputredinoſa, in gangræna, ſphacelo, ambuſtis, inflammationibus aliis etc., adplicanda, ingreditur.

ACETVM BEZOARDICVM

REC. Baccarum juniperi, lauri, ana unciam dimidiam, rad. angelicæ, diptamni albi, enulæ, oſtrutii, pimpinellæ, tormentillæ, valerianæ, vincetoxici, zedoariæ, ana drachmas ſex, fol. rutæ hortenſis, ſalviæ, ſcordii, flor. calendulæ, lavendulæ,

meliſſæ, roſarum rubrarum, ana unciam ſemiſſem, flaved. cort. aurantiorum, citri, ligni ſantali citrini, ana drachmas tres, caryophyllorum, macis, myrrhæ, ana drachmas duas, ligni ſaſſafras, unciam ſemis.

Groſſiuſcule pulveriſatis aceti florum tunicæ libræ tres adfunduntur, & infuſum in vaſe probe clauſo adſervatur.

ACETVM hoc, ob ſociatas partes oleoſas & gummeo reſinoſas amaras, & balſamicas, vires bezoardicas majores, quam acetum ſimplex, poſſideret, vel tamen poſſidere creditur, & ideo etiam magni æſtimatur in peſte & quibusvis morbis putredinoſis & malignis, nec minus externe adplicatum in gangræna, ſphacelo, morſu & ictu animalium rabidorum ac venenatorum. Interne ad unum vel bina cochlearia, ſi ſcilicet acetum ſimplex purum loco deſtillati ſpeciebus prædictis fuerit ſuperfuſum, exhibetur: Sin vero adhibitum acetum deſtillatum, una vel duæ drachmæ cum aqua quadam diapnoica propinandæ, ſufficiunt.

ACETVM PROPHYLACTICVM

REC. Rad. angelicæ, zedoariæ ana unciam unam, petaſitidis uncias duas, fol. rutæ hortenſis, uncias quatuor, meliſſæ, ſcabioſæ, flor. calendulæ, ana uncias duas, nucum juglandium immaturarum conſciſſarum libras duas, pomorum citriorum recentium diſſectorum, libram unam.

Contu-

Contuſis aceti vini optimi, vel vulgaris, vel in arenæ balneo ad quartæ partis remanentiam per ſe e cucurbita vitrea deſtillati, libræ duodecim ſuperfunduntur, &, præmiſſa viginti circiter horarum digeſtione, acetum igne moderato denuo a ſpeciebus abſtrahitur, & adſervatur. Monendum tamen adhuc eſt, deſtillationem non æque neceſſariam eſſe, & ſola infuſione ac digeſtione ſpecierum cum aceto vulgari nondum deſtillato, hoc medicamentum parari poſſe.

CONVENIT quoad vires & uſum cum aceto bezoardico, & eadem quoque doſi interne propinatur.

ACETVM RVTACEVM

REC. Summitatum rutæ hortenſis, libram unam, & aceti vini optimi libras tres vel quatuor. Digerantur ad radios ſolares, vel in alio loco temperate calido, &, peracta extractione, acetum colatum adſervetur, vel infuſio cum floribus recentibus adhuc ſemel repetatur, ut acetum pluribus partibus oleoſo-reſinoſo - gummeis imprægnetur.

QVOAD vires, uſum ac doſin cum aceto bezoardico convenit, licet ex unico ſaltem ſimplici fuerit paratum. Simili methodo etiam aceta medicata alia, v. g. *acetum calendulæ*, *roſarum*, *violarum*, *flor. ſambuci*, *tunicæ*, etc., præparari poſſunt.

ACETVM SCILLITICVM

REC. Rad. ſcillæ præparatæ, h. e. exſiccatione ac leniter toſtæ, & in taleolas diſſectæ, libram unam, eidemque aceti vini optimi octo libras medicas adfunde, &, præmiſſa ſufficienti digeſtione atque extractione, acetum transcolatum in vaſe probe obturato adſerva.

EST medicamentum valde activum, quod ſpecifice laudatur in adfectibus pectoris, aliorumque viſcerum, a craſſa & tenaci pituita obortis, quam, incidendo, & vegetiores ſolidorum contractiones ſuſcitando, reſolvit & attenuat. Apud adultos datur a drachma dimidia ad integram, ultra quam doſis haud debet adſcendere. Nam una aceti drachma principia activa ac ſolubilia ex octo propemodum ſcillæ granis continet. Credunt quidem nonnulli, acetum activitatem ſcillæ minuere, & principium activum obtundere; at veritati hoc minus conſentaneum eſſe, adcuratius ſcillæ examen chymicum me dudum docuit. Apud infantes, tuſſi pituitoſo-ſuffocativa laborantes, gutræ 5. 10. 15. 20., cum ſyrupo quodam aut melle roſarum remiſcendæ, ſufficiunt, vel hujus mixturæ loco ſimillimum *Oxymel ſcilliticum*, in officinis jam præparatum, in uſum trahendum erit.

CAPVT

CAPVT II
DE
SPIRITIBVS ALCALICIS SEV VRINOSIS

§. I

ALTERAM ſpirituum claſſem genericam conſtituunt *ſpiritus urinoſi*, qui ex *phlegmate* conſtant, & *mobiliſſimo*, ac *valde volatili ſale alcalico*. Nulla ſingularis cohæſio atque unio utrumque intercedit principium, ſed ſalinum in phlegmate duntaxat ſimpliciter ſolutum eſt, & ideo etiam facile ac brevi tempore, niſi totum, maxima tamen ex parte, vel evaporando in vaſe aperto, vel deſtillando in cucurbita, ab aqua, quæ ſaltem vehiculum, menſtruum, matricem præbet, poteſt ſegregari, adeo, ut nil fere, niſi merum phlegma, priſtina volatilitate & activitate ſpoliatum, remaneat. Poteſt tamen eidem illico indoles ſpirituoſa & activitas reſtitui, ſi denuo ſufficiens ſalis volatilis ſicci quantitas in illo diſſolvatur.

§. II

SALIA urinoſa ſeu alkalia volatilia ex *terra tenerrima ſolubili*, *acido pauco*, et *ſubtili ſubſtantia oleoſo-inflammabili*, intime invicem unitis, componuntur, et ex iiſdem, vel *putredinis*, vel *ignis ſicci ac violenti* beneficio,

producuntur: Vnde conſtat, oleum inhærens plerumque *ſimpliciter fœtidum* eſſe, vel *empyrevmaticum*.

§. III

A PRINCIPIO oleoſo, quod partim mixtionem ſalis intimiorem ingreditur, partim moleculis ſalinis obiter ſaltem adhæreſcit, volatilitas, et a differenti ejus indole exigua pariter ſalium urinoſorum differentia ſpecifica primario derivanda eſt: Ablato enim per reiteratam ſpiritus vini rectificatiſſimi adfuſionem & digeſtionem oleo ſpecifico, ex diverſis ſalibus urinoſis, v. g. C. C. eboris, ungulæ alcis, cranii humani, ſanguinis, &c., unum idemque ſal alcali urinoſum, longe minoris tamen deinceps volatilitatis, relinquitur, et ex ſale volatili ſalis ammoniaci, quod omnium exiſtit puriſſimum, olei fœtidi aut empyrevmatici diverſi additione, diverſa pariter ſalia volatilia alcalia poſſunt parari, adeo, ut, oleo cornu cervi foetido ante deſtillationem mixturæ e cineribus clavellatis & ſale ammoniaco parca quantitate adfuſo, ſal volatile cornu cervi, addito oleo ſanguinis empyrevmatico, ſal volatile ſanguinis, &c., inde reſultet, quod ab ordinario, ex cornu cervi & ſanguine exſiccato ſimplici deſtillatione educto, neque indole, neque viribus diſcernitur.

§. IV.

§. IV

LAVDATVM principium oleoſum, aut ſaltem tenerius inflammabile, etiam vim poſſidet, ſimul adjuvante calore ſalia alcalia fixa in volatilia transformandi. Nam ex mixtura ſalis tartari & olei terebinthinæ, (ut plura alia experimenta, alibi *a* pridem deſcripta, ſilentio prætermittam,) tritura in pultis formam redacta, poſt præmiſſam aliquot hebdomadum digeſtionem in cucurbita, notabilis ſalis urinoſi quantitas deſtillando poteſt educi, & ex tartari partibus duabus & parte una nitri pulveriſatis, mixtis & in candente crucibulo accenſis, non tantum ſal alcali fixum generatur, ſed ſub detonatione urinoſus quoque halitus adſurgit..

§. V

SVBJECTA quædam jam ante deſtillationem ſal urinoſum in mixtione ſua fovent reconditum, & illud proinde hac vel alia operatione chemica ſaltem educitur, vel demum in aliis, uti ſupra pridem dictum fuit, putrefactione, aut ignis ſicci ac violenti ope ſub deſtillatione, producitur. *Educitur* v. g. ex ſale ammoniaco; ex parte *educitur*, ex parte *producitur* in partibus animantium tum

a) In Mat. med. p. 175.

ſolidis, tum liquidis, ut oſſibus, dentibus, cornibus, ungulis, ſanguine, urina, & partibus aliis, quarum mixtionem ſal ammoniacale tenerrimum, multæ tamen pinguedini oleoſæ involutum, ingreditur, & demum denique *producitur* in vegetabilibus quibusdam, præſertim partibus acidis & oleoſo-reſinoſo-gummeis valde prægnantibus, ſi in putredinem abeant, aut igne ſicco violento deſtillentur, ac comburantur.

§. VI

SEPARATIONI ſalis urinoſi apud ſubjecta nonnulla ſolus ignis ſufficit, apud alia autem requiruntur additamenta, quæ ſpumeſcentiam & expanſionem nimiam impediunt, ut *cineres*, *arena*, etc., vel acidum ligans auferunt, ut *calx viva*, *ſalia alcalia fixa*, etc. Ex oſſibus, ungulis, cornibus, dentibus, carne indurata, ſanguine exſiccato & ſimilibus ſpiritus urinoſi absque additamento in retorta terrea loricata expelluntur, urinæ aliquantulum inſpiſſatæ autem, vel adhuc perfecte liquidæ, quæ alias adeo ſpumeſcit, & expanditur, ut, deſtillatione etiam in cucurbita humiliori ſuſcepta, integra in receptaculum transſcendat, cineres aut arena, & ſali ammoniaco calx viva aut ſalia fixa alcalia in cucurbita adduntur, quæ acidum ligans avellunt,

lunt, &, cum eodem in novum ſal medium, ammoniacali longe fixius, combinata, partibus urinoſis, a compedibus ſuis hac ratione perfecte liberatis, evolandi libertatem concedunt.

§. VII

SPIRITVS urinoſi ſimplices ſunt liquores valde mobiles, volatiles & activi, qui validam ſuam ac promptam operationem triplici modo in corpore humano exercent, nimirum 1) *deſtruendo acidum coagulans*, 2) *ſolida nervoſo-membranacea fortiter irritando ad vegetiorem contractionem*, & 3) *principia ſanguinis oleoſo-inflammabilia & ſalina expandendo, commovendo, atque vehementi hac commotione & validiori ſolidorum preſſione, fluida ſpiſſa ac mucida diſſolvendo.* Creſcit haec activitas accedente corporis calore, & perenni humorum circulo, & ideo etiam unica ejusmodi ſpiritus guttula majorem in corpore vim exſerit, quam extra illud duæ vel tres guttæ, & majorem pariter in corporibus ſiccis cholericis, quæ circulo ſanguinis celeriori pollent, quam in ſegnioribus phlegmaticis: Vnde conſtare exiſtimo, caute haec medicamina, & maxima circumſpectione, præſervandi ac curandi fine, exhibenda eſſe.

§. VIII

LOCVM ſolummodo ſpiritus urinoſi inveniunt in morbis frigidis, ex ſolidorum nimia humiditate, laxitate ac torpida vi contractili, nec minus ex viſcida, mucida, & acido-tartarea humorum indole, partis ſeroſæ abundantia, & principii ſalino-oleoſo-inflammabilis depreſſione oriundis, v. g. in coryza, adfectibus ſoporoſis, apoplexia pituitoſa, febre catarrhali benigna, ſuſurru & tinnitu aurium, mucidi ceruminis effluxu ſtipatis, lipothymia, ſyncope, raucedine, tuſſi, aſthmate pituitoſo, & pituitoſo-cachectico, colica & cardialgia flatulenta, cachexia, oedemate pedum ac manuum, adfectibus ſcabioſis, & morbis ſimilibus, quæ calefacientia, commoventia, diſcutientia, ac ſudorifera primario ad ſui curationem expoſcunt. Vt uſus internus tamen ſemper evadat ſecurior, neceſſe erit, ut volatilia hæ medicamenta 1. *doſi exigua*, & 2. *in vehiculo temperato*, præprimis *aqueo largiori*, ægris propinentur.

§. IX

EXTERNE vario pariter uſu ſeſe commendant. Excitandi enim ac roborandi fine apud ſyncopticos, ſoporoſos, apoplecticos, aliisque capitis morbis pituitoſis laboran-

borantes, naribus admoventur, vertici inſtillantur, atque ſuturis illinuntur, aut alio modo, diſcutiendi ac confortandi ſcopo, huic vel illi parti adplicantur in inflammationibus ſeroſis, tumoribus, præſertim glandularum, frigidis, oedematoſis, relaxatione atque debilitate ligamentorum, maxime poſt prægreſſas luxationes, ut & in dolore capitis, adfectibus rhevmaticis frigidis, cachexia, anaſarca, oedemate pedum, paralyſi, colica & cardialgia flatulenta, melancholia, epilepſia, & aliis adfectibus convulſivis.

§. X

QVEMADMODVM ſpiritus urinoſi, tempeſtive adhibiti, in multis morbis egregiam ferunt opem; ſic ob inſignem, qua pollent, activitatem, multum quoque noxæ poſſunt inferre, ſi apud ſubjecta ſicca, bilioſa, cholerica, plethorica, vel etiam in morbis calidis imprudenter exhibeantur, aut externe adplicentur. Abſtinendum igitur ab illis eſt in morbis, qui ſanguinis abundantiæ, orgaſmo, ebullitioni bilis fervidæ, aut inſigniori ſolidorum ſiccitati & ſtricturæ ſpaſticæ, vel exorbitanti etiam motui oſcillatorio præcipuam debent originem; uti ſunt febres ardentes, inflammatoriæ, putridæ malignæ, lentæ, hecticæ, inflammationes viſcerum, hæmor-

hæmorrhagiæ exorbitantes, apoplexia ſanguinea, aſthma ſanguineo-ſpasmodicum & ſiccum convulſivum, nec minus dyſenteria, cholera, mania & ſic porro.

SPIRITVS VRINOSI VSITATIORES

Spiritus ſalis ammoniaci | *Spiritus eboris*
- cornu cervi. | *- lumbricorum terreſtrium.*

SPIRITVS SALIS AMMONIACI VRINOSVS

REC. Salis ammoniaci pulveriſati, & ſalis tartari puri, vel hujus loco cinerum clavellatorum, aut calcis vivæ recentis, ana partes æquales. Sal ammoniacum ſolvatur in ſufficienti quantitate aquæ ſimplicis, & ſolutioni, antea, ſi placet, etiam filtratæ, addantur cineres clavellati, aut ſal tartari, aut calx viva, & deſtillatio in cucurbita, arenæ balneo impoſita, adplicatis adplicandis, igne in principio, præſertim, quando ſal volatile ſiccum adſcendere incipit, valde moderato, adornetur, & tamdiu continuetur, donec phlegma ſuccedens ſal ſiccum, alembico inhærens, penitus diſſolverit, & ſecum abduxerit in receptaculum. Monendum tamen, ſal ſiccum albiſſimum, & inſtar frondium atque arbuſculorum internæ alembici ſuperficiei ſeſe adponens,

nens, adjecto ſaltem ſale alcalico completo in principio ſeorſim adſurgere, addita vero calce viva nihil plane in conſpectum venire, ſed idem ſtatim cum phlegmate, adeoque inviſibiliter in recipiens tranſire.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM HVJVS SPIRITVS

I. SAL ammoniacum officinale, quod alii etiam *ſal armeniacum* vocant, eſt ſal medium factitium, ſingulari ſublimatione in Ægypto paratum, & ex acido ſalis culinaris, aut marini, & ſale volatili urinoſo, partim animalis, partim vegetabilis originis, ea componitur proportione, ut urinoſum longe ſal acidum ſuperet, & hoc ſeſe ad quantitatem illius fere ut 1. ad $4\frac{1}{2}$. habeat. *α*) Pauxillum præterea olei empyreumatici huic ſali, præſertim nondum nova ſublimatione depurato, inmixtum eſt, quod inter alia ex leni detonatione patet, quæ accidit, quoties ſalis hujusmodi pulveriſati portio nitro in crucibulo fluenti injicitur.

II. Addito ſale alcalico completo ſal volatile, uti antea pridem dictum, præcedit & alembico adhæreſcit, phlegma ſequitur, & ſal denuo abluit; mixta vero calce viva ne micula ſalis ſicci in conſpectum prodit, ſed confeſtim ab initio usque ad finem

finem deſtillationis cum phlegmate ſub limpidi ſpiritus forma transſcendit. Quando deſtillationis initio ſal volatile adſurgere incipit, in fundo cucurbitæ totius maſſæ ſuperficies ſpuma copioſa & albiſſima obducitur, & illa, cum ſucceſſivo tamen decremento, tamdiu perdurat, usque dum omne ſal volatile evectum ſit. Ignis tunc temporis valde moderatus ſubſternendus eſt, ne, gradu ejus nimium aucto, vapores elaſtici periculoſam vitri rupturam efficiant.

III. Adjecto ſale alcalico completo, novum ſal neutrum, ammoniacali fixius, generatur, quod aqua extractum, &, præmiſſa filtratione & evaporatione, cryſtalliſatum, in cryſtallos cubicas concreſcit, ac vulgo *Sal digeſtivum Sylvii* vocatur. Nam alcali fixum, ob majorem affinitatem, cum acido ſalis culinaris coaleſcens, alcali volatile ſeu urinoſum e mixtione deturbat, & illud deinde, ab acidi compedibus liberatum, partim ob propriam volatilitatem adſurgit, partim etiam ignis actione pellitur in ſublime, atque a phlegmate inſequente ſolvitur. Mixta loco ſalis alcalici calce viva, in capite mortuo ſic dictum *ſal ammoniacum fixum* remanet, quod nihil aliud eſt, niſi mera ſolutio calcis vivæ, ab acido ſalis facta, & ideo falſo a quibusdam pro ſale alcalico, aut ab aliis pro ſale neutro perfecto habetur. Si magma hoc ſalino-terreum ad conſiſtentiam ſiccam ac ſolidam deducere placet, caput mortuum aqua extrahendum, ſolutio filtranda, & plenaria aquæ evaporatione ad ſiccitatem redigenda eſt. Magma ſalino-terreum facile iterum in aere deliqueſcit, & colo-

colorem ex cinereo-nigricantem obtinet, poſt fuſionem vero & calcinationem in crucibulo, ac novam deinde ſolutionem, evaporationem & inſpiſſationem, ſemi diaphanum evadit, & ex flavo-albicantem induit colorem.

IV. Probabile eſt, adjecto ſale completo alcalico, ſalis urinoſi quantitatem aliquantulum augeri. Quando enim moleculæ quædam ſalis alcalici fixi pauxillum de ſubtili ſubſtantia oleoſa, quæ ſali ammoniaco inhæret, imbibunt, aliquam conſequuntur volatilitatem, & ab igne ſimul evehuntur in altum; quod cauſſa quoque eſſe videtur, cur TOVRNEFORTIVS ex una ſalis ammoniaci libra uncias quindecim ſalis volatilis urinoſi eduxerit.

V. Spiritus ſalis ammoniaci, cum calce paratus, longe ſubtilior ac penetrantior eſt, quam qui addito ſale alcalico deſtillatus fuit. Calx viva enim vim poſſidet, terram tenerrimam, quæ ſalis ſicci volatilis mixtionem ingreditur, quodammodo, immo, ſi ſpiritus vice ſæpius reiterata ſuper calcem vivam abſtrahatur, penitus deſtruendi, adeo, ut ſpiritus tandem volatilitatem & odorem penetrantem plane amittat; quemadmodum id B. NEVMANNVS in *Lectione de Sale ammoniaco p. 260.* experimentis demonſtravit. Hoc quoque cauſſa exiſtit, ut ſub deſtillatione hujus ſpiritus cum calce nullum ſal volatile ſiccum & ſubſtantiale in conſpectum veniat, & ſpiritus pariter cum acidis inſtillatis parum vel nihil effervesçat. Nam ſal volatile, ob notabilem terræ jacturam, ſalis ſicci & ſubſtantialis, aut rectius craſſio-

craſſioris, viſibilis, formam amplius induere, & fortiorem efferveſcentiam cum acidis gravioribus, ob ſubtilitatem eminentem, ſubire nequit. Alii credunt, cum ſpiritu urinoſo ſimul ex calce viva tenerrimas quaſdam partes ſulphureas, vehementi calcinatione ex ſubſtantia terreo-unguinoſa minerali lapidis calcarii productas, transſcendere, & ſali urinoſo, per terræ deſtructionem aliquam jam ſubtiliori reddito, majorem volatilitatem, penetrantiam & indolem quaſi igneam conciliare; quæ ſententia etiam, me judice, cum priorem haud deſtruat, ſimul admitti poterit.

VI. Vſum ſpiritus ſalis ammoniaci, cum calce parati, internum plerique penitus interdicunt, & alterum duntaxat interne adhibent: Verum pro mea ſententia ille quoque uſum internum invenire poterit, ſi ſaltem provide, doſi exigua, & in largiori vehiculo aqueo propinetur. Non video enim, qualem noxam major partium ſalinarum ſubtilitas, & adhæreſcens tenerrima ſubſtantia ſulphurea per ſe adferre poſſint. Pertinet hic ſpiritus ſive cum calce, ſive cum ſale alcalico paratus ſit, inter fortiſſima medicamenta commoventia, diſcutientia, ſudorifera, atque interne æque ac externe in omnibus proinde morbis, qui urinoſa poſtulant remedia, & in præcedentibus indicati fuerunt, adhiberi poteſt. Doſis interna a guttis quinque ad 10. 20. 30., adſcendit.

SPIRI-

SPIRITVS CORNV CERVI SIMPLEX

IMPLEATVR retorta, terrea, loricata, capax, fruſtis minoribus extremitatum C. C., quæ commode inmitti, & iterum eximi poſſunt, ad dimidium, vel ad duas partes tertias, &, adplicato roſtro intermedio recipiente capaciſſimo, deſtillatio igne carbonum immediato, primum moderato, poſtea auctiori, tandemque fortiſſimo, inſtituatur; ſic primo phlegma exſtillabit, deinde autem ſpiritus, oleum empyrevmaticum ſubtilius, & ſal volatile, quod ultimum partim in phlegmate ſolvitur, partim receptaculi lateribus ſeſe adponit, ſub albicantium nebularum forma, tandemque oleum craſſum nigricans, prodibunt. Peracta deſtillatione, & nebulis perfecte ceſſantibus, laudata producta ex receptaculo eximuntur, oleum filtrando ſeparatur a ſpiritu, & ſal volatile ficcum vel ſeorſim adſervatur, vel in ſpiritu diſſolvitur, ut deinde in cucurbita, arenæ imponenda, ſuper cineres ſimplices cribratos, aut clavellatos rectificatus, penetrantior evadat. Caput mortuum terreum, ob partes oleoſo-fuliginoſas adhuc adhærentes, nigerrimum, vel ita reponitur, vel in olla aperta, in furno figulino collocata, ulterius calcinatur,

ut, expulsis partibus fuliginosis, perfectam consequatur albedinem.

VIA magis compendiaria spiritus C. C illico purus ac penetrantissimus obtinetur. quando in cucurbita sali ammoniaco pulverisato, & cineribus clavellatis contusis, & anatica proportione mixtis sufficiens aquæ simplicis quantitas, & parum olei C. C. foetidi adfunditur, & destillatio deinde in arenæ balneo methodo consueta adornatur. Oleum enim specificum imbibitur a sale volatili urinoso salis ammoniaci, & hoc ideo specificam pariter salis C. C. indolem nanciscitur. Spiritus hoc modo paratus vulgari longe penetrantior est, si justa inter aquam, salia & oleum proportio, quam quilibet, ad salis ficci proventum sub destillatione respiciens, facillime determinare poterit, observata fuerit. Sufficiunt ad uncias quatuor salis ammoniaci, totidemque cinerum clavellatorum drachmæ duæ olei empyrevmatici: Addita enim nimia olei quantitate, spiritus rubellus, immo plane ruber evadit. Ex capite mortuo sal digestivum, partibus oleosis empyrevmaticis remixtum, adeoque flavescens, elexiviari potest.

* *
*

NOTAN-

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM HVJVS SPIRITVS

I. RECIPIVNTVR extremitates C. C. in frustula dissectæ, quoniam medulla carent, & compactiori pollent textura. Ex medulla enim multum quidem olei, parum vero salis volatilis elicitur, in compactis contra extremitatibus major salis volatilis, minor olei quantitas latet. Plerumque, destillatione rite peracta, & juncturis probe clausis, ex libra una civili conjunctim sex aquæ, spiritus, & olei unciæ eliciuntur, & relictum caput mortuum adhuc novem vel decem uncias pendet.

II. Sub destillatione moderatum ignis regimen tamdiu observandum est, donec subtiliores & impetuosiores nebulæ, quæ facile vasorum rupturas efficiunt, expulsæ & cum phlegmate prægresso unitæ fuerint, deinde autem ignis successive, & ad ultimum usque gradum, augendus est.

III. Convenit hic spiritus, rectificatione depuratus, quoad indolem ac vires, cum spiritu salis ammoniaci, addito sale alcalico parato, præterquam, quod, ob adhærentes copiosiores partes oleosas, remissiori acredine, & majori contra virtute calefaciente & sudorifera polleat. Datur a guttis 5. ad 10. 20. 30.

IV. Methodo descripta utraque etiam destillari possunt *spiritus eboris*, *cranii humani*, *ungulæ*

alcis, *dentis hippopotami*, *ſanguinis exſiccati*, & ſimilium: Monendum ſaltem, ſanguine exſiccato quartam duntaxat retortæ partem replendam, & ignem in principio moderatiſſimum admovendum eſſe, ne, quod alias facile fieri conſuevit, valde intumeſcens maſſa cruenta retortæ orificium repente obſtruat, & ſic ſpiritus incarcerati mobiliſſimi ac ſumme elaſtici periculoſiſſimam retortæ diſruptionem efficiant. Natura cæteroquin & virtute medica diverſi hi ſpiritus parum inveniuntur diſtincti, & alter proinde alteri commode ſubſtitui, immo C. C. ſpiritus ſingulorum vicibus defungi poterit.

SPIRITVS LVMBRICORVM TERRESTRIVM

REC. Lumbricorum terreſtrium repurgatorum, & conquaſſatione in pulpam quaſi redactorum, qu. pl., ſtent vaſe clauſo, donec putreſcere, & fœtorem urinoſum dimittere incipiant, tunc ex retorta vitrea, igne arenæ, deſtillentur, ſic ſpiritus & oleum in receptaculo colliguntur, quæ deinde ſeparanda & rectificanda ſunt. Alii lumbricos exſiccatos recipiunt, & abſque prævia putrefactione, ſpiritum & oleum methodo, apud C. C. ſpiritum deſcripta, prius tamen aquæ pauxillo recipienti infuſo, proliciunt, & hæc methodus quoque pro meo iudicio præcedenti præferenda eſt.

PRÆTER ſpiritum lumbricorum mere urinoſum etiam alius cum ſpiritu vini paratur, at, cum ille magis inflammabilis, immo, evitata in fine lumbricorum combuſtione ficca, perfecte inflammabilis ſpiritus ſit, nihil de eo hoc loco dicendum eſt.

VVLGO hic ſpiritus laudatur tanquam ſingulare & ſpecificum remedium in arthritide, epilepſia, aliisque convulſionibus, nec minus in aſthmate, hydrope, ictero, paralyſi, ſuppreſſione urinæ, &c. Verum, nullam ego video rationem, cur hic ſpiritus præ aliis urinoſis prærogativam in memoratis morbis obtineat, & potius credo, hoc medicamentum, ſi adfectus recenſiti ab acrimonia bilioſa, aut ſanguine abundante, ac præternaturaliter commoto originem ducant, perſæpe plus noxæ, quam utilitatis adferre. Pro mea igitur ſententia eadem præſtat, quæ alii ſpiritus urinoſi interne & externe præſtare valent. Datur, ſi uſus placet, a guttis 5. ad 10. 20. 30. Externe linimenta antiparalytica, antarthritica & anodyna ingreditur.

CAPVT III

DE SPIRITIBVS INFLAMMABILIBVS

§. I

SPIRITVS *inflammabiles*, *ardentes*, *vinoſi*, *ſulphurei*, phlegmate ſeparabili, aliisque partibus heterogeneis oleoſis aut ſalinis perfecte liberati, liquida ſiſtunt tota absque fumo ac fece inflammabilia, aqueo-phlogiſta, adeoque oleo, tenerius reſoluto & in phlegmate extenſo longe ſimpliciora, quæ aquam & olea ſubtilitate, mobilitate, volatilitate, ac levitate longe ſuperant, & cum priori promptiſſime miſcentur. Quando enim alcohol, cum aqua aut oleo remixtum, deſtillatur, ſemper concentratiſſima ſpiritus inflammabilis portio præcedit, eaque ad gradum ignis 180 ebullit; ad aquæ autem ebullitionem gradus ducenteſimus & decimus tertius requiritur. Admota quoque flamma, illico accenditur, &, in vaſculo mundo citra ſtrepitum flamma acuminata, placidiſſima, ſubcœrulea deflagrans, nullum plane fumum, multo minus ſuliginem, ſpargit, ac nullas pariter feces poſt plenariam conſumtionem relinquit; quum olea ex adverſo, licet ſint puriſſima, ſub combuſtione multum fumi atque ſuliginis evolvant, flamma magis ſtridula

dula conſumantur, & aliquam materiam carbonariam aut cineritiam relinquant.

§. II

EX TENERRIMO duntaxat *principio inflammabili* ſeu *phlogiſto*, & *aqua*, arctiſſima tamen interveniente unione, nullo alio medio, niſi ſolo motu flammante, iterum diſſolvenda, componuntur, [a] & illi proinde a veritatis tramite aberrant, qui ſpiritus hoſce olea, in phlegmate extenſa, atque tenerrime reſoluta, eſſe opinantur. Si inflammabilis enim portio adhuc olei mixtione gauderet, ſpiritus ardentes, aquæ frigidæ infuſi, confeſtim lacteum colorem eidem inducturi eſſent; quod nunquam tamen fit, ſed illi, ſi alias perfecte puri, liberrime atque promptiſſime cum aqua miſcentur, & illa priſtinam limpiditatem ac pelluciditatem perfecte retinet.

a) COMPLVRES quidem obſervationes, complura experimenta in promtu ſunt, quibus laudata alcoholis principia conſtitutiva ignaris monſtrari poſſunt, ac demonſtrari; verum, cum bina experimenta, a BOERHAAVIO & STAHLIO primum communicata, reliquis in hoc paſſu palmam præripiant, illa ſola hoc loco recenſere placet. Recipitur ſcilicet cucurbita magna, anguſtioris tamen orificii, cujus fundus ita reſecatur, ut inde ſatis amplum foramen reſultet. Sub hac cucurbita, in menſa vaſculum

mundum, ſpiritu vini, phlegmate ſeparabili perfecte liberato, repletum, collocatur, atque ſpiritus deinde accenditur. Quo facto, alcohol, placidiſſime deflagrando, ſenſim conſumitur cum cucurbitæ incaleſcentia, at nihil relinquitur fecis, nec alius pariter vapor, niſi mere aqueus, odore, ſapore, acredine penitus deſtitutus, per anguſtum orificium ſuperius egreditur. α B. STAHLIVS β loco deſcriptæ cucurbitæ tres vel quatuor tubos conicos, e laminis ſtanno obductis paratos, quorum longitudo ulnam unam, capacitas duos vel tres pollices attingebat, ſingulari modo, loco citato uberius deſcripto, compoſuit, ſeu rectius, ſibi mutuo impoſuit, &, lampade, optimo ſpiritu vini plena, latiori & infundibuliformi tubi infimi aperturæ in loco tranquillo ſuppoſita, ellychnium ita temperavit, ut flammam exiguam & pacate ardentem, quam ſex ſpiritus boni unciæ totidem horas citra præfeſtinam ac nudam evaporationem alere poſſunt, præbuerit. Liquidum, in tubis frigidiuſculis ſucceſſive e ſpiritus diſſoluti vaporibus condenſatum, & collectum, per intervalla effudit, & abſoluta ſpiritus deflagratione, deprehendit, liquorem hunc, portione inflammabili flamma penitus conſumta, mere fuiſſe aqueum, & leviſſima ſaltem, ac vix ſenſibili imbutum ſalſedine; quæ pro meo tamen judicio nequaquam ex intimiori ſpiritus mixtione evoluta fuit, ſed ſine dubio, tanquam pars heterogenea, ſpiritui nondum ſatis depurato, aut ſuper ſalia rectificato, inhæſit vel etiam ex pauciſſima & tenerrima ellychnii combuſti fuligine ſuam traxit originem.

α) Vid. EIVSD. Chem. T. I.

β) Vid. EIVSD. Exper. & Obſ. chymicæ ac phyſ. p. III.

§. III

NONNVLLI ſpiritus fermentati ſeu inflammabilis mixtionem acidum quoque ingredi opinantur, & hypotheſin ſuam variis experimentis corroborare allaborant. Attamen, experimenta ab iis allata probanda neutiquam probant, & hujus ſententiæ patroni partes peregrinas, heterogeneas, ſub deſtillatione citra cohæſionem arctiorem inmixtas, cum partibus eſſentialibus ac veris conſtitutivis confundunt. Sub prima enim ſpiritus inflammabilis e liquore vinoſo, acido admodum prægnante, ſeparatione, quin ſæpius deinde abſque additamento ſalino alcalico reiterata deſtillatione, impediri nequit, quominus partes quædam acidæ ſubtiliores ſimul transcendant. Profecto, ſi acidum ad partes conſtitutivas pertineret, ſpiritus inflammabiles, ſub rectificatione acido peregrino per additum ſal alcalicum perfecte liberati, deteriores futuri eſſent ac debiliores; quod aperte tamen vulgari atque communi repugnat experientiæ, quæ cuivis potius monſtrat, ſpiritus inflammabiles, ſemel vel aliquoties ſuper ſal alcali abſtractos, concentratiſſimos, efficaciſſimos,

immo, particulis alcalicis inmixtis denuo per modicam olei vitrioli inſtillationem ablatis, puriſſimos evadere.

§. IV

IN NVLLA unquam planta aut viva plantarum parte completus ſpiritus inflammabilis a natura elaboratur, ſed ex ſuccis vegetantium dulcibus, ſubdulcibus, acidulo-dulcibus &c., liquor vinoſus fermentatione demum producitur, e quo ſpiritus inhærens ac ſimul genitus deſtillatione evocatur ac ſeparatur. Moleculæ enim terreo-mucilagineæ, aut reſinoſo-oleoſo-mucilagineæ, in phlegmate ſufficienter ſolutæ, ita protracto motu, inteſtino, fermentativo, attritorio, diſſolvuntur, ut inde variæ ſubtilitatis ac gravitatis ramenta terrea, ſalino-acida, reſinoſo-gummea, oleoſa, & phlogiſta teneriora prodeant, quæ, præcipitatis craſſioribus feculentis, & exhalatione pariter ablatis nimium vaporoſis & expanſivis, conjunctim, ſingulari tamen & ſpecifica interveniente miſcela, liquorem vinoſum conſtituunt: Specifica, inquam, interveniente miſcela; dum, teſte experientia, ex parte ſpirituoſa, & terreo-oleoſo-reſinoſo-mucilaginea, deſtillatione ſeparatis, ac denuo mixtis, priſtinus liquor vinoſus nunquam perfecte reſultet.

§. V

§. V

PARS ſpirituoſa, deſtillatione in cucurbita vitrea aut veſica ſegreganda, ex tenerrimis ac ſimilaribus ramentis phlogiſtis, ſub fermentatione, & inteſtino molecularum conflictu a ſubſtantia reſinoſo-oleoſo-mucilaginea, aut ſola ſaltem pingui mucilaginea detritis, conſtat; adeoque exigua ſaltem, vel rectius, nulla differentia ſpiritus inflammabiles puros, h. e., rectificatione ab adhærentibus partibus heterogeneis perfecte liberatos, etiamſi e diverſis liquoribus vinoſis deſtillando fuerint proliciti, intercedit, & ſpiritus ſachari purus cum ſpiritu puro frumenti, vini, baccarum juniperi, ſambuci, &c., quoad indolem ac vires tantopere convenit, ut alter alteri abſque ſcrupulo ſubſtitui, & officinæ proinde quibuſdam, qui in iis proſtant, citra verum diſpendium, carere queant.

§. VI

PRÆTER ſpiritus inflammabiles ſimplices, prævia fermentatione deſtillatos, in Pharmacopoliis etiam *mixti* ac *plus minusve compoſiti* reperiuntur, qui *confermentatione*, aut *ſimplici* ac *nuda* ſpiritus vini aut alterius inflammabilis *abſtractione* ſuper ſpecies parantur. Si confermentatio placet, liquoribus fermentationi aptis, v. g. muſto, ſacharo, in

ſuffi-

ſufficienti quantitate aquæ ſimplicis ſoluto, & coctione ad ſpiſſiuſculam denuo conſiſtentiam redacto, ſpecies aromaticæ & balſamicæ, præſertim pretioſiores ac teneriores, ut flores citri, aurantiorum, jasmini, &c., quæ ob ſubſtantiæ dulcis mucilagineæ penuriam, aut nimis calidam indolem, per ſe difficillime, vel nunquam, ad fermentationem poſſunt deduci, decenti quantitate, fermentationis motu incipiente, vel jam jam ad finem tendente, adduntur, aut ſaltem, ſuſpenſo ſacculo linteo rariori incluſæ, immerguntur, ut oleo ſuo æthereo grato & ſpecifico moleculas ſpirituoſas gratiori pariter atque ſpecifico odore & ſapore imbuant.

§. VII

SPIRITVS abſtractitii triplici modo parantur, nimirum deſtillatione & abſtractione ſpiritus vini, aut alterius inflammabilis 1) ſuper varias atque integras ſpecies, balſamico, aromatico, aut acri volatili principio prægnantes, 2) ſuper oleum quoddam æthereum, & 3) ſuper aquam quandam deſtillatam odoriferam. In caſu primo ſpiritus vini, frumenti, aut alius inflammabilis ſpeciebus aromaticis balſamicis, &c., ſufficienti quantitate in cucurbita vitrea, aut veſica cuprea, ſtanno intus probe obducta, adfunditur, & ſemel, vel aliquo-

quoties, recentibus ſemper adſumtis ſpeciebus, abſtrahitur, ut partes volatiles activas, quæ ſpecificum eidem odorem, ſaporem, & ſpecificas etiam vires conciliant, ſecum in receptaculum educat. In caſu ſecundo ſali tartari vulgari aut extemporaneo ſicciſſimo, cucurbitæ vitreæ injecto, oleum quoddam æthereum inſtillatur, & ſufficienti ſpiritus vini quantitate ſuperfuſa, deſtillatio more conſueto adornatur. In ultimo denique caſu ſpiritus vini aquæ cuidam deſtillatæ fragrantiſſimæ miſcetur, & deſtillatio tamdiu continuatur, donec ſtriæ pingues in alembico ceſſare, & meri vapores aquei ſeſe adponere incipiant. Si ſpiritus prima vice particulis aquæ odoriferis nondum ſatis imprægnatus ſit, ſemel vel aliquoties ſuper aquam recentem abſtrahendus, tandemque ſolitaria rectificatione a phlegmate ſuperfluo liberandus eſt.

§. VIII

SPIRITVS inflammabiles concentrati interne, juſta tamen doſi, propinati, ob mobilitatem, ſubtilitatem, atque igneam plane indolem, vires magnas, & ſub uſu tempeſtivo inſignes, in corpore humano vivo exſerunt, & merito inter præcipua commoventia, calefacientia, exſiccantia, roborantia, exhilarantia, inebriantia, ſudorifera & ſanguinem puri-

purificantia locum ſibi vindicant. Ad ventriculum enim & inteſtina delati, horum tunicas non tantum leni ardore ad vegetiorem fortioremque contractionem periſtalticam incitant, fibras contactu ſuo compactiores durioresque reddunt, & ſic adpetitum augent, atque digeſtionis negotium promovent, ſed inde etiam, calore in tenerrimas mutati exhalationes, brevi interjecta mora, per vaſa inhalantia ad ſanguinem & humores reliquos properant, eoſdemque ſecum in motum rapiunt velociorem, & ſic circuitum æque ac inteſtinum partium attritum intendunt: Vnde aliter fieri nequit, quin ſanguis reddatur ſubtilior, calor, præſertim cum ſpiritus ardentes adventu ſuo ipſam materiam calorificam ſubſtantialiter augeant, notabiliter increſcat, & liquidorum in nervos, ac fibras muſculares influxus, adeoque etiam robur, vis ſolidorum contractilis, nec minus ſe- & excretiones, præprimis urinæ & materiæ tranſpirabilis, augmenta capiant.

§. IX

EX memorato motuum, præſertim in numeroſiſſimis capitis ac cerebri vaſculis, augmento etiam exhilaratio mentis, immo, ſi motus juſto fortiores, celeriores, & aliquantulum inſuper irregulares evadant, ipſa temulentia,

lentia, quam ſpiritus inflammabiles & liquores vinoſi, majori copia adſumti, producere conſueverunt, derivanda eſt. Mobiliſſima enim portio ſpirituoſa, ad exiliſſimos cerebri mæandros devoluta, eminentiores edere conſuevit effectus, quoniam humores, cerebri vaſcula permeantes, ceteris ſubtiliores ſunt, & arterioſi præterea canales, cranii cavitatem ingreſſi, depoſitis tunicis antea robuſtioribus atque craſſioribus, ſortiuntur teneriores, quæ humoribus commotis, & expanſis tantopere, quam alibi, reſiſtere, adeoque illos intra arctiores limites naturales ſufficienter continere nequeunt: Vnde aliter ſane fieri non poteſt, quin primo aliqualis tubulorum nerveorum compreſſio, poſteaque, ſubſtantia commovente & expandente ſpirituoſa, vel perfecte iterum, vel maxima tamen ex parte, peripherica exhalatione diſſipata, ſolidorum quorumvis relaxatio, ac torpida contractio oboriatur; e quibus ſenſuum internorum & externorum hebetudo, torpor, & ebrietati tandem ſuperveniens ſomnus ſolito profundior & protractior neceſſario reſultant: quemadmodum hæc omnia in *diſſertatione* de *Noxa & utilitate ebrietatis* fuſius aliquando expoſui.

§. X

SPIRITVS ardentes ſpecialius proſunt in ſingulis morbis, qui ex nimia ſolidorum laxitate,

tate, humiditate & torpida contractione, nec minus ex mucida, crassa, inerti, aut nimium serosa, frigida, & impura humorum indole atque circulo eorum languidiori, itemque ex imminutis aut plane suppressis se- & excretionibus primariam ducunt originem, & ideo a practicis rationalibus, qui naturam individui ac veras morbi causas ante medicaminum exhibitionem probe considerant, cum fructu insigni propinari possunt in febribus intermittentibus, præprimis quartana, catarrhalibus benignis, inflammationibus serosis, apoplexia pituitosa, adfectibus soporosis, coryza, cephalalgia, odontalgia & otalgia mucido-serosa ac chronica, paralysi, vertigine, imbecillitate memoriæ, lipothymia, epilepsia cacochymica, debilitate visus, obauditione surditate, susurru & tinnitu aurium, melancholia, tussi, raucedine, dyspnoea, asthmate pituitoso, colica & cardialgia flatulenta, adpetitu imminuto & prostrato, digestione læsa, hydrope, ictero chronico, obstructione hepatis & lienis, suppressione mensium, lochiorum, hæmorrhoidum, partu difficili, secundinis retentis, fluore albo, diarrhoeis, vomitu, cachexia, oedemate pedum, adfectibus scabiosis, rheumaticis & arthriticis frigidis, scorbuto ac morbis similibus, immo locum pariter in venenis animalibus

libus ac vegetabilibus, ut & febribus malignis, aliisque, persæpe inveniunt.

§. XI.

QVANQVAM spiritus ardentes in plurimis morbis opem ferunt egregiam, non raro tamen etiam apud subjecta quædam, & in morbis quibusdam noxam notabilem creare valent. Plane igitur ab usu eorum abstinendum, vel provide tamen, rarius, dosi minori, & in vehiculo aqueo, temperato, largiori, usurpandi sunt apud infantes teneriores, & apud subjecta sicca, biliosa, cholerica, plethorica, nec minus in morbis, qui ex nimia solidorum siccitate & justo auctiori vi contractili, aut orgastica humorum expansione, commotione, resolutione, & valde biliosa ac calida indole, ut & seri blandi ac lymphæ penuria, præcipue promanare consueverunt; cujus census plerumque sunt febres ardentes, inflammatoriæ, lentæ, hecticæ, hæmorrhagiæ exorbitantes, apoplexiæ sanguineæ, & adfectus complures alii, qui vitiis memoratis, vel etiam fortioribus sanguinis congestionibus originem debent.

§. XII

METVVNT quoque nonnulli a spiritibus inflammabilibus concentratis, interne propinatis, noxium chyli, sanguinis ac lymphæ

coagulum, quum illos, laudatis liquoribus, vel etiam natura analogis, extra corpus immediate infusos, illico eosdem coagulare, observaverint. Verum, si usus rectus, ac rationalis accedat, timorem hunc vanum omnino esse opinor: Quando enim dosi minori, & in largiori præterea vehiculo exhibentur, vel adsumtis potulenta temperata largius superingeruntur, ab hisce, & naturalibus pariter in ventriculum confluentibus humoribus aqueis valde distrahuntur, ac debilitantur, ut ideo tam noxios effectus amplius edere nequeant. Hisce accedit, quod spiritus inflammabiles, jam jam in prima culina magnopere diluti, non pleno alveo transeant ad sanguinem & lympham, sed, maxima potius ex parte in halitus tenerrimos resoluti, in vasa inhalantia numerosissima, adeoque in totum corpus, distribuantur ac dissipentur; sub qua dissipatione insigni nullo plane modo sanguini ac lymphæ coagulum inducere valent. Alius etenim effectus a spiritu inflammabili, immediate, copia majori, & sub densiori aggregatione, cum lympha ac sanguine mixto, alius vero ab eodem, quantitate exigua, & sub halitus tenerrimi forma, vascula sanguifera & lymphatica intrante, exspectandus est.

§. XIII

§. XIII

SPIRITVS inflammabiles, corpori extrinsecus adplicati, solida laxa, humida, exsiccant, vasa roborant, vim contractilem augent, & hac ratione, ut & materiali, parcissima tamen & maxime halituosa per canaliculos absorbentes insinuatione, multum ad humorum subsistentium promotionem conferunt. Cavendum saltem, ne usu nimio aut intempestivo nimiam solidis ariduram, aut nervis, in casibus quibusdam paullulum denudatis, pernicioſam insensibilitatem, itemque humoribus, majoris loco fluiditatis, coagulum inducamus. *Alcohol*, BOERHAAVIVS scribit, [a] *nervorum extrema, quæ valet attingere, uno momento arefacit, contrahit, omni motu sensuque privat. - - In vulneribus pariter, ulceribus, aliisque apertis malis, applicatio puri alcoholis eadem præstat coagulando, exsiccando, nervos urendo. Nervos quidem orbat doloris molesto sensu, at eosdem simul omni usu privat. Idemque facit, quoties semilaceros hos, punctuque irritatos, sedat. Sistit uno momento sanguinem, vas contrahendo, coagulando cruorem attactum, sed simul efficit, quæ statim monui. Habet inde celerrimum, sæpeque optimum, ad hæcce usum, semper tamen mistum malis.*

a) In Chem. T. II p. m. 174. sequ.

SPIRITVS INFLAMMABILES SIMPLICES ET COMPOSITI VSITATIORES

Spiritus vini ſimplex rectificatiſſimus.
- - *tartariſatus.*
- - *camphoratus.*
- - *crocatus.*
- - *benzoinus.*
- *maſtichinus.*
- *citri.*
- *lavendulæ.*
- *rorismarini.*
- *aniſi.*
- *cochleariæ.*
- *ceraſorum nigrorum.*
- *baccarum juniperi.*
- *roſarum.*
- *liliorum convallium.*
- *theriacalis camphoratus.*
- *matricalis.*
- *carminativus Sylvii.*

Aqua Anbaltina.
- *apoplectica pauperum.*
- *apoplect. ord. cum & ſine moſcho.*
- *arthritica.*
- *cephalica imperatoris.*
- *contra calculum Marchionis.*
- *contra colicam.*
- *epileptica Langii.*
- *maſtichina.*
- *ſerpilli compoſita.*
- *theriacalis ſimplex.*
- *virtutum.*
- *vitæ mulierum.*
- *vulneraria ſive ſclopetaria, vulgo L' Eau d' Arquebuſade dicta.*

SPIRITVS VINI SIMPLEX RECTIFICATISSIMVS

VVLGO reiterata, ſimplici, ſolitaria, ac lenta deſtillatione e cucurbita altiori, balneo Mariæ aut arenæ impoſita, adhibito igne moderato, paratur, & dephlegmatiſſimus, immo *Alcohol*, creditur, quando pulveri pyrio ſicciſſimo in cochleari argenteo, aut ferreo, ſtanno obducto, adfuſus, accenſus, & placi-

placidiſſime deflagrans, pulverem in fine accendit, ac nihil plane phlegmatis relinquit. Attamen longe, qui iſtud credunt, a vero aberrant: Obſervante enim GODOFREDO, [a] unciæ novem ſpiritus vini, qui ſecundum examina vulgaria judicabatur rectificatiſſimus, adhuc binas uncias & drachmas tres phlegmatis reliquerunt, cum in ſingulari vaſculo, frigidæ innatante aquæ, vaſi majori infuſæ, & continuo tepidæ in uno latere effluxu, ac frigidæ recentis in altero latere influxu ita conſervatæ, pacata deflagratione conſumerentur. Sub vulgari enim in cochleari combuſtione præcaveri nequit, quominus multæ quoque phlegmatis partes e cochleari calefacto, inſenſibiliter exhalando, in auras diſpergantur; immo, præcaveri nequit, quominus ſub deſtillatione ſimplici ac ſolitaria inmixtæ quædam particulæ acidæ, & oleoſæ empyrevmaticæ ex parte cum ſpiritu puro inflammabili tranſcendant. Quare, cum ſolitaria deſtillatione, neque ſpiritus vini dephlegmatiſſimus, neque perfecte purus, obtineatur, neceſſe utique eſt, ut ejusmodi corpora, quæ aqueas æque ac acido-oleoſas empyrevmaticas partes aufferre ac retinere valent,

a) Vid. Memoir. & Hiſt. de l'Academ. Royal. des ſciences ann. 1718. p. 43. & 46.

valent, addantur. Pertinent ad illa *calx viva*, & *extincta*, *cineres cribrati vulgares*, *ſal commune ſiccatum*, *ſal tartari* & *cineres clavellati* puri atque ſicciſſimi, merito tamen reliquis præferri merentur ſal culinare & ſalia pura alcalica ſicciſſima & aliquantulum ante injectionem calefacta; quippe quæ partibus aquæis, acidis, & oleoſis heterogeneis adhuc inhærentibus abſorbendis aptiſſima inveniuntur, &, igne moderato adhibito, & lente inſtituta deſtillatione in cucurbita altiori, ſolum duntaxat ſpiritum dephlegmatiſſimum atque puriſſimum tranſtillare permittunt, prætèrquam, quod addito ſale alcalico pauciſſimæ quædam atque tenerrimæ moleculæ ſalino-alcalicæ, a partibus inflammabilibus abreptæ, ſimul transſcendant, quæ denuo tamen ac facili negotio aufferri poſſunt, ſi alcoholi aliquot guttulæ olei vitrioli inſtillentur, & ſpititus deinde ſemel e cucurbita blande evocetur. Acidum enim inſtillatum cum partibus alcalicis inhærentibus concreſcit in ſal medium, idemque poſtea ſub nova abſtractione in cucurbitæ fundo relinquitur.

VNICA pariter deſtillatione alcohol puriſſimum poteſt obtineri, quando ſpiritus vini vulgari modo jam jam aliquantulum rectificatus cum ſale alcalico ſequenti modo tractatur:

tur: In munda videlicet atque ſicciſſima cucurbita aut phiola vitrea rectificato vini ſpiritui ſubtripla quantitate injiciuntur cineres clavellati puri, ſicciſſimi, & prævia calefactione ſitientiſſimi redditi, atque miſcela vitri concuſſione frequenti adjuvatur; ſic alcali phlegma abſorbet, & cum eodem, ceſſante vitri motitatione, ad fundum ſecedit, ſpiritus autem concentratus, ex flavo-rubeſcens, ſupernatat. Relinquuntur ita per diem & noctem, ut eo melior ſpiritus ac phlegmatis ſeparatio contingat, deinde vero ſpiritus provide decantatur, ac denuo recenti ſali tartari, aut recentibus cineribus clavellatis adfunditur, idemque labor, ſi fuerit neceſſe, toties reiteratur, donec ſpiritus phlegmate ſeparabili penitus ſit liberatus, nec amplius miculam ſalis alcalici reddat madidam. Quo viſo, ſpiritus decantatur iterum, & dimidia circiter olei vitrioli puri drachma tribus alcoholis libris inſtillata, e cucurbita blando igne deſtillatur.

DESCRIPTA methodo diverſa quivis alii ſpiritus inflammabiles, fermentatione producti, rectificari poſſunt, & nullum ſupereſt dubium, quin ita omnes, partibus heterogeneis perfecte orbati, eandem naturam, easdemque vires conſecuturi ſint. Leviſſima

enim differentia, quæ ſpiritus inflammabiles ſimplices intercedere videtur, ab oleo ſpecifico, ante perfectam depurationem adhuc inhærente, primario dependet.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM SPIRITVS VINI RECTIFICATISSIMI

I. SPIRITVS vini, & cuncti inflammabiles reliqui ſub deſtillatione in alembico ſtrias pingues formant, ſuccedente autem phlegmate ſtriæ latiores evadunt, poſtea plane evaneſcunt, & interna alembici ſuperficies rorida ſaltem humiditate obducitur.

II. Si ſpiritus vini, ultimo modo cum cineribus clavellatis aut ſale tartari tractatus, deſtillatione non rectificatur, aut nihil tamen acidi ad alcali extinguendum inſtillatur, *ſpiritus vini alcaliſatus* aut *tartariſatus* dicitur, & cum ordinario, qui reiterata ſpiritus ſimplicis abſtractione ſuper ſal tartari paratur, quoad indolem ac vires convenit.

III. Spiritus vini rectificatiſſimi, & alterius inflammabilis cujuſcunque indoles dephlegmatiſſima, & perfecta puritas vario modo explorari poſſunt. Indoles nimirum concentratiſſima ac dephlegmatiſſima cognoſcitur, quando dimidia circiter drachma ſalis tartari puriſſimi, ſicciſſimi & ab igne adhuc fervidi, duabus vel tribus alcoholis putatitii unciis injecta, poſt aliquam vitri concuſſionem & lenem ſpiritus calefactionem, manet ſicciſſima. Olei cujusdam diſſoluti inhæſio illico patet, ſi alcohol aqua frigida adfuſa lacteſcat, & acidi denique aut alcalici ſalis præſentia detegitur per efferveſcentiam, quæ, ſpiritu ſalis ammoniaci, aut ſpiritu acido, duplici alcoholis portioni ſeorſim inſtillato, oboritur. *a*

IV. Alcohol puriſſimum, cum ſpiritu ſalis ammoniaci urinoſo fortiſſimo lentiſſime in vaſe vitreo ſicciſſimo mixtum, in albicans abit coagulum, & ita confeſtim *ſapo chymicus* ſubtiliſſimus ac penetrantiſſimus, ſeu *Offa Helmontiana* naſcitur, quæ medicamentum exiſtit præſtantiſſimum, quod corporis vaſcula, ſi mulſa dilutum jejuno ventriculo exhibeatur, celerrime permeat, viſcida reſolvit, obſtructiones reſerat, & ideo æque, ac ſal tartari, volatile redditum, cum quo, ita pariter ſentiente BOERHAAVIO, *b* convenire videtur, in multis morbis auxilium præſtat egregium.

V. Spiritus vini rectificatiſſimus multis inſervit uſibus phyſicis, chymicis ac medicis, & optimum in ſpecie ac communiſſimum menſtruum præbet, quoties corpora bituminoſa, reſinoſa, oleoſa, ætherea, & gummeo-reſinoſa ſolvere, & inde eſſentias, tincturas, elixiria atque ſpiritus mixtos & com-

a) Conf. BOERHAAVE in Chymia T. II. p. m. 173. ſequ.

b) L. c. p. m. 324.

compoſitos parare velimus. Per ſe igitur interne rarius exhibetur, etiamſi omnibus viribus, quibus ſpiritus inflammabiles ſimplices pollent, abunde inſtructus ſit: Externe ſæpius linimenta confortantia, ac diſcutientia ingreditur, et, integris quoque animalibus, aut eorum partibus larga quantitate ſuperfuſus, ea diutiſſime a putrefactione illibata conſervat.

SPIRITVS VINI CAMPHORATVS

REC. Spiritus vini rectificatiſſimi libram unam, camphoræ unciam unam cum dimidia. Digerantur leniſſime, &, peracta plenaria camphoræ ſolutione, deſtillatio more conſueto in cucurbita vitrea & arenæ balneo inſtituatur. Spiritus evocatus camphoræ odore & ſapore fortiter quidem imbutus eſt, camphoram tamen, aquæ infuſus, denuo dimittit. Quodſi autem camphoræ pulveriſatæ pars una cum ſex partibus ſalis tartari aut cinerum clavellatorum miſceatur, &, ſpiritu vini rectificatiſſimo ad trium vel quatuor digitorum eminentiam ſuperfuſo, deſtillatio ſuſcipiatur, primo ſpiritus camphoræ ſaturatus, qui absque camphoræ præcipitatione cum quovis liquore aqueo poteſt miſceri, prodit, deinde camphoræ ſiccæ portio in alembicum ſublimatur, & in cucurbitæ fundo ſaturatiſſima camphoræ ſolutio, brunni coloris

coloris, quæ commode quoque cum aqua absque coagulo & præcipitatione miſceri poteſt, remanet.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM HVJVS SPIRITVS

I. CAMPHORA eſt corpus ſingulare, ſiccum, candidum, cryſtallinum, volatile, terreo-phlogiſtum, oleis æthereis reſpectu mixtionis longe ſimplicius. Ex ſolo enim *principio terreo*, & *phlogiſto* tenerrimo conſtat, & ideo etiam accedente principio aqueo, & ſalino-acido, demum in oleum mutatur; quemadmodum hoc obſervare licet, quando camphora in ſufficienti quantitate aquæ fortis ſolvitur.

II. Nonnulli camphoræ ſpiritum, qui denuo in aqua præcipitatur, ſolummodo *ſpiritum vini camphoratum*, alterum vero, qui camphoram in hoc paſſu retinet, *verum camphoræ ſpiritum* nominandum eſſe opinantur: Attamen, non adeo ſingularis utrumque differentia intercedit, præterquam, quod camphora, ſalis alcalici ope tenerius diſſoluta, exiliſſimis ſpiritus vini partibus arctius unita ſit. Quod autem additum ſal alcalicum acidum ligans, camphoræ, uti quidam ſtatuunt, inhærens, aufferat, vero neutiquam conſentaneum eſt, cum camphoræ puræ mixtionem ne micula acidi ſalini ingrediatur.

III.

III. Spiritus camphoræ inter medicamenta externa diſcutientia, antiſeptica, & antigangrænoſa penetrantiſſima locum invenit, &, per ſe adplicatus, uel inter collyria, epithemata, cataplaſmata, atque gargariſmata receptus, in ophtalmia ſeroſa, dolore capitis, doloribus frigidis rhevmaticis, inflammatione oris & faucium, paralyſi &c., adhibetur. Circa externum tamen ejus uſum notari meretur, 1) non adplicandum eſſe nimia copia, 2) uſum ejus non adeo diu protrahendum, & 3) penitus denique exulare debere, quando humorum decubitus proxime ſub cute hæret, niſi, monente *Exc.* SCHVLTZIO, *a* hæc cautio adhibeatur, ut lintea, ſpiritu hoc imbuta, ante adplicationem ad liberum aerem aut proxime poſitas prunas pendeant, donec in auras disjecto ſpiritu vini ſola camphora, flocculorum ſpecie, adhæreat. Metuit enim Auctor laudatus a ſpiritu vini in eryſipelate & adfectibus ſimilibus majus humorum coaguſum, eidemque deinde facile ſupervenientem exulcerationem, & in ambuſtis pariter atque combuſtis, ubi fibræ jam valde exſiccatæ, rigidæ atque contractæ ſunt, adplicationem ejus diſſuadet. Interne camphoræ ſpiritus ex vano quodam metu rarius præſcribitur, licet inſigne exiſtat medicamentum diſcutiens, exſiccans, antiputredinoſum, atque ſudoriferum, quod tempeſtive uſurpatum, ac ſolum, vel aliis etiam adpropriatis remixtum, vires non contemnendas in febribus malignis, adfectibus venereis, arthriticis

a) In Annotat. ad Diſpenſ. Brand. p. 337.

cis & rhevmaticis frigidis, cachecticis &c., exſerit. Credo tamen, camphoram, in pulvere datam, & nitro remixtam, ſemper ſpiritui longe præferendam eſſe. Datur ſpiritus a guttis 10. ad 20. 30. 40. 50.

SPIRITVS VINI CROCATVS

REC. Croci orientalis aut Britannici, ſicci, fragrantis, electi, recentiſſimi, uncias duas, adfunde uncias octo ſpiritus vini rectificatiſſimi, digere calore leniſſimo in vitro mundo ac probe clauſo, donec ſubſtantia ſolubilis, tingens, activa, penitus ſit extracta, & croci filamenta albida evadant. Si fortaſſis extrahendo principio tingenti prædicta ſpiritus quantitas nondum ſuffecerit, decantata prius tinctura, una vel altera ſpiritus recentis uncia croci fibris adfundatur, &, peracta extractione, tinctura ſecundi ordinis cum priori ſaturatiori miſceatur, poſteaque ſpiritus in cucurbita vitrea blando calore eliciatur deſtillando; relicta in cucurbitæ fundo tinctura ſpiſſiuſcula magnarum virium, quæ ita adſervanda, vel ulteriori evaporatione leniſſima, ad juſtam extracti, tinctura tamen, ob majorem adhuc partium mobiliſſimarum jacturam, longe debilioris, conſiſtentiam redigenda eſt.

NOTAN

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, AC VIRES HVJVS ET SIMILIVM SPIRITVVM

I. SVBSTANTIA activa in croco ſingularis plane indolis eſt: Tota enim in aqua, tota pariter in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvitur, & tinctura evaporatione concentratior atque ſpiſſior reddita, oleum quodammodo forma externa æmulatur, ut ideo ſimul de natura olei, reſinæ ac gummi participare videatur.

II. Spiritus ſtatim quidem ſuper crocum integrum, absque prævia tincturæ confectione, abſtrahi poteſt, puriores tamen hic & ſimilis præparationis reliqui evadunt, quando e tincturis depuratis, antea ſeorſim paratis, eliciuntur, & illico præterea purum remanet extractum, quod in cucurbita tamen ad perfectam extracti conſiſtentiam non redigendum eſt, ſed, ſemiliquidum in concham vitream effuſum, leniſſimo calore perfecte demum inſpiſſandum, ut empyreuma eo melius præcaveri, & inſpiſſatum quoque facilius eximi poſſit.

III. Spiritus vini, mobiliſſimis croci partibus vaporoſo balſamicis imprægnatus, ſingulari virtute calefaciente, exſiccante, diſcutiente, ſudorifera, exhilarante, anodyna & hypnotica pollet, & ideo, ad guttas 20. 30. 40., in adpropriato vehiculo propinatus, in multis morbis chronicis, ex humorum

rum inertia, & ſolidorum laxitate præcipue promanantibus vires non contemnendas exſerit. Externe pariter ſeſe virtute ſiccante, diſcutiente, roborante & anodyna commendat, & in caſibus variis ſpiritum vini purum rectificatiſſimum viribus longe ſuperat.

IV. Methodus ſupra deſcripta etiam in præparatione *Spiritus abſinthii*, *ſeminis aniſi*, *benzoini*, *rorismarini*, *lavendulæ*, *maſtichini*, &c., immo *cochleariæ recentis* & *lumbricorum terreſtrium depuratorum* adhiberi poteſt, ſi, mutata paullulum recipiendorum proportione relativa, uni parti ſpecierum quatuor duntaxat ſpiritus vini partes ſuperfundantur. Si ſpiritus ſub prima deſtillatione nondum perfecte ſaturatus prodeat, adſumtis ſpeciebus recentibus, reiterata deſtillatione concentratior & efficacior redditur. Nonnulli ſpiritum benzoinum una cum oleo ex retorta deſtillant, attamen prior methodus mihi videtur compendioſior. Vires horum ſpirituum, conſideratis ſimplicium, e quibus parantur, virtutibus, facillime determinari poſſunt. Singuli enim ſpiritus, ſuper ſpecies aromaticas & balſamicas deſtillati, vires poſſident calefacientes, ſiccantes, confortantes, tonicas, cephalicas, ſtomachales, carminativas, uterinas, pectorales, ac ſudoriferas; præ reliquis tamen ſpiritus lavendulæ, roriſmarini, & maſtichinus virtute nervina & cephalica, ſpiritus cort: citri, ſem: aniſi & maſtichinus virtute ſtomachali & carminativa, & ſpiritus aniſi & benzoinus virtute pectorali ſeſe commendant, ſi a guttis 30 ad guttas 40. 50. 60.

100., exhibeantur. Spiritus benzoinus quoque, qui rarius interne propinatur, ad imbuendam odore grato ſuppellectilem adhibetur. Spiritus abſinthii plane exulare debet, cum nil, niſi ingratum principium vaporoſum, in ſinu foveat.

p. 100. *Spiritus lumbricorum terreſtrium* vulgo quidem inſigne creditur remedium antarthriticum & antepilepticum, aſt nihil ſingulare continet, & ideo a ſpiritu vini ſimplici vix diſtinctus videtur: Non video enim, quid e lumbricis ſub deſtillatione humida, ſimul cum ſpiritu vini transſcendere poſſit ac debeat. *Spiritus cochleariæ*, cohobatione ſuper herbam recentem paratus, locum inter antiſcorbutica invenit, & externe etiam electuaria liquidiora, & gargariſmata, in ſcorbuto oris uſurpanda, frequentiſſime ingreditur.

SPIRITVS CERASORVM NIGRORVM

REC: Ceraſorum nigrorum maturorum, quantum placet. Contundantur una cum nucleis, & ſatis capaci doliolo querno, quod in hoc paſſu melius eſt vaſe terreo vitreato, immiſſa, in loco tepido, prius tamen pauxillo vini fecum addito, fermentationi committantur, ibidemque tamdiu relinquantur, donec odorem acidulo-vinoſum ſpirare incipiant. Quo facto e veſica cuprea, ſtanno intus obducta, more conſueto deſtillentur, & ſpiritus inde evocatus in cucurbita vitrea vulgari methodo rectificetur.

NOTAN-

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM HVJVS ET SIMILIVM SPIRITVVM

I. LOCO fecum vini etiam cereviſia alba recens, & moderata quoque aquæ calidæ quantitas addi poteſt, ut ſuccus ceraſorum contuſorum liquidior reddatur, & fermentatio ideo promptius ſuccedat. Nonnulli uni libræ ceraſorum tres aquæ libras adfundunt, at mihi hæc aquæ quantitas videtur nimia, & ſuccum plus juſto diluit.

II. In principio deſtillationis lenior ignis gradus adhibendus eſt, ne liquidum, quod ſpiritu elaſtico fermentante adhuc ſcatet, & igne expanſum ſpumeſcit, vaſis deſtillatorii oras transſcendat.

III. Specificæ quidem ac ſingulares huic ſpiritui rectificato a quibusdam tribuuntur virtutes cephalicæ, antepilepticæ & cordiales, aſt ſpiritu vini puro ac ſimplici pro meo judicio haud præſtantior eſt, quod pari jure etiam de ſingulis ſpiritibus, fermentatione productis, & ſufficienter rectificatis, dicendum eſt, etiamſi e diverſis elaborentur ſimplicibus. Fermentatio enim, ac poſtea inſtituta rectificatio unam eandemque ſingulis indolem, & virtutes ſimillimas conciliat.

IV. Eadem methodo etiam parantur *ſpiritus baccarum juniperi*, *ſambuci*, *roſarum*, *liliorum convallium*, *cydoniorum*, *fragorum*, *rubi idæi*, *trifolii aquatici*, etc., &, cum indole pariter atque

viribus conveniant, nihil de medica eorum virtute dicendum eſt.

SPIRITVS THERIACALIS CAMPHORATVS

REC. Theriacæ Andromachi, uncias decem, croci orientalis, unciam unam, myrrhæ rubræ electæ, uncias quinque, ſpiritus vini rectificati, libras duas. Mixta per triduum in vaſe clauſo digerantur, & poſtea e cucurbita, impoſita prius alembico camphoræ uncia dimidia, in balneo arenæ, ſpiritus igne moderato evocetur, ac denuo, abſque nova tamen camphoræ impoſitione, cohobetur.

SPIRITVS hic purum ac ſimplicem ſpiritum vini rectificatiſſimum virtute exſiccante, roborante, calefaciente, diſcutiente, diuretica ac ſudorifera longe ſuperat, & ſpecificis inſuper viribus anodynis, quas e croco & theriaca accepit, inſtructus eſt, ut ideo perſæpe in febribus malignis, peſte, febribus catarrhalibus, adfectibus frigidis rhevmaticis, arthriticis, catarrhalibus, cachecticis, aliisque, per diſcutientia & ſudorifera maxime curandis, cum fructu ad guttas 20. 30. 40. 60., propinari queat. Ex illo etiam, ſpiritu tartari, & ſpiritu vitrioli notiſſima *mixtura ſimplex* componitur. Proſtat etiam *ſpiritus theriacalis ſimplex*, ſola ſpiritus vini ſuper theriacam abſtractione paratus, qui præcedente debilior ac temperatior exiſtit.

SPIRITVS CARMINATIVVS SYLVII

REC. Rad. angelicæ, drachmam unam, galangæ, imperatoriæ, ana drachmam unam cum dimidia, fol. baſiliconis, majoranæ, rorismarini, rutæ hortenſis, ſummitatum centaurii minoris, ana manipulum ſemiſſem, baccarum lauri, drachmas tres, ſem. angelicæ, aniſi, leviſtici, ana unciam ſemiſſem, maceris, nucis moſchatæ, zingiberis, ana drachmam unam & ſemiſſem, cinnamomi, drachmas ſex, caryophyllorum, cort. aurantiorum, ana drachmam unam. Conciſæ ſpecies & contuſæ miſceantur, &, adfuſis ſpiritus vini Malvatici, Hiſpanici, aut, quod perinde erit, ſaltem ordinarii unciis quadraginta, digerantur per biduum in balneo maris, cinerum vel arenæ, tunc ſpiritus e cucurbita, ad ſiccitatem aliqualem deſtillando, proliciatur, idemque capiti mortuo reaffuſus, præmiſſa iterum per biduum digeſtione, denuo, ad quartæ partis remanentiam evocetur, & adſervetur. Si magmati relicto recentis ſpiritus vini portio adfunditur, & prævia quoque digeſtione abſtrahitur, *ſpiritus carminativus debilior ac ſecundarius* inde reſultat.

EST medicamentum satis activum, calefaciens, exsiccans, discutiens, sudoriferum & carminativum, & provide igitur in adfectibus flatulentis, cardialgicis, colicis, hystericis, aliisque, ubi alias locum invenit, adhibendum est. Dosis interna a guttis 30. ad 40. 50. 60. 100., adscendit.

SPIRITVS MATRICALIS

REC. Cinnamomi acuti, nucis moschatæ, zingiberis, caryophyllorum, granorum paradisi, cubebarum, cardamomi, ana unciam unam cum dimidia, piperis longi unciam semis, galangæ, zedoariæ, ana unciam unam, fol. salviæ, menthæ, melissæ, roris marini, flor. lavendulæ, summitat. basilici, rutæ, ana manipulum unum, spiritus vini, libras sex. Destillentur, præmissa digestione, e cucurbita, & camphoræ drachmæ sex in spiritu prolicito solvantur.

ALII camphoræ additionem omittunt, & spiritum, quem pariter vocant matricalem, ex partibus mastichis, olibani, myrrhæ atque succini anaticis, quibus spiritum vini ad quatuor digitorum eminentiam superfundunt, destillando præparare docent.

PRIOR spiritus matricalis multa, quoad indolem, vires & usum, cum spiritu theriacali camphorato communia habet, & posterior vires, quibus temperatiores spiritus inflammabiles

biles instructi sunt, possidet. Vterque persæpe linimenta externa carminativa, stomachalia & confortantia ingreditur.

AQVA ANHALTINA

REC. Terebinthinæ, libram dimidiam, thuris electi, unciam unam, ligni aloes, uncias tres, caryophyllorum, cinnamomi acuti, cubebarum, florum anthos, galangæ, granorum mastiches, nucistæ, ana drachmas sex, croci orientalis integri, drachmas duas cum semisse, baccarum lauri, seminis fœniculi, ana unciam semis. Pulverisatis & mixtis quinque libræ spiritus vini adfundantur, digerantur per octiduum, & deinde spiritus, moschi granis quindecim, in petia ligatis & alembico prius impositis, destilletur.

AQVA hæc, quæ alibi etiam *Spiritus Anhaltinus*, & quidem jure meliori, vocatur, duplici laborat vitio: Primo enim nimiam terebinthinæ quantitatem, quæ saporem nauseosum reddit, & indolem calidam nimium auget, recipit, & deinde etiam, ob moschi additionem, cujus odorem multi, multæque, præsertim hystericæ, perferre nequeunt, persæpe apud ægros absque usu reponenda est. Militat inter pharmaca, nervina, cephalica & cordialia, atque interne, nisi quid obstet, in adfectibus capitis & nervorum frigidis, v. g. in imbecillitate memoriæ, vertigine, adfectibus soporosis,

apoplexia pituitosa, paralysi membrorum, lipothymia, &c., ad guttas 30. 40. 50. 60. 100., in adpropriato vehiculo propinatur. Externe naribus admovetur, & membris paralyticis, flaccidis, debilitatis inungitur.

AQVA APOPLECTICA PAVPERVM

REC. Flor. liliorum convallium, justo tempore collectorum, & rore adhuc madentium, primulæ veris, tiliæ, ana manipulos duos, anthos, lavendulæ cum foliis, thymi, ana manipulum unum, rad. zedoariæ, drachmas sex, macis, caryophyllorum, cardamomi minoris, cinnamomi, ana drachmas tres. Contusis atque concisis liquor, ex partibus vini albi generosi, & spiritus vini anatici mixtus, ad sex digitorum eminentiam adfundatur, & digestione per octiduum, uti moris est, præmissa, spiritus e cucurbita consueta methodo destilletur.

PROSTAT etiam in officinis alia adhuc *aqua apoplectica cum moscho*, & *sine moscho*, ad cujus præparationem, in *dispensatorio* descriptam, longe plures species recipiuntur, quæ ipsi tamen nobiliorem indolem conciliare nequeunt; adeoque etiam descriptionem illius hoc loco omittere placuit.

AQVA apoplectica pauperum, licet a paucioribus, selectis tamen, speciebus abstrahatur, memoratæ *diffusiori*, *sine moscho & ambra paratæ*,

paratæ, viribus æquiparanda est, & selectioribus nervinis atque cephalicis accenseri meretur. Datur interne, uti præcedentes, a guttis 30. ad 60. 100. Nonnulli quidem ad longe majores doses adscendunt, & aquam hanc ad unciam dimidiam & ultra una vice in vehiculo aqueo adpropriato exhibent, ast circumspectius pro meo judicio agitur, si quævis spirituosa dosi minori una vice ægris porrigantur, & exhibitio contra sæpius repetatur; admittere tamen doses majores possum, quoties morbi conditio promptum ac validum auxilium postulat. Externe eadem, quæ aqua Anhaltina, præstat.

AQVA ARTHRITICA

REC. Rad. pœoniæ, unciam semis, cyperi rotundi, iridis Illyricæ aut Florentinæ, pyrethri, ana drachmam unam cum dimidia, herbæ betonicæ, ivæ artheticæ, lavendulæ, majoranæ, pulegii, salviæ, ana manipulum unum, rorismarini, manipulos duos, florum lavendulæ, spicæ nostratis, stoechados Arabicæ, ana pugillos tres, chamomillæ Romanæ, sambuci, verbasci, ana drachmas sex, caryophyllorum aromat. drachmas duas, cinnamomi electi, unciam dimidiam, cardamomi, cubebarum, ana drachmam unam & semis, nucis moschatæ, baccarum juniperi, ana drachmas sex, lumbricorum terrestrium mundatorum, manipulos duos. Con-

cisis atque contusis spiritus vini rectificati libræ sex superfundantur, & spiritus, post octo dierum digestionem, more consueto destilletur.

RADIX pœoniæ & lumbrici terrestres ad superflua spectant ingredientia, cum neque hi, neque illa, singularia principia transmittant. Spiritus hic plerumque externe sub linimenti forma partibus paralyticis, debilitatis, & arthritico dolore vexatis adplicatur; monendum tamen, eundem apud arthriticos non in paroxysmo, sed eodem exantlato, roborandi duntaxat fine, inungendum esse: Raro enim ejusmodi spirituosa, calida, exsiccantia, in paroxysmo adplicata, tutum ferunt auxilium. Quoad usum internum cum præcedentibus aquis apoplecticis convenit.

AQVA CEPHALICA IMPERATORIS

REC. Summitatum majoranæ, melissæ, origani, flor. anthos, lavendulæ, liliorum convallium, rosarum rubrarum, salviæ, ana manipulos quatuor, caryophyllorum, nucis moschatæ, ana uncias duas, cardamomi, cinnamomi, cubebarum, granorum paradisi, macis, ana unciam dimidiam, spiritus vini, libras sex. Digerantur, ac methodo solita destillentur.

HIC

HIC spiritus ab aqua arthritica & præcedentibus apoplecticis sine moscho, ob ingredientium similitudinem, neque indole, neque viribus & usu differt.

AQVA CONTRA CALCVLVM MARCHIONIS

REC. Radicum quinque aperientium, acori veri, enulæ, eryngii, liquiritiæ, ononidis, peucedani, valerianæ, ana uncias duas, galangæ minoris, unciam unam, sanguinis cervi, hirci, ana drachmas sex, cinnamomi acuti, cort. aurantiorum, fraxini, ana unciam unam, baccarum juniperi, lauri, sem. cicerum rubrorum, ana unciam semis, fructuum alkekengi, unciam unam, sem. dauci nostratis, uncias duas, anisi, malvæ, bismalvæ, citri, fœniculi, hyosciami, milii solis, nasturtii, ana drachmas septem, nucleorum ceraforum, persicorum, ana unciam unam, flor. betonicæ, bismalvæ, cardui stellati, genistæ, ononidis, foliorum asari, ononidis, parietariæ, raphani, saxifragiæ, herbæ adianthi albi, capillorum veneris, polytrichi aurei, pulegii, virgæ aureæ, ana manipulum unum. Grossiuscule concisis & contusis superfundatur sufficiens vini optimi Rhenani quantitas, &, præmissa quatuordecim dierum digestione, liquor spirituosus destilletur, atque, inmixtis

unciis ſex ſucci limoniorum, aut citri, adſervetur.

FORMVLA hæc ſatis inconcinna, immo, ut ingenue loquar, abſurda eſt. Nimium enim ingredientibus abundat, & multas præterea recipit ſpecies, quæ, ob partium volatilium penuriam aut plenarium defectum, nihil cum vino transmittere, ac nullam ideo virtutem liquori communicare valent. Quid ſibi vult ſanguis cervi & hirci? quid exſpectandum a radice glycyrrhizæ, aſparagi, graminis, ononidis, eryngii, rubiæ tinctorum, ruſci, ſeminibus milii ſolis, ciceris rubri, malvæ, bismalvæ, floribus bismalvæ, geniſtæ, ononidis, herba parietariæ, virgæ aureæ, capillorum veneris, polytrichi aurei, & nonnullis aliis? Scio quidem, corpora hæc non deſtituta eſſe viribus reſolventibus & diureticis, aſt, hæ æque atque reliquæ, quas vere poſſident, non in volatili, ſed fixiori latent principio, quod alembicum transſcendere nequit. Quibus poſitis, non video, qua ratione hic liquor ſpirituoſus calculum & urinam eminentius pellere poſſit. Pro mea ſententia ſolummodo pertinet ad temperatiores ſpiritus diſcutientes, roborantes & diureticos, atque ad unum vel alterum cochlear exhiberi poteſt. Proſtat etiam *aqua contra calculum ex nucleis*, quæ cum vino Rhenano ex amygdalis amaris, nucleis perſicorum & ceraſorum nigrorum contuſis, & ſambuci floribus deſtillando paratur. Hæc quidem priori adhuc temperatior eſt, ſingulares tamen ab eadem effectus in calculo vix exſpectare licebit.

AQVA

AQVA CONTRA COLICAM

REC. Rad. angelicæ, calami aromatici, zedoariæ, ana unciam ſemis, ſem. anethi, aniſi, carvi, dauci, fœniculi, nigellæ, ſileris montani, ana uncias duas, petroſelini Macedonici, unciam ſemis, flor. chamomillæ Rom. manipulos duos, ſambuci, fol. menthæ, meliſſæ, origani, pulegii, ana manipulum, cort. aurantiorum, citri, ana uncias duas, baccarum juniperi, lauri, cinnamomi electi, ana unciam unam, ſpiritus vini optimi, libras decem. Infundantur, digerantur, ac deſtillentur.

SATIS quidem hic ſpiritus virtute diſcutiente & carminativa præditus eſt, curandum tamen, ne in adfectibus colicis, cardialgicis & hyſtericis, a cauſſa calida bilioſa, aut ſanguinis ebullitione & congeſtione obortis, improvide exhibeatur. Datur a guttis 30. ad 60. 100., in aqua quadam deſtillata carminativa. Nonnulli ad majores doſes adſcendunt, et ſpiritum hunc in adfectibus flatulentis, a cauſa frigida pituitoſa enatis, ab uncia dimidia ad integram propinant; at doſis hæc mihi videtur nimia: Non aqua enim eſt, uti dicitur, ſed ſpiritus inflammabilis concentratus, & multis partibus oleoſo-inflammabilibus imprægnatus.

AQVA EPILEPTICA LANGII

REC. Florum liliorum convallium recentium, manipulos duodecim, tiliæ, lavendulæ,

ana

ana unciam, rorismarini, ſtœchados Arabicæ, ana unciam ſemis, cinnamomi, drachmas ſex, nucis moſchatæ, unciam ſemis, cardamomi, cubebarum, ana drachmas duas, viſci querni, radicum pœoniæ, diptamni noſtratis, ana unciam ſemis, vini generoſi, menſuram unam cum dimidia. Infundantur, digerantur per octiduum, deſtillentur, & liquor, cohobatione fortior redditus, adſervetur.

EST medicamentum roborans, nervinum, cephalicum, temperatum & ſatis ſelectum, præſertim, ſi viſcus quernus, & radices pœoniæ atque diptamni, quæ liquori transſtillanti parum vel nihil virtutis communicare valent, e formula removeantur. Datur a drachma una ad drachmas tres, immo unciam dimidiam.

AQVA MASTICHINA

REC. Caryophyllorum, unciam unam, cardamomi minoris, cinnamomi acuti, ana unciam ſemis, macis, unciam unam cum dimidia, maſtiches electæ, uncias quatuor, nucis myriſticæ, unciam ſemis, vini Hiſpanici generoſi, libras duas. Infundantur, digerantur ac deſtillentur.

LOCVM hic liquor ſpirituoſus jure meretur inter medicamenta ſpirituoſa temperatiora nervina, cephalica, ſtomachalia & carminativa, et cum fructu in variis capitis, ventriculi, inteſtinorum adfectibus, qui a cauſſa frigida pendent, a drachma una ad unciam dimidiam exhiberi poteſt.

AQVA SERPILLI COMPOSITA, SEV BENEDICTA MYNSICHTI

REC. Herbæ ſerpilli, cum floribus tempore matutino ante ſolis exortum collectæ, uncias octo, chamomillæ Romanæ, uncias duas, ſaturejæ, thymi, ana unciam unam. Infundantur in vini Rhenani optimi libris octo, ſtent in infuſione per aliquot dies, poſtea deſtillentur, & deinde iterum cum liquore deſtillato digerantur herbæ ſerpilli cum floribus unciæ octo, caſſiæ lignea, uncia una, ligni aloes, macis, ana uncia dimidia, repetatur deſtillatio & liquor prolicitus ſervetur.

CONVENIT hic liquor cum præcedente aqua maſtichina, præterquam, quod adhuc temperatior ſit, & in adfectibus flatulentis & hyſtericis magis ſpecificus credatur. Propinatur a drachmis duabus ad unciam ſemiſſem, immo integram. Externe, æque ac præcedens, partibus debilitatis & ſugillatis adplicatur.

AQVA VIRTVTVM

REC. Foliorum meliſſæ recentis, manipulos ſex, ſalviæ, manipulos quindecim, flor. lavendulæ, lil. convallium, ana uncias ſex, caryophyllorum, cinnamomi electi, granorum

rum paradiſi, ana drachmas decem, galangæ, macis, ana drachmas tres, vini Hiſpanici generoſi, menſuras quatuor. Infundantur, digerantur, ac deſtillentur.

EST liquor ſpirituoſus, balſamicus, aromaticus, ſelectus, qui egregia virtute calefaciente, diſcutiente, diaphoretica, nervina, cephalica, ſtomachali, carminativa & uterina pollet. Doſis eſt cochlear unum vel alterum.

AQVA VITAE MVLIERVM

REC. Herb. fœniculi, meliſſæ, menthæ criſpæ, rorismarini, ſalviæ minoris, verbenæ, ana manipulum unum, antophyllorum unciam ſemis, cardamomi, caryophyllorum, cinnamomi, cubebarum, galangæ, granorum paradiſi, macis, nuciſtæ, ana unciam unam cum dimidia, rad. zedoariæ, zingiberis, ana unciam dimidiam, vini Rhenani generoſi, libras decem. Infundantur, digerantur, & deinde lege artis deſtillentur.

VIRTVTE carminativa, ſtomachali, uterina & cephalica ſeſe hic liquor commendat, tum interne a drachmis duabus ad unciam dimidiam propinatus, tum externe adplicatus. Gravidæ a largo & frequenti ejus uſu abſtinere debent, ne nimiam humorum commotionem efficiat, hæmorrhagias provocet, & ſic plus ad præmaturam embryonis expulſionem, quam deſideratam retentionem conferat, præſertim, ſi mulieres

res valde plethoricæ & ad iracundiam proclives ſint, aut neceſſariam graviditatis tempore venæſectionem negligant, vel plane abominentur.

AQVA VVLNERARIA, TRAVMATICA, SEV SCLOPETARIA, IT. CATAPVLTARVM, VVLGO L'EAU D'ARQUEBUSADE DICTA

REC. Fol. ſalviæ, artemiſiæ, conſolidæ utriusque, ana manipulos quatuor, nicotianæ, bugulæ, centaurii minoris, betonicæ, morſus diaboli, momordicæ, ſaniculæ, plantaginis utriusque, agrimoniæ, verbenæ, filicis, abſinthii, fœniculi, ana manipulos duos, hyperici, telephii, ana manip. unum, rad. ariſtolochiæ utriusque unciam unam. Infundantur conciſa & contuſa vino albo ad quatuor digitorum eminentiam, & præmiſſa aliquot dierum digeſtione, liquor ſpirituoſus in arenæ aut cinerum balneo deſtilletur.

QVANQVAM formulam hanc variæ ſpecies, præſertim ſubadſtringentes, ingrediantur, quæ, ob partium volatilium defectum, liquorem transſtillantem virtute imbuere nequeunt, non contemnendas tamen hic liquor vires diſcutientes & travmaticas poſſidet, quando externe ſugillationibus, contuſionibus, ulceribus & vulneribus, ſclopeto præcipue inflictis, adplicatur, aut injicitur, vel eodem etiam ulcera ac vulnera frequentius eluuntur. Roborandi quoque fine lintea,

tea, hoc liquore imbuta, in imbecillitate viſus, & ophtalmiis ſeroſo-catharrhalibus oculis clauſis imponuntur. Interne rarius quidem exhibetur, at cum fructu pariter in prædictis adfectibus, ut & ſanguine coagulato & extravaſato, præſertim abſente febre, ad cochlear unum vel alterum propinari poteſt.

❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁

CAPVT IV

DE SPIRITIBVS ACIDIS DVLCIFICATIS, SEV SALINO-ACIDO-INFLAMMABILIBVS

§. I

DVLCEDINIS vocabulum apud chemicos nunc in ſenſu *proprio*, nunc *improprio*, ſumitur. In ſenſu priori ſubſtantiæ, quæ gratum linguæ ſaporem imprimunt, & communi hominum ſuffragio vocantur dulces, ut ſacharum, mel, &c., dulcia audiunt; in ſenſu poſteriori autem dulcium, ſeu rectius, *edulcoratorum* & *dulcificatorum*, nomine inſigniuntur corpora quævis, quæ ſapore acri, cauſtico, acido, amaro, ſalſo, lixivioſo, quo antea gaudebant, orbata fuerunt, & tunc vel inſipida plane exiſtunt, vel gratiorem ac temperatiorem obtinuerunt ſaporem. Hiſce poſtremis etiam accenſeri merentur ſpiritus acidi ac cauſtici

ſtici minerales, ita alcohole contemperati, ut aciditas vel penitus, vel maxima tamen ex parte, una cum corrodendi facultate, evaneſcat, & illi ea propter interne tuto poſſint propinari.

§. II

VERVM dulcificationis fundamentum non in ſimplici duntaxat, ac mera, uti nonnulli erronee opinantur, ſpiritus acidi & inflammabilis miſcela, ſed in nova potius ac ſingulari ſyncriſi conſiſtit. Acida ac cauſtica enim ſubſtantia ſalina partem inflammabilem, facta miſcela, phlegmati ſpiritus vini violenter eripit, &, cum eadem in novum compoſitum, ac verum oleum æthereum, tenerrime deinceps in integro adhuc ac nondum diſſoluto vini ſpiritu ſolvendum, coaleſcens, obtunditur, involvitur, & ita contemperatur, ut, depoſita indole cauſtica, nullum amplius violentæ ac noxiæ roſionis effectum edere valeat. Oleum memoratum tam ſingularis quoque teneritudinis eſt, ut ſpiritus dulcificatus, aquæ frigidæ infuſus, illud haudquaquam dimittat, multo minus aquam lacteam reddat.

§. III

INNOTESCIT dictorum veritas, ſi ea, quæ ſub dulcificationis actu, & poſt eundem occurrunt, exactiori conſiderationi ſubmi-

tantur. Nam ſub quavis ſpiritus acidi concentrati inſtillatione vaporem albicantem ex ſpiritu inflammabili adſurgere, & vitrum, in quo utriusque liquoris commixtio ſuſcipitur, adeo paullatim incaleſcere obſervamus, ut digitis, ſi quantitas fuerit major, vix tangi queat. Ex quo phænomeno clare conſtat, fortem ſub paullatina miſcela partium acidarum & inflammabilium attritum atque conflictum inteſtinum contingere, & mediante hac colliſione primo diacriſin, poſtea novam ſyncriſin procurari, quæ deinde, ignis actione ſub deſtillatione ſuperveniente, cum grati ſaporis & odoris augmento, firmior evadit. Peracta ſpiritus fragrantis ac vere dulcificati abſtractione, multum phlegmatis, fœtidis ac cauſticis partibus acidis remixti, in cucurbita remanet; manifeſto documento, partem phlogiſtam ipſi ereptam eſſe, idemque proinde, ablato principio inflammabili, quod ſolum cum acido potenti firmum ſubiit connubium, ſuperſtites partes acidas amplius haud potuiſſe contemperare.

§. IV

VALIDIVS adhuc argumentum ſuppeditat *oleum vitrioli dulce æthereum*, ſequenti modo, ſimul cum dulci vitrioli ſpiritu, parandum: Sex partes ſpiritus vini dephlegmatiſſimi atque

que puriſſimi cum una olei vitrioli recentis, rectificati, ac probe fumantis parte in vitro capaci, anguſtioris tamen colli, ſenſim miſcentur. Hæc mixtura, vel ſtatim, vel præmiſſa aliquot dierum, aut ſaltem 24. horarum digeſtione frigida aut calida, e cucurbita mediocris altitudinis, in balneo arenæ collocanda, & alembico, interpoſita veſica ſuilla humectata, firmiſſime claudenda, deſtillatur: Sic mitiori igne in principio ſubſtrato, ſpiritus fragrantiſſimus, valde elaſticus, atque volatilis, in recipiens expellitur, cui, mixtura ſpiſſiori facta, ſub auctiori ignis gradu, albi ſuccedunt vapores, ægre ob gravitatem adſurgentes, & pingues, frigore aliquantulum condenſati, ſtrias, globulosque exiguos oleoſos in alembico formantes, qui, in receptaculum defluentes, verum oleum aromaticum fragrantiſſimum aggregatione ſua producunt, quod acido ac pingui liquori partim innatat atque ſupernatat, partim in eodem ad vitri fundum deſcendit. Continuata deſtillatione liquor magis ſulphureus, atque acidus, cum pauco, eoque poderoſiori atque craſſiori oleo, flavi coloris, transcendit. In cucurbita autem maſſa nigricans, picis inſtar ſpiſſa, & forti odore acido atque ſulphureo prædita, remanet. Flaveſcentes ejusmodi miculas oleoſas, quanquam pauciores, phlegmati,

mati, poſt peculiarem ſpiritus nitri dulcificationem, in cucurbita relicto innatantes, aliquoties etiam memet obſervaſſe memini, aſt nunquam eas, ob quantitatem nimis exiguam, & ſequeſtrationis difficultatem, ſeparavi: Credo tamen, hoc nitri oleum dulce oleo prædicto, ex acido vitrioli potenti, & phlogiſta alcoholis parte enato, natura fuiſſe ſimillimum.

§. V

QVO potentius atque ſpecifice gravius acidum dulcificandum exiſtit, eo citius quoque atque facilius, addito alcohole, cauſticam amittit indolem, ac juſtam dulcedinem nanciſcitur: Hinc citius longe atque facilius acidum vitrioli graviſſimum, leviori acido nitri, & hoc iterum citius, facilius, atque perfectius acido culinari, comparative leviſſimo, miteſcit. Inde pariter ratio petenda erit, cur ſpiritus nitri flammificus, ſpiritus ſalis fumans Glauberi, nec minus probe concentratum vitrioli oleum longe promptius, quam ſpiritus hujusmodi vulgares, phlegmate nimium debilitati, in mutuos cum alcohole amplexus ruant, & multo gratiores ac mitiores ſpiritus dulcificatos ſuppeditent: Immo, ratio inde petenda, cur ſpiritus ſalis aciditatem ſuam, niſi adfuſa largiſſima ſpiritus

tus vini quantitate penitus diluatur ac debilitetur, nunquam perfecte amittat, itemque, cur ex acidis vegetabilis proſapiæ, prædicto ſalis ſpiritu longe adhuc aquoſioribus, levioribus atque debilioribus, nulli veri ſpiritus dulcificati poſſint parari.

§. VI

ALCOHOLIS quantitas pro differenti acidi dulcificandi potentia & indole variat. Acidum nitri concentratum ac fumans ad ſui dulcificationem quantitatem maximam, acidum ſalis minorem, & vitrioli acidum minimam quantitatem poſtulat, & deſtillatio, vel ſtatim poſt acidi & alcoholis miſcelam, vel, quod plerique credunt præſtare, prævia per diem & noctem frigida aut calida digeſtione, in cucurbita altiori, arenæ balneo imponenda, & alembico ſuo, firmiter circa commiſſuram munito, claudenda, optime peragitur. Allaborandum quoque erit, ut, ſubdito igne moderato, ac ſenſim ſenſimque aucto, gratus duntaxat, fragrans, & ſufficienter dulcificatus ſpiritus, prorſus in cucurbita relicto phlegmate inutili, fœtido, & acidis cauſticis particulis adhuc prægnante, placide in receptaculum educatur.

§. VII

QVATVOR errores notatu dignos, qui more vulgari ſpiritus hoſce præparant, ordi-

nario committere conſueverunt. Primo enim, loco acidi concentratiſſimi ac probe fumantis, vulgares, & nimis phlegmaticos ſpiritus, qui ob impotentiam alcoholis partem phlogiſtam prompte a phlegmate avellere, & ſibi adunare nequeunt, adſumunt. Secundo, uni parti liquoris acidi, cujuscunque etiam ſit proſapiæ, tres ſaltem vel quatuor ſpiritus vini partes admiſcent, quæ ideo, ob nimis parcam ſubſtantiæ inflammabilis quantitatem, inducendæ juſtæ temperiei & dulcedini haudquaquam ſufficiunt. Tertio, deſtillationem in retorta, ceu vaſe nimis humili, ſuſcipiunt, & quarto omne propemodum liquidum, in retorta contentum, in recipiens expelluntur. Adeoque non mirandum eſt, quod ſpiritus, ea parati methodo, ob largam partium cauſticarum, & inutilium aquearum inhæſionem, naribus odorem ingratiorem & linguæ ſaporem pauliſper adhuc cauſticum imprimant.

§. VIII

SPIRITVS acidi rite dulcificati ſaporis æque atque odoris gratia ſeſe commendant; temporis tamen ſucceſſu majorem iterum ſortiuntur acredinem, præſertim, ſi in loco calidiori adſervantur, aut ſæpius aeri liberiori in vitrum apertum acceſſus pateat. Nam partes ſubtiliores, relictis gravioribus, paullatim

latim avolant, & multæ præterea moleculæ cauſticæ, antea involutæ, deſtructa, per aerem, calorem, & inde pendentem motum inteſtinum perennem, priſtina acidi & inflammabilis principii unione, rurſus evolvuntur, & ſic, a compedibus ſuis liberatæ, liquori majorem iterum acorem conciliant. Ad debitam tamen dulcedinem ac juſtam temperiem poſſunt reduci, ſi denuo, nova, eaque modica, recentis alcoholis portione addita, deſtillentur; quemadmodum id pariter monendum venit, quando poſt primam ſtatim deſtillationem nimia adhuc acredine inſtructi obſervantur. Quod vero ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſi, vel ſalis tartari additionem, quam nonnulli ad acidum corroſivum penitus extinguendum ſuadent, attinet, illa mihi parum arridet, quum hæc corrigentia etiam ſubtile principium acidulum, quod in nitri & ſalis ſpiritu dulcificato neceſſario remanere debet, deſtruant, & prius præterea, ſalis ammoniaci videlicet ſpiritus vinoſus, odoris & ſaporis gratiam notabiliter corrumpat.

§. IX

INSTITVTO exactiori indolis ſcrutinio, ſpiritus acidi, rite dulcificati, duplicis inveniuntur generis. Alii enim, quo *ſpiritus vitrioli dulcis*, quem vulgo *liquorem anody-*

num mineralem vocant, primario referri meretur, valde ſulphurei, fragrantes, mobiles, expanſivi ſunt, ac nihil amplius aciduli ſaporis linguæ imprimunt; alii contra, cujus cenſus exiſtunt *ſpiritus nitri* & *ſalis dulcis*, ſenſibili ac grata adhuc aciditate, longe tamen eminentiori in hoc, quam illo, inſtructi ſunt: Hinc priores etiam nullum amplius refrigerium humoribus adferunt, qua virtute tamen poſteriores, teſte experientia, adhuc pollent.

§. X

MILITANT ſpiritus acidi dulcificati, temperata tamen ac grata adhuc aciditate prædiți, inter præſtantiſſima medicamenta anodyna, antiſpasmodica, carminativa, ſtomachalia, aperitiva, diuretica & antorgaſtica, atque perſæpe ſummo cum fructu in adfectibus cardialgicis, colicis, hypochondriacis, hyſtericis, nephriticis, calidis rhevmaticis atque arthriticis, nec minus in cephalalgia, vertigine, epilepſia, mania, aſthmate ſanguineo-ſpaſmodico, ictero, nauſea, vomitu, diarrhœa bilioſa, cholera, dyſenteria, ebullitione bilis, anorexia, dyſpepſia, inflammationibus, præſertim eryſipelaceis, febribus bilioſis, ardentibus, inflammatoriis, malignis putredinoſis, itemque in hæmorrhagiis exorbitantibus, & pluribus aliis morbis, per ſedativa, temperantia ac lenia diaphoretica curandis, propinari poſſunt.

§. XI

ACTIONEM ſuam hi ſpiritus magis in ſolida, quam fluida exercent, & leniter ſtimulando vividam in prioribus contractionem, & ea mediante vegetiorem quoque, nullo tamen modo impetuoſum, humorum circulum & influxum provocant. Hinc facile etiam concipiendum, cur ſtagnationes & ſtaſes, ceu frequentiſſimas atque proximas plerorumque dolorum, ſpaſmorum, convulſionum, inflammationum, febrium, exorbitantium profluviorum ſanguinis, ſimiliumque ægritudinum cauſſas, blande & citra turbulentam commotionem tollant, liquidorum motus ad naturalem ordinem ac priſtinam libertatem reducant, & ſe- & excretiones, præprimis per vias urinarias, augeant. Accedit viribus hiſce, quas in ſolidas præcipue partes exſerunt, virtus temperans & antiputredinoſa, quam bili ebullienti, ſanguini orgaſtice expanſo, ut & hiſce atque humoribus reliquis, diſſolvente impuritate oleoſo-urinoſa prægnantibus, facta intimiori miſcela, præſtant.

§. XII

ALTERIVS claſſis ſpiritus dulcificati, qui, penitus extincto ſapore acidulo, fragrantiſſimi, ac valde ſulphurei redditi fuerunt, præcedentibus longe calidiores exiſtunt, & ideo tonicas quidem, antiſpasmodicas, carminativas, anodynas, diſcutientes atque diaphoreticas poſſident vires, temperantibus vero & antorgaſticis plane deſtituuntur, idque cauſſa exiſtit, cur cholericis, ſiccis, biliosis, plethoricis, ſubjectis, nec minus morbo, a graviori humorum expanſione orgaſtica, & fervida indole primario pendente, laborantibus, tuto exhiberi nequeant.



SPIRI-

SPIRITVS SALINO-ACIDO-INFLAMMABILES VSITATIORES

Spiritus vitrioli dulcis.	*Spiritus carminativus de tribus.*
– *nitri dulcis.*	– *formicarum cum ſpiritu vini.*
– *ſalis dulcis.*	
– *nitri anticolicus.*	

SPIRITVS VITRIOLI DVLCIS

REC. Olei vitrioli rectificati, vel etiam vulgaris, probe tamen adhuc fumantis, partem unam, alcoholis ſeu ſpiritus vini dephlegmatiſſimi partes quatuor, quinque, aut ſex. Oleum vitrioli ſucceſſive atque guttatim alcoholi, in vaſe mundo capaci contento, inſtilletur, & mixtura, peracta miſcela, frequenti vaſis agitatione promovenda, per diem & noctem leni committatur digeſtioni: Deinde liquidum cucurbitæ vitreæ, alembico ſuo optime claudendæ, infundatur, & deſtillatio blando arenæ calore peragatur. Primo liquor ſpirituoſus fragrantiſſimus, mobiliſſimus atque concentratiſſimus tranſtillat, huic ſuccedit ſpiritus ſatis quidem ſulphureus atque fragrans, priori tamen aquoſior, qui ſeorſim colligendus & adſervandus, vel etiam cum præcedente miſcendus eſt. Expulſo ſpiritu, phlegma cum olei ætherei aromatici pauxillo expellitur, quod valde quidem ſulphureum eſt, medicum tamen uſum nondum obti-

obtinuit, & ideo, ſeparato oleo, partim ſubſidente, partim innatante, ceu liquidum inutile, rejicitur. In cucurbita maſſa nigricans reſinoſo-carbonaria fortiſſimi odoris ſulphurei remanet.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM SPIRITVS VITRIOLI DVLCIS

I. AD olei vitrioli concentratiſſimi partem unam vix quatuor, quinque aut ſex alcoholis partes requiruntur, quoniam acidum hoc, ceu omnium potentiſſimum, phlogiſtam alcoholis partem cito ac facile a phlegmate avellere, ac ſibi arcte adunare valet: Hinc abſtracto etiam ſpiritu concentrato, multum phlegmatis, etiamſi oleum vitrioli rectificatiſſimum, & alcohol optimum adſumtum fuerit, partim transſcendit, partim in cucurbita relinquitur, quod antea in intima ſpiritus inflammabilis mixtione hæſit, &, ſub acidi miſcela & mixti liquoris deſtillatione, phlogiſto ſuo ſpoliatum fuit.

II. Præſtat blandam aliquot dierum, vel viginti demum horarum digeſtionem calidam, in vaſe probe munito, deſtillationi præmittere, ut melior partium inflammabilium & acidarum unio contingat: Suadent quoque nonnulli ſpiritus abſtracti cohobationem, quæ mihi tamen, ſi alias ſub prima

prima ſtatim deſtillatione ſingula rite peracta fuerint, ſuperflua videtur.

III. Loco cucurbitæ alii retortam vitream recipiunt: Verum, cucurbita, ſi ſpiritum ſolum prolicere velimus, retortæ longe præferenda eſt; ſin vero oleum quoque largius colligere placet, tunc retorta aptior eſt, quoniam oleum ægre adſurgit, poteſt tamen, adhibita etiam cucurbita humiliori, finis ſatis bene obtineri.

IV. Commiſſuræ optime claudendæ ſunt, ne portio ſpiritus mobiliſſima penetret, ac fruſtra in auras diſpergatur. Hic ſpiritus enim rite paratus ſubtilitate, mobilitate, vi expanſiva & fragrantia ſingulos pene ſpiritus inflammabiles alios ſuperat, immo, tam levis eſt, ut, aquæ frigidæ infuſus, diu abſque commixtione in ſuperficie hæreat, &, admota flamma, illico accendatur.

V. Deſtillatione ad finem vergente ignis valde moderatus adhibendus eſt, ne relicta maſſa nigricans, ſpiſſiuſcula, quod alias facile fieri conſuevit, cum impetu quodam in alembicum, vel retortæ collum adſcendat. Maſſa hæc penetrantem ſulphuris mineralis odorem ſpargit, &, certa encheireſi ſublimata, veros ſulphuris flores ſuppeditat. Quando eidem repetita vice aqua ſimplex adfunditur, & acidum ſuperſtes eluitur, merum magma reſinoſo-carbonarium, ex craſſiori alcoholis phlogiſto, & terreo-acidis olei vitrioli partibus, nova interveniente ſyncriſi, enatum, ſiſtit.

VI. Quanquam ſpiritus vitrioli dulcis rite paratus ſapore & odore perfecte ſulphureo & balſa-

mico

mico gaudeat, nec ulla amplius aciditas guſtu in eo detegi poſſit, nondum tamen ab acido ſubtili, altius immerſo, plane immunis eſt. Addito enim ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, tenerrimum *ſal medium ammoniacale liquidum* naſcitur, & cyani quoque flores, ut & ſyrupus violarum rubicundum induunt colorem, quando prioribus ſuperfunditur, & poſteriori decenti quantitate immiſcetur, immo mercurium vivum, in nitri ſpiritu ſolutum, in *flavum turpethum minerale* præcipitat.

VII. Eſt medicamentum ſatis activum ac calidum, quod, tempeſtive uſurpatum, virtute anodyna, antiſpasmodica, tonica, carminativa, diſcutiente & diaphoretica ſeſe commendat, ac ſæpius cum fructu in doloribus ſpasmodicis, nephriticis, motibus convulſivis, epilepticis, nec minus in cardialgia, colica, malo hypochondriaco & hyſterico, nauſea, vomitu, vertigine, agrypnia, &c., propinatur. Abſtinendum tamen ab uſu ejus apud ſubjecta valde plethorica, valde bilioſa, itemque in morbis, a forti humorum ebullitione, ac pertinaci pororum cutis obſtructione primario pendentibus: Vias enim liberas & poros apertos poſtulat. Variis admiſceri poteſt tincturis, ut virtutes earum exalter. Cum *ſpiritu bezoardico* BVSSII mixtus, in febribus malignis non contemnendum ſubinde auxilium attulit, &, radici curcumæ, ac cochinillæ pulveriſatæ ſuperfuſus, egregium in calculo, & arthritide frigida remedium conſtituere dicitur. Corpora reſinoſa, immo ipſum gummi Copal, quod alias difficillime ſolvitur, ut & olea ætherea tenerrime ac prompte diſſolvit, & ideo in

in eſſentiarum, &c., confectione menſtrui loco nonnunquam optime adhiberi poteſt. Per ſe in vehiculo vinoſo, aut aquoſo, vel etiam ſachari fruſtulo inſtillatus, a guttis 10. ad 20. 30., propinatur.

SPIRITVS NITRI DVLCIS

REC. Spiritus nitri fumantis ſeu flammifici recentioris, partem unam, ſpiritus vini rectificatiſſimi, partes duodecim. Spiritus nitri alcoholi, in vaſe vitreo capaci, ſucceſſive ac provide inſtilletur, & mixtura, præmiſſa, ac ſæpius deinde reiterata vitri probe muniti motitatione, in loco tepido digeſtioni committatur, ut partes arctius combinentur. Finita digeſtione, mixtura, cucurbitæ vitreæ mediocris altitudinis infuſa, in arenæ balneo, obſervatis conſuetis encheiriſibus, deſtilletur, & ſpiritus ſubtilior, adhibito igne moderato, tantummodo, ad tertiæ vel quartæ partis remanentiam, abſtrahatur, & deinde, ſi fuerit neceſſe, addita nitri puri pulveriſati ſicciſſimi, & alcoholis modica quantitate, in alia cucurbita munda ſemel vel aliquoties rectificetur, ut puriſſimus atque ſubtiliſſimus evadat. Quod in priori cucurbita relictum fuit, merum phlegma nauſeoſum eſt, partibus cauſticis valde imprægnatum, & nullum ideo uſum habet, ſed, tanquam inutile liquidum, rejicitur.

NOTAN-

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM SPIRITVS NITRI DVLCIS

I. SPIRITVS nitri flammificus, fumans, rubri coloris, liquidum ſumme cauſticum eſt, & ideo etiam decem vel duodecim alcoholis partes ad ſui dulcificationem poſtulat. Sub commixtione fortis oritur colliſio interna, adſurgunt vapores albi, & vitrum paullatim incaleſcit. Provide igitur & ſaltem guttatim ſpiritus nitri alcoholi inſtillandus eſt, ne, ordine inverſo, aut una vice nimia ſpiritus nitri quantitate infuſa, vehemens & periculoſa ebullitio oboriatur.

II. Sub rectificatione ideo nitrum ſiccatum & alcoholis recentis portio adduntur, ut prius partes aqueas adhuc inhærentes abſorbeat, & poſterius partes ſpiritus acidas, nondum perfecte involutas, contemperet.

III. Spiritus nitri rite dulcificatus odore vinum Rhenanum, aut poma Borsdorffiana æmulatur, & ſapore pollet gratiſſimo, paullulum tamen adhuc acidulo, qui temporis ſucceſſu evadit iterum eminentior, præſertim, ſi in loco calidiori adſervetur, aut vitrum obiter ſaltem clauſum fuerit.

IV. Eſt remedium polychreſtum, & vires antiſpaſmodicas, carminativas, anodynas, uterinas, & diureticas inſignes obtinet: Hinc etiam perſæpe exhibetur utiliſſime in ebullitione bilis, adpetitu imminuto & proſtrato, digeſtione læſa, flatulentiis, cardialgia, colica, malo hypochondriaco & hyſterico, dyſuria, calculo, palpitatione cordis, ictero, aſthmate ſanguineo ſpaſmodico, vertigine, cephalalgia, epilepſia, mania, inflammationibus, præprimis eryſipelaceis, febribus variis, etiam malignis, & pluribus aliis ægritudinum ſpeciebus, in quibus antiſpasmodica, anodyna, & temperata diſcutientia proſunt. Leni enim ſtimulo ſolidorum contractionem, & hoc mediante humorum circulum & influxum auget. Per ſe in vino, cereviſia, aqua ſimplici aut quadam deſtillata, vel etiam ſachari fruſtulo inſtillatur, a guttis 10. ad 20. 30. 40., propinatur. Commode cum aliis tincturis & eſſentiis, præſertim gummoſis, miſcetur, atque olea ætherea genuina prompte ſolvit, ut hac igitur ratione mixturæ, aut ſaltem tincturæ ſimplices magnarum virium ex tempore confici queant.

SPIRITVS SALIS DVLCIS

REC. Spiritus ſalis fumantis GLAVBERI, partem unam, alcoholis, partes octo. Spiritus ſalis provide & guttatim inſtilletur alcoholi, &, præmiſſa aliquot dierum digeſtione, liquor ſubtilior, in arenæ balneo, igne moderato, e cucurbita, ad tertiæ vel quartæ partis remanentiam, proliciatur, qui deinde, ſi debita fortaſſis dulcedine nondum gaudeat, addita modica alcoholis recentis & ſalis ſiccati

cati portione, rectificari potest. Methodo magis compendiaria, & absque prævia spiritus acidi expulsione solitaria, spiritus salis dulcis sequenti paratur methodo: Rec. salis culinaris probe siccati, uncias quinque, olei vitrioli, uncias duas, & alcoholis, libram unam. Sal cucurbitæ immittatur, & aliquot unciis alcoholis diluatur, deinde oleum vitrioli successive instilletur, & ne mobilissimæ nebulæ albicantes, quæ instillato oleo vitrioli cum impetu quodam adsurgunt, abeant in auras, cucurbita post quamcunque instillationem alembico claudatur. Peracta olei vitrioli additione successiva, alcohol residuum adfundatur, & destillatio more consueto in arenæ balneo adornetur; sic uno quasi actu spiritus acidus expellitur, dulcificatur, & evocatur. Hic spiritus non inferior est spiritu salis dulci, præcedente methodo parato, immo eidem, si omnes encheireses probe fuerint observatæ, nonnunquam præferri meretur.

NOTANDA
CIRCA
NATVRAM, VIRES ET VSVM
MEDICVM SPIRITVS SALIS
DVLCIS

I. SPIRITVS salis dulcificatus eundem ferme, quem ribium succus, odorem spirat, & sapore acidulo,

acidulo, immo satis subinde adhuc acido, præditus est, ut dentibus etiam stuporem quendam inferat, & hunc acorem notabiliorem pertinaciter quoque retinet, nisi copioso spiritu vini quasi diluatur, ac penitus debilitetur. Ratio in levitate & impotentia hujus acidi quærenda est; quippe quod tam debile est, ut sufficientem contemperantis substantiæ inflammabilis portionem ab aquosa alcoholis parte vivide avellere, & firmiter deinceps cum eadem in novum ac temperatum compositum oleosæ indolis coalescere nequeat.

II. Spiritus salis dulcificati usus tam late, quam usus spiritus nitri dulcis, non patet, quum posteriori viribus anodynis, antispasmodicis & carminativis multo sit inferior, gaudet tamen egregia virtute antorgastica, stomachali, aperitiva, & diuretica, ac sæpius proinde ad corrigendas cruditates biliosas, & oleoso putridas, nec minus in liquoris gastrici inertia, adpetitu imminuto & prostrato, læsa digestione, siti nimia, obstructione viscerum chronica, calculo, febre tertiana, ictero acuto, &c., cum optato propinatur effectu. Partes enim biliosas, adcumulatas, fervidas, itemque oleoso-urinosas magis, quam nitri spiritus dulcificatus, temperat, &, fortius elastica tunicarum & vasorum filamenta irritando, validius pariter obstructiones reserare, subsistentia & impacta excutere, ac denuo ad circuitum & progressum reducere valet. Datur rite dulcificatus a guttis 10. ad 20 30., vel sachari frustulo instillatus, vel cum aqua quadam

deſtillata; commode quoque cum tincturis quibusdam remiſcetur.

SPIRITVS CARMINATIVVS DE TRIBVS

REC. Nitri, tartari, ana libras duas, cinerum clavellatorum, libram unam. Pulveriſata & mixta ſucceſſive ac cochleatim in retortam tubulatam, capaci recipiente, cui ſpiritus vini rectificati libræ duæ antea infuſæ fuerunt, inſtructam, immittantur, ac methodo conſueta detonentur; ſic fumi acidi, per tubum lateralem expulſi, ſpiritum vini intrant, &, cum phlogiſta ejus parte obiter coaleſcentes, aliquam conſequuntur dulcedinem. Hic liquor clyſſiformis etiam ex ſolo nitro & tartaro, abſque cinerum clavellatorum additione, quæ plane videtur ſuperflua, parari poteſt. Peracta detonatione, liquor in cucurbita rectificatur, ut partium unio evadat firmior, & portio ſubtilior a craſſiori ſeparetur.

SPIRITVS hic ex acido nitri & tartari, ſpiritus inflammabilis miſcela contemperato, conſtat, ordinario tamen ſpiritu nitri dulci, cum quo convenit quoad virtutes, inferior eſt, licet eidem vulgo ſingulares vires carminativæ tribuantur. Facile eodem officinæ carere poſſunt. Datur, ſi uſus placet, a guttis 10. ad 20. 30.

SPIRITVS NITRI ANTICOLICVS

REC. Spiritus nitri rectificati, libram dimidiam, ſpiritus carminativi SYLVII, libram unam, eſſentiæ carminativæ off., uncias duas. Mixta digerantur, & ſpiritus ſubtilior e retorta, vel, quod præſtat, cucurbita abſtrahatur, relictis partibus acidis crudioribus & gummeo-reſinoſis, quæ ultimæ ſimul transcendere nequeunt. Aucta quoque ſpiritus carminativi quantitate, eſſentia carminativa penitus ſub hujus liquoris præparatione exulare poteſt, quum partes gummeo-reſinoſæ, in ea antea ſolutæ, ſpiritum tranſtillantem ob fixitatem ſequi nequeant.

SPIRITVS hic, qui vulgo contra adfectus flatulentos ac colicos commendatur, convenit cum ordinario ſpiritu nitri dulci, præterquam, quod partibus quibusdam balſamicis inſtructus ſit. Si rite præparatus nitri ſpiritus dulcis ex tempore cum ſpiritu carminativo SYLVII, & eſſentia carminativa, vel etiam cum ſolo ſpiritu carminativo miſcetur, longe præſtantius inde mixtum reſultat, quod ſecurius in variis adfectibus flatulentis exhiberi poteſt, quam deſcriptus ſpiritus nitri anticolicus, cujus præparationi nimis parca ſpiritus inflammabilis quantitas impenditur. Datur, ut præcedens, a guttis 10. ad 20. 30.

SPIRITVS FORMICARVM CVM SPIRITV VINI

REC. Formicarum majorum, tempore vernali, ac die ſereno collectarum, & a feſtucis mundatarum, quantum placet. Affunde iis in cucurbita ſpiritum vini rectificatum, ad trium digitorum eminentiam, &, præmiſſa aliquot dierum digeſtione, ſpiritum, in balneo arenæ, igne blando, deſtilla, donec ſtriæ in alembico diſparere incipiant. Spiritum prolicitum toties formicis recentibus adfunde, digere atque deſtilla, donec partibus acidulis probe impræ̃gnatus ſit. Nonnulli ſimul ovula formicarum recipere jubent; verum, cum illa, teſte experientia, nihil plane acidi liquori communicent, additio eorum ſuperflua eſt.

SPIRITVS formicarum, deſcripta methodo paratus, acido ſubtiliſſimo ac penetrantiſſimo inſtructus eſt, & ideo multum, commovendo humores, ac vivide ſtimulando ſolida, ad vegetiorem ſanguinis ac fluidi nervei influxum provocandum valet; unde etiam fit, ut, tempeſtive uſurpatus, vires analepticas, antiparalyticas & aphrodiſiacas non contemnendas exſerat. Dicitur etiam *Aqua magnanimitatis ſimplex*, & interne, ad unum vel alterum cochlear, exhibetur. Externe frequentiſſime partibus paralyticis, flaccidis, & dolore arthritico atque

atque rhevmatico vexatis, nec minus genitalibus in virili impotentia & venereo languore cum fructu illinitur. Vitrum, in quo conſervatur, probe obturandum eſt, alias partes acidulæ volatiles penetrantiſſimæ evolant, & ſpiritum, non adeo amplius activum, relinquunt. Cautela hæc etiam deſtillationis & digeſtionis tempore obſervanda eſt.

❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁

CAPVT V

DE SPIRITIBVS VRINOSO-OLEOSO-INFLAMMABILIBVS ET SIC DICTIS SALIBVS VOLATILIBVS OLEOSIS LIQVIDIS

§. I

SPIRITVS hujus claſſis duplicis generis ſunt, videlicet 1) *ſpiritus ſalino-urinoſo-inflammabiles*, & 2) *ſalino-urinoſo-oleoſo-inflammabiles*. Illi ex ſolo *ſpiritu inflammabili* ac puro *ſale volatili urinoſo*, hi autem ex *iisdem* ac ſimul e tenerrime reſolutis *partibus oleoſis balſamicis*, quæ ſpecificum ipſis ac gratiorem imprimunt characterem, componuntur.

§. II

VINI ſpiritus, ad compoſitionem ſpirituum urinoſo-inflammabilium ordinario ne-

ceſſarius, ſolummodo adſumitur rectificatus, h. e., notabili adhuc phlegmatis quantitate remixtus, vel rectificatiſſimus, ſi placuerit, receptus aqua ſimplici ac pura aliquantulum ante miſcelam diluitur, ut uniendum ſal volatile oleoſum eo promptius, quod alcohol præſtare nequit, diſſolvere & in poros ſuos recipere valeat. Rariſſime tamen ſpiritus urinoſus jam præparatus ſimpliciter cum ſpiritu inflammabili miſcetur, ſed poſterior, quæ methodus in præparatione ſpiritus ſalis ammoniaci præcipue ſolennis eſt, mixturæ ſalis ammoniaci & cinerum clavellatorum additur, & uno actu ſal volatile urinoſum cum ſpiritu inflammabili expellitur.

§. III

NON ſemper mixturæ digeſtione, quam aliqui præmittere jubent, opus eſt, dummodo ſalia miſcenda ante deſtillationem ſeorſim & ſufficienter in ſpiritu inflammabili phlegmatico fuerint ſoluta, ut promptam ideo ac vividam actionem & reactionem exercere poſſint. Deſtillatio in cucurbita vitrea, alembico ſuo probe munienda, & in cinerum vel arenæ balneo collocanda, valde moderato tamen in principio igne adhibito, inſtituitur. Deſtillationis enim initio *ſpiritus vini rectificatiſſimi* pauxillum tranſtillat, huic ſuccedit *ſal*

ſal volatile ſiccum, tandemque *ſpiritus phlegmaticus* ſequitur, qui ſal ſiccum, alembici lateribus adpoſitum, paullatim ſolvit, abluit, & ſecum in recipiens deducit.

§. IV

SECVNDI generis ſpiritus urinoſo-inflammabiles, qui, ob conſortium oleoſæ ſubſtantiæ, quæ, ſalis urinoſi & ſpiritus inflammabilis moleculis adhæreſcens, ſpecificum ipſis odorem, ſaporem & ſpecificam pariter virtutem conciliat, vulgo *Salia volatilia oleoſa liquida* vocantur, duplici modo, nimirum vel ſola olei ætherei genuini, & ſpiritus urinoſo-inflammabilis miſcela extemporanea, vel mediante deſtillatione parantur. Si prior placet methodus, ſpiritui ſalis ammoniaci vinoſo, qui huic operi præ reliquis inſervit, tantum olei ætherei genuini ſucceſſive inſtillatur, & adjuvante digeſtione leniſſima ſolvitur, quantum ille, abſque præcipitatione & pelluciditatis jactura, ſolvere atque recipere valet. Citius adhuc, atque citra ullam digeſtionem ſuccedit, quando balſamus quidam vitæ certa quantitate cum ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo miſcetur, & intimior partium unio vitri agitatione adjuvatur. Peracta oleorum ſolutione perfecta, liquor vel ita relinquitur, vel e cucurbita deſtillatur: Intercedit tamen hunc &

illum notabile discrimen. In illo enim, sola scilicet digestione parato, subtiliores æque ac crassiores oleorum partes hærent dissolutæ, in hoc autem tenerrima saltem olei ramenta spirituosa hospitantur, quippe quæ sola, crassiori ac fixiori portione resinosa relicta, alembicum cum spiritu transscendere possunt.

§. V

METHODO posteriori electa, quæ præcipue absolvitur destillatione, partibus salis ammoniaci & salis tartari aut cinerum clavellatorum pulverisatorum anaticis, primo olea ætherea, aut balsamus vitæ, vel saltem contusæ atque concisæ species odoratæ balsamicæ adduntur, & deinde, sufficienti spiritus vini, paullulum adhuc phlegmatici, portione superfusa, destillatio more consueto, in cucurbita & arenæ balneo, instituitur, atque tamdiu continuatur, donec sal volatile penitus a liquore transeunte ex alembico in recipiens eductum sit. In cucurbita magma salinum remanet, e quo mediante extractione, evaporatione, & crystallisatione sal cubicum flavescens, sive *sal digestivum* SYLVII *balsamicum* parari potest, quod simplex virtute, præsertim antifebrili, superat. Spiritus prolicitus in principio limpidus est, ast temporis progressu pallide flavescentem colorem induit,

duit, manifesto documento, inhærentes partes oleoso-balsamicas perenni motu intestino magis successive magisque expandi.

§. VI

SALIS urinosi volatilitas, eidemque maxima ex parte innixa activitas, per tenerrimæ substantiæ inflammabilis aut oleosæ unionem valde intenditur, & unica proinde guttula salis volatilis oleosi liquidi, præsertim ex tempore absque destillatione parati, & ideo oleo substantiali integro prægnantis, majorem, teste experientia, commovendi ac calefaciendi vim in corpore humano vivo exserit, quam tres, quatuor, immo plures, guttulæ spiritus urinosi simplicis: Hinc caute etiam, & saltem apud subjecta humidiora, & in morbis frigidis, qui exagitantia, calefacientia & sudorifera fortiora perferunt, in diffusioribus atque temperatis vehiculis, exhibenda sunt. Spectant v. g. huc scabies humida, cachexia, adfectus soporosi, catarrhales & rhevmatici frigidi, colica & cardialgia flatulenta, ac plures alii morbi, qui dudum in capite de *spiritibus urinosis* §. VIII. recensiti fuerunt, & originem suam dyscrasiæ humorum salso-mucidæ, atonia & laxa solidorum compage stipatæ, debent.

§. VII

§. VII

EXTERNE, æque ac mere urinoſi, virtute diſcutiente ac roborante ſeſe commendant, quando membris paralyticis, aut rhevmatiſmis frigidis vexatis, itemque œdematoſis circumſpecte ſub linimenti forma adplicantur. Cum fructu pariter naribus admoventur, ac vertici inſtillantur, apud ſyncopticos, apoplecticos, ſoporoſos, & variis aliis capitis adfectibus frigidis laborantes; valide enim humores ſubſiſtentes diſcutere, & motum oſcillatorium in ſolidis nervoſo-membranaceis denuo ſuſcitare valent.

SPIRITVS VRINOSO-OLEOSO-INFLAMMABILES VSITATIORES

Spiritus ſalis ammoniaci vinoſus.	*Sal volatile oleoſum Sylvii.*
– ſalis ammoniaci aniſatus.	*– volatile cephalicum.*

SPIRITVS SALIS AMMONIACI VINOSVS

HVJVS ſpiritus præparatio cum ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſi præparatione convenit, præterquam, quod aquæ adfundendæ ſufficiens ſpiritus vini rectificatiſſimi portio admiſceatur, aut, loco hujus mixturæ, ſpiritus vini ſimplex, vel parum tamen rectificatus, recipiatur.

MINORI

MINORI hic ſpiritus acrimonia, quam urinoſus, gaudet, virtute tamen calefaciente illo ſuperior eſt. Interne & externe locum invenit in cunctis adfectibus, in quibus major humorum commotio neceſſaria eſt, adeoque volatilia & activa urinoſo-inflammabilia tuto adhiberi poſſunt. Datur in aqueo vehiculo, a guttis 5. ad 15. 25. Externe linimenta diſcutientia, exſiccantia & nervina frequentiſſime ingreditur.

SPIRITVS SALIS AMMONIACI ANISATVS

REC. Spiritus ſalis ammoniaci rectificati, uncias ſex, ſpiritus vini aniſati rectificatiſſimi, libram unam, olei deſtillati aniſi, drachmas duas. Mixta digerantur in vitro probe munito per octiduum, & deinde e cucurbita in arenæ balneo deſtillentur. Abſque deſtillatione paratur, quando in ſpiritu ſalis ammoniaci rectificato tantum olei aniſi genuini digeſtionis ope ſolvitur, quantum ille commode ſolvere poteſt.

OB olei aniſi conſortium ſpecifice in morbis pectoris atque renum pituitoſis, nec minus in adfectibus colicis, cardialgicis, aliiſque flatulentis commendatur: At caute cum eo mercandum, ne, humores, ob volatilem ac valde calidam indolem, nimium commovendo, plus noxæ, quam auxilii, adferat. Datur a guttis 5. ad 10. 15. 20.

PARI

PARI modo etiam *ſpiritus ſalis ammoniaci oleoſus compoſitus* ex multis aliis oleis æthereis, vel cum, vel absque deſtillatione, parari poteſt; curandum ſaltem, ut ſpiritus ſit concentratus, & olea genuina, quo miſcelam prompta & plenaria ſequatur ſolutio. Vires ſpecificæ facile deinde pro olei ſoluti indole ſpecifica determinari poſſunt.

SAL VOLATILE OLEOSVM SYLVII

REC. Salis tartari optime depurati, uncias ſex, olei deſtillati aniſi, caryophyllorum, cinnamomi, ana drachmam ſemis, macis, ſcrupulum unum, zedoariæ, ſuccini, ana ſcrupulum ſemis. Mixta leniter per biduum aut triduum digerantur, & deinde, adfuſa prius ſpiritus vini communis libra una & dimidia, additaque ſalis ammoniaci puri pulveriſati libra ſemis, ſpiritus e cucurbita, ad dimidiæ partis remanentiam, proliciatur & adſervetur.

GENVINA ſalis volatilis oleoſi Sylviani deſcriptio, quam auctor FRANCISCVS *de le* BOE SYLVIVS ſtudioſe celavit, nondum innotuit, & hoc duntaxat ad normam illius elaboratum creditur. SYLVIVS ſuo ſali volatili, quo multum pecuniæ, nec parum quoque famæ, quondam ſibi adquiſivit, vires inſignes in multis morbis, maxime autem pertinaci ac chronica menſium obſtructione, tribuebat, quas deſcriptum

ptum tamen, & ſimilia ſalia volatilia, præſtare nequeunt: Vnde ſtatuendum, ſal volatile oleoſum Sylvii vel noſtris longe fuiſſe præſtantius, vel, quod ego certius credo, naturas hominum, ob vivendi genus poſtea magis magiſque mutatum, valde pariter mutatas eſſe. Noſtra enim ætate apud pauca ſubjecta, & in paucis morbis volatilia ac calida ejuſmodi pharmaca urinoſo-oleoſo-inflammabilia interne locum inveniunt, & in pleriſque potius longe temperatiora poſtulantur. Deſcriptum ſal volatile oleoſum in morbis frigidis pituitoſis datur a guttis 5. ad 10. 15. 20., præmiſſo tamen, vel ſubjuncto infuſo quodam theiformi, quod partes volatiles magis in corpore diluat, & ſudoris proruptionem adjuvet. Externe, æque ac hujus commatis medicamenta reliqua, naribus admovetur, vertici inſtillatur, & partibus laxis, humidis, debilitatis, dolentibus &c., mitioribus tamen contemperatum, illinitur.

SAL VOLATILE OLEOSVM CEPHALICVM

REC. Spiritus ſalis ammoniaci vinoſi, uncias tres, olei deſtillati cinnamomi, drachmam ſemis, olei cardamomi, macis, ſuccini, ana ſcrupulum dimidium. Mixta leni calore digerantur per biduum, & ſpiritus oleoſus deinde more ſolito deſtilletur.

CONVENIT hoc ſal volatile oleoſum cum præcedente, quoad naturam, vires & uſum, atque

atque ideo cephalicum dicitur, quia ejuſmodi olea recipit, quibus eminentior virtus cephalica & nervina adſcribitur.

SPIRITVS SEV LIQVOR CORNV CERVI SVCCINATVS

AD hanc claſſem perfecte etiam referendus eſſet *ſpiritus C. C. ſuccinatus*, niſi ſpiritus inflammabilis in eo deficeret, & hujus loco ſaltem aqua adeſſet. Veruntamen, cum nullibi commodior deſcribendi locus exſpectandus ſit, hoc loco præparationem ejus communicabo, quæ ſeſe ita habet: Rec. Spiritus C. C. rectificati, uncias quatuor, ſalis volatilis cornu cervi, ſalis aciduli volatilis ſuccini depurati, ana unciam unam. Mixta digerantur, deinde in arenæ balneo, igne moderato, e retorta deſtillentur, & ſpiritus prolicitus aliquoties cohobetur. Alii, qui prudentius quoque me ſentiente in hoc paſſu agunt, neglecta deſtillatione, ſolius digeſtionis beneficio, partium intimiorem unionem promovent. Nam ex ſale volatili acidulo ſuccini, & urinoſo volatili cornu cervi tenerrimum enaſcitur ſal medium, quod ſub deſtillatione, adhibito cumprimis igne moderato, cum liquore transſcendere nequit: Hoc autem relicto, liquor tranſtillans nulla ſingulari virtute pollet, quippe quæ, niſi unice, certe tamen primario, a tenerrimo ac fluido illo ſale enixo derivanda eſt. Sunt quoque, qui ad olei ſuccinei unionem cum partibus urinoſis duntaxat reſpiciunt, & proinde loco ſalis ſuccini modicam olei ſuccini portionem addunt, idemque deſtillationis beneficio cum ſale urinoſo ex parte uniunt: Ex parte, inquam; multum enim olei poſt deſtillationem liquori innatat, quod, tanquam ſuperfluum, poſtea aufferendum eſt.

SPIRITVS cornu cervi ſuccinatus, ſola digeſtione paratus, adeoque ſubtili, mobili ac fluido ſale medio imprægnatus, non contemnendum pharmacum reſolvens, aperitivum, diſcutiens, diureticum atque diaphoreticum præbet, & ſpecificas inprimis vires in apoplexia pituitoſa, affectibus ſoporoſis, convulſionibus, colica flatulenta, aſthmate, &c., exſerere creditur. Quod alterum vero attinet, qui poſt digeſtionem deſtillatur, aut addito ſolummodo oleo ſuccini paratur, ille ad ordinarios ſpiritus oleoſo-urinoſos pertinet, & cum iiſdem eapropter, quoad vires & uſum, convenit. Prior a guttis 10. ad 20. 30. 40., poſterior autem, a guttis 10. ad 20. 30., exhibetur.

SECTIO III
DE
OLEIS
CAPVT I
DE
OLEIS ESSENTIALIBVS ÆTHEREIS

§. I

OLEA in genere in *Essentialia* & *Empyrevmatica*, atque priora iterum in *ætherea* & *unctuosa*, sive *unguinosa*, dividuntur. Alii, ad diversum eductionis atque productionis modum respicientes, illa in *expressa*, *cocta*, *infusa* & *destillata* distinguere consueverunt. Quod me attinet, admittere possum distinctionem utramque, quum hæc æque atque illa in tractatione fundamenti loco commode possit substerni.

§. II

OLEA essentialia, sive coctione sola aut expressione, sive destillatione e corporibus expulsa ac separata, adpellationem hanc jure merentur, ceu fluida, quæ post segregationem e matrice sua, pristinam indolem perfecte retinent, ac penitus simplicis essentiam secum

secum aufferunt. Confestim enim in herbis, floribus, seminibus, fructibus, aliisque plantarum partibus aromaticis & balsamicis, oleo expresso, vel igne humido expulso, pristinus perit odor, perit sapor specificus, perit præcipua virtus, aut indicatæ, aliæque proprietates tantopere debilitantur, ut vix amplius sensibus obviæ sint, quid? quod, matrix relicta cadaver exhibet, atque aridæ simillima videtur spongiæ, succo activo, qui vitam antea, qui activitatem largiebatur, vel prorsus, vel maxima tamen ex parte orbatæ. Sapor, odor, virtus, ac quævis reliqua simplicis dona excellentiora in oleo separato hærent concentrata. Educat scepticus, nisi labor displicet, destillatione humida omne oleum e cassia cinnamomea: Quid amplius postea illum in cucurbita vel vesica cuprea reperturum credis? Nihil certe, nisi decoctum austeriusculum, & terrestria corticis stamina, forma externa cinnamomum quidem adhuc referentia, at insipida penitus, inodora, fatua & inertia: Exprimat pariter torcularis beneficio ex amygdalis dulcibus excorticatis, quidquid inhæret olei, ac gustu deinceps exploret, num sapore dulci, num virtute nutriendi amplius gaudeant amygdala, an potius recrementa exhibeant insipida & inepta, specificis viribus plane spoliata. Ad olea

enſpyrevmatica, de quibus longe aliud judicium ferendum, commemorata extendi nequeunt: Hæc enim magis producuntur, quam educuntur, nec integra eapropter naturali ſua indole atque mixtione, ſed aduſtione valde transformata, & nova ignis ficci progenie, urinoſo videlicet ſale, imprægnata, prodeunt, adeo, ut rectius monſtroſi ſimplicium abortus, quam genuini & formoſi partus, vocari mereantur.

§. III

OLEA ætherea, de quibus in hoc capite ſpecialius agendum, fluida exhibent ſpiſſiuſcula, inflammabilia, cum aqua per ſe non miſcibilia, quoad maximam tamen partem volatilia, valde activa, odore fragrantiſſimo, ſapore acri, aromatico, igneo, & colore vario, nunc flaveſcente, aureo, rubicundo, brunno, nunc viridi, cœruleo, albido, &c., prædita.

§. IV

CIRCA fluiditatem oleorum eſſentialium hujus claſſis multum occurrit diſcriminis, eademque in aliis major, in aliis minor, in plerisque tamen tanta, atque tam conſtans deprehenditur, ut genuina, recentia, & in vitris probe obturatis adſervata, in calore æque ac frigore liquiditatem ſuam diutiſſime reti-

retineant. In plerisque, inquam, neutiquam vero in omnibus, tanta eſt, ut neque frigoris, neque caloris actione aufferatur. Dantur enim, cujus cenſus ſunt *oleum aniſi*, *fœniculi*, *roſarum*, &c., quæ in loco frigidiuſculo facillime coagulum ſubeunt, ut ſevum animale, pinguedinem, aut ſubſtantiam butyraceam albedine ac conſiſtentia referant. Redit tamen fluiditas cum priſtino colore, quamprimum igni admoventur moderatiſſimo, aut ſaltem in calida manu aliquantiſper detinentur. Optime igitur horum indoles genuina ex laudata in loco frigidiuſculo ad coagulum promtitudine cognoſcitur, & adulteria, cum ipſis a fraudulentis ſuſcepta, deteguntur. Albidum quippe ac pingue ejusmodi coagulum ab adulterinis nunquam exſpectandum, ſed illa in frigido non minus, quam calido loco colorem ſuum flaveſcentem cum liquiditate retinent, aut ſola tantum pars genuina, a reliqua portione ſecedens, ſeorſim coagulatur.

§. V

PORTIO oleorum ſpirituoſa, de qua in ſequentibus fuſius differendi occaſio erit, ordinaria quidem ac generalis fluiditatis cauſſa materialis recte æſtimatur, eademque paullatina exhalatione ablata, id, quod ſupereſt,

ſpiſſitudinem contrahit: An vero in recenſitis oleis minor ad perennem fluiditatem habitudo itidem partis ſpirituoſæ penuriæ, an potius ſubſtantiæ reſinoſæ fixioris abundantiæ, aut ſingulari denique molecularum minimarum figuræ adſcribenda ſit, nondum in clara luce poſitum eſt. Credo interim, cauſſam ultimam propius, quam præcedentes, ad veritatem accedere: De ſufficienti enim & proportionata principii ſpirituoſi inhæſione & præſentia nulla ratione dubitare licet, quum paucæ guttulæ ſatis diu odorem diffundant fragrantiſſimum, & oleum aniſi præterea difficile admodum ab aqua, quam activis particulis ſub deſtillatione valde imprægnat, ſeparari poſſit, ut ideo etiam longe minor olei quantitas, quam elicita fuerat cum aqua, ſeorſim colligatur.

§. VI

QVEMADMODVM olea ætherea fluiditate diſtincta ſunt, ſic valdopere pariter volatilitate ac gravitate ſpecifica differunt. Aliqua, ut *oleum ligni ſaſſafras*, *caryophyllorum*, *cinnamomi*, *muciſtæ*, *piperis*, *cubebarum*, *cochleariæ*, &c., in aqua deſcendunt, alia aquæ innatant, aut ſupernatant, ut *oleum ſpicæ*, *rorismarini*, *majoranæ*, *thymi*, *aniſi*, *carvi*, *balſami de Copaiva*, &c., & alia denique, quan-

quanquam pauciſſima, ut *oleum citri Italicum*, *lavendulæ*, &c., ipſis ſpiritibus inflammabilibus innatant; quemadmodum hæc differentia per examina, cum lance adcuratiori inſtituta, dudum innotuit. [a] Indicata gravitatis ſpecificæ diſcrepantia explorari quoque poteſt, quanquam minus exacte, per oleorum miſcelam cum ſpiritu nitri flammifico, aut oleo vitrioli rectificato. Quo ſpecifice enim graviora olea ætherea exiſtunt, eo promtius, infuſo ſpiritu nitri fumante, flammam concipiunt, & eo craſſiorem quoque atque copioſiorem, cum oleo vitrioli mixta, fumum eructant, & vice verſa. Teſtante enim experientia, omnium promtiſſime, inſtillato ſpiritu flammifico, incenduntur *oleum caryophyllorum*, *cinnamomi*, *ligni ſaſſafras*, ac reliqua graviora, difficilius *oleum carvi*, *menthæ*, &c., & difficillime, vel plane non, cetera, commemoratis ſpecifice leviora. A vehementi enim & celerrimo partium acidarum ac pinguium oleoſarum attritu inteſtino incenſio proxime dependet; adeoque cum ille longe minor ſit, atque torpidior in ſpecifice levioribus, quam gravioribus, facile conſtare opinor, cur priora etiam rariſſime, vel nunquam, in motum igneum flammantem redigantur. Non

a) Conf. HOFFMANNI Obſ. phyſico chym. ſelect. p. 7.

credo tamen, ſolam hanc cauſſam ſufficere; ſed major procul dubio aquæ inhærentis copia motum igneum in levioribus ſimul impedit, cujus rei veritatem mox dicenda magis probabunt.

§. VII

CAVSSA, cur olea nonnulla graviora, alia leviora ſint, non adeo quidem manifeſta eſt, ad differentem tamen aquei principii quantitatem, partim etiam ad differentem ſubſtantiæ ſpirituoſæ ac reſinoſæ proportionem præcipue videtur redundare. Notum enim eſt, 1) quod olea ſpecifice graviora, cujus cenſus ſunt *oleum caryophyllorum*, *piperis*, *cubebarum*, *cinnamomi*, &c., plerumque in calidis regionibus inveniantur, ubi ob climatis rationem intenſior ſolis æſtus vera principia conſtitutiva magis concentrat, & interlabentem aquam ſuperfluam expellit, 2) quod olea graviora, uti dictum fuit in antecedentibus, facilius, adfuſo ſpiritu fumante, incendantur, quam leviora; manifeſto documento, plus veræ ſubſtantiæ inflammabilis, minus vero phlegmatis, illis inhærere. Notatu denique dignum eſt, oleum terebinthinæ, igne ſicco deſtillatum, pondere ſuperare oleum terebinthinæ, cum aqua prolicitum. Hic enim unusquisque videt conſeſtim,

ſtim, quod ſub humida deſtillatione plus aquæ ſeſe immiſceat, & oleum proinde levius reddat.

§. VIII

RESPICIENDVM præterea eſt ad diſcrepantem ſubſtantiæ ſpirituoſæ ac reſinoſæ proportionem. Certo enim certius eſt, portionem oleorum reſinoſam, quæ mobili principio ſpirituoſo matricem præbet, ſibi relictam, aqua eſſe graviorem, & iſtud ex adverſo, pariter ſeorſim ſpectatum, aqua levius. Quando igitur in oleo quodam pars reſinoſa abundat, & in eodem minor comparative ſpiritus quantitas hoſpitatur, oleum ad aquæ fundum deſcendere debet: Quod ſi vero ſpiritus quantitas relative major ſit, oleum innatat, dum ſcilicet ſpiritus, ceu fluidum ſubtiliſſimum, leviſſimum, ac mobiliſſimum, partem craſſiorem ac graviorem, cum qua intime remixtus eſt, ſuſtentat in aqua, & leviorem reddit. Veritate hæc niti, etiam experientia confirmat: Ordinario enim olea graviora plus comparative ſubſtantiæ reſinoſæ poſſident, quam leviora, & leviora quoque, quod validum utique argumentum æſtimandum, temporis ſucceſſu, poſtquam magnam ſpiritus jacturam fecerunt, graviora, quam antea, evadunt. Haud errabit denique, qui

discrepantem intermixti principii terrei quantitatem inter differentis gravitatis specificæ causas refert, & illa, quæ multum terræ in mixtione sua gerunt reconditum, graviora, & ea ex adverso, quæ parum terræ continent, leviora prædicat. Probabilem inter alia hanc opinionem fumus reddit, qui crassior atque copiosior e deflagrantibus oleis gravioribus, quam e levioribus, evolvitur, quod planum testimonium præbet, plus terræ adesse, ac simul abripi in auras, quando graviora, quam quoties leviora igne ac flamma consumuntur.

§. IX

QVANQVAM olea ætherea, sive sint specifice graviora, sive leviora, calore & igne facile in effluvia resolvantur, gravitas tamen & volatilitas non pari semper passu ambulant. Dantur enim olea, quæ insigni prædita sunt volatilitate, & nihilominus inter graviora, fundum in aqua petentia, militant. Exemplum suggerat *oleum cochleariæ*, quod in aqua quidem descendit, & tanta nihilosecius volatilitate pollet, ut in vitris, per varia etiam obturamenta munitis, custodiri nequeat, nisi vasculum aquæ frigidæ immergatur: Odorem præterea spargit penetrantissimum, qui nares fortiter ferit, & partes capitis interiores adficit.

cit. Quoad acrimoniæ ac volatilitatis gradum ejusdem propemodum conditionis sunt *olea thymi*, *mari veri*, *saturejæ*, *origani Cretici*, præterquam, quod aquæ innatent, & inter leviora idcirco locum obtineant. *Oleum thymi*, præsertim adhuc recens, tam penetrans deprehenditur, ut halitus ejus vitri obturamenta permeent, ac validam in naribus, si illæ propius admoveantur vitro, vim ptarmicam exserant: Immo, quando hujus olei pauxillum cuti teneriori, in vultu aut alia corporis parte illinitur, ardoris atque dolorificæ rosionis sensum excitat. E quibus liquido patescere existimo, inter graviora æque ac leviora olea reperiri quædam, cæteris volatiliora, adeoque eminentiori volatilitati partium non semper majorem levitatem aggregati junctam esse.

§. X

COLOR, quo olea statim post destillationem tincta inveniuntur, in pauciſſimis durabilis est, & paullo post, vel temporis tamen successu, præsertim, si aeri sæpius accessus pateat, valdopere mutatur. *Oleum chamomillæ simplicis & Romanæ* v. g., ut & *florum millefolii*, præcipue *nobilis*, sub destillatione & post eandem, amœnissimo colore suo cœruleo oculos recreat; ast gaudium hoc non adeo diu perseverat, sed, brevi elapso tempore,

pore, idque citius atque certius, ſi aer frequentius in vitrum admittatur, aut illud ipſum non penitus ad orificium uſque oleo repletum ſit, cum colore evaneſcit: Diſparet, inquam, color cyaneus, eidemque mox flavus, tandemque brunnus ſuccedit. *Oleum menthæ* rite deſtillatum initio ſuccinum flavum colore æmulatur, poſtea, vix aliquot interjectis diebus, quin citius nonnunquam, colorem ex flavo-rubicundum, tandemque obſcure rubrum induit. *Oleum ſalviæ* poſt deſtillationem gratiſſimo ſeſe virore commendat, poſt viginti vero horarum decurſum, amiſſo colore viridi, brunnum dilutiorem adquirit. *Oleum caryophyllorum* primo album eſt, aut dilute flaveſcens, tandem evadit flavum & ex flavo-brunnum. *Oleum roſarum* genuinum, & *oleum aniſi* in frigore coagulantur, & albedine ſevum puriſſimum referunt, vix autem intrante calore reſoluta, & ad priſtinam reducta fluiditatem, priſtinum pariter colorem flaveſcentem recuperant; & ejusmodi coloris metamorphoſes in pleriſque oleis æthereis reliquis pene quotidie Chemicis obviæ ſunt.

§. XI

PRÆTER aerem multum quoque ad colorem in oleis mutandum ipſe ignis, ſub deſtillationis

lationis actu vel mitior adhibitus, vel fortior, confert. *Oleum thymi* v. g., blando igne deſtillatum, ordinario ſuccinea pollet flavedine, quum rubro ex adverſo imbutum prodeat colore, quando ignis juſto fortior veſicæ cupreæ ſubſternitur, & oleoſæ proinde moleculæ leviſſimam quandam aduſtionem patiuntur, ac, violentius abreptæ, ſecum plures partes reſinoſas educunt. Subinde etiam differens calor æſtivus cauſſa exiſtit, ut hoc anno ex eadem planta oleum colore ſaturatiori, altero dilutiori prædituм eliciatur. Plus vice ſimplici enim annotavi, *oleum majoranæ* flavedine gaviſum eſſe longe ſaturatiori, quando ex herba, quæ æſtate ſicca calidiori ad perfectam pervenerat maturitatem, eliciebatur, quam quoties ex herba, ob conſtitutionem aeris humidam, pluvioſam, frigidiorem, comparative immaturiori eductum fuerat. Idem etiam apud alia olea, præprimis *oleum ſpicæ*, ſæpius obſervare mihi contigit.

§. XII

HAVDQVAQVAM denique premendum erit ſilentio, diſcriminis quidquam animadverti inter oleum, quod initio deſtillationis copia largiori evocatur, & inter oleum, ex eadem planta, ultimo igne fortiori, adeoque violentius, expulſum. Prius quippe ordinario

dilu-

dilutiori, posterius saturatiori colore pollet. Cavendum quoque, ne olei color, ab inhærentibus vesicæ aut vasis refrigeratorii canali particulis alterius olei induratis, vel etiam ab enato viridi æris, impressus, pro nativo genuino erronee habeatur. Dantur enim olea, cujus census est *oleum chamomillæ* ac *millefolii*, quorum relictæ moleculæ, post indurationem aliquam, tam pertinaciter vasis destillatoriis adhærent, ut aqua calida vix eluí queant. Quamprimum autem nova destillatio instituitur, a transcendente oleo absterguntur, idemque peregrino colore imbuunt. Et illud quoque accidit, quando succi acidi acriores, qui singulis propemodum vegetabilibus inhærent, hinc inde in vesica cuprea, aut canale, ubi stannum deficit, aut successive abrasum fuit, cuprum corrodendo, viride æris produxerunt.

§. XIII

CIRCA saporem & odorem, quo olea ætherea instructa sunt, non adeo singularia veniunt notanda. Cuncta enim odore fragranti balsamico, nec minus sapore acri, igneo, urente, vel pure aromatico, vel mixto ex amaricante, aut dulci, & aromatico, gaudent, ita tamen in singulis distincto, ut gustus & olfactus organo discerni queat. Odor unice a parte volatili spirituosa, sapor vero partim, & quidem primario, a substantia spirituosa, partim a crassiori atque fixiori portione resinosa dependet, adeoque odor plenarie, sapor solummodo ex parte, auffertur, quamprimum pars volatilis exhalatione, aut alio modo separata fuit. Notatu dignum est, olea nonnulla, quamdiu simplicibus suis inhærent, longe acriora esse, quam separata, & vice versa. V. g. *Oleum citri Italicum* in cortice valde temperatum est, postquam autem expressione separatum fuit, longe majorem linguæ imprimit acredinem: *Oleum caryophyllorum* ex adverso in caryophyllis acrius est atque calidius, quam rite instituta destillatione humida separatum: Immo, *oleum sinapi expressum*, longe temperatiori pollet acredine & remissiores pariter vires in corpore exserit, quam ipsum semen, quod, præprimis recens, valde acri ac fervida indole instructum deprehenditur. Oleum citri enim, in corticis vesiculis adhuc latens, multis particulis aqueis & gummeo-viscosis, quæ calidam acredinem minuunt, oleum caryophyllorum autem, crassa, copiosa, ac valde ignea resina, quæ acredinem auget, remixtum est. Ita tamen hæc ipsa neutiquam intelligenda erunt, ac si acredo & indoles ignea resinæ duntaxat tribuenda esset, sed memoratis saltem indicare volui, cor-

corpus, ex oleo & resina, arctiori interveniente connubio, mixtum, solo oleo, sola resina acrius esse atque fervidius.

§. XIV

INDE etiam vera caussa eluceſcit, cur oleum caryophyllorum expressum, aut fortiori igne ex vase humiliori destillatum, saporis acredine & ignea indole longe superet oleum caryophyllorum, sufficienti quidem, comparative tamen moderatiori igne, prolicitum. Hoc scilicet sub destillatione blanda paucas saltem, easque teneriores, particulas resinosas secum abduxit, illud contra crassiori substantia resinosa scatet. Quod igitur in Hollandia venditur, ordinario oleo expresso remixtum, aut igne intensiori, ut omne, quod inest oleum, expellatur, destillatum est.

§. XV

EX proprietatum hactenus commemoratarum nonnullis, calidiorem vel temperatiorem olei cujuscunque indolem cognoscere possumus: Quæ enim eminentiori gravitate specifica, ac simul forti odore, & sapore valde acri atque igneo pollent, reliquis calidiora existunt, & vice versa. Cavendum tamen, ne uni testi, h.e., vel soli odori, sapori, aut gravitati specificæ fidem adhibeamus, sed ad pro-

prietates hasce conjunctim respiciendum erit. Dantur enim, quæ satis fortem quidem odorem spargunt, & remissiori nihilosecius sapore & minori gravitate specifica, adeoque etiam temperatiori indole gaudent, & inveniuntur vice versa, quæ debili pollent odore, & eminentiori tamen gravitate specifica, acredine, & calidiori eapropter indole instructa sunt. Nonnunquam etiam supra recensita mixtio oleorum cum spiritu nitri flammifico in subsidium vocanda est, ut certius ex majori vel minori ignem concipiendi habitudine, itemque ex fumi densitate ac copia innoteſcat, an graviora aut leviora, adeoque calidiora aut temperatiora sint.

§. XVI

OLEVM essentiale æthereum quodcunque ex duabus constat partibus essentialibus, nimirum ex *parte subtili, mobili, volatili, spirituosa*, & ex *parte crassiori, fixiori, resinosa*. Illa *animam* quasi constituit, ac totum actuat, eidemque fluiditatem, volatilitatem, odorem, aliasque proprietates specificas impertit: Hæc autem *matricis* munere perfungitur, &, partem spirituosam retinens, impedit, quominus, aere accedente liberiori, vel calore intrante, confestim diffletur ac dissipetur. Hinc prior etiam ob insignem activitatem a quibusdam

ſpiritus rector, poſterior, ob tenacitatem, & inertiam, *corpus* vocatur.

§. XVII

QVANQVAM ſubſtantia craſſior reſinoſa partem ſpirituoſam quaſi cuſtodiat, & præfeſtinam ejus diſſipationem impediat, prohibere tamen nequit, quominus paullatina exhalatione magis magisque, immo penitus, aufferatur, præſertim, ſi olea in vitris apertis, vel non adeo munitis, adſerventur: Temporis enim progreſſu ſpiſſiora evadunt, & tantum de odore, ſapore, & viribus amittunt, quantum de ſpiritu amiſerunt. Citius ille exhalando ſeparatur, quando certa olei quantitas orbi vitreo, igni moderato ſuperimpoſito, infunditur: Intra breve enim tempus portio ætherea in auras auffugit, aerem ambientem ſpecifico olei odore imprægnat, ac nil, niſi maſſam ſpiſſiuſculam ac torpidam relinquit. Obtinetur etiam partis æthereæ ſeparatio per abſtractionem ſuperfuſi alcoholis in cucurbita, itemque per agitationem olei & conquaſſationem temporariam in aqua calida aut tepida. In caſu priori adfuſus vini ſpiritus rectificatiſſimus partem ſpirituoſam olei, relicto magmate tenaci reſinoſo, priſtinis viribus, priſtino odore, & ſapore, maxima ex parte orbato, ſecum in receptaculum

culum educit. Aliter comparatum eſſe obſervamus, quoties oleum cum aqua deſtillatur: Integrum quippe cum eodem transſcendit, quum aquæ gravitas ſpecifica plerumque cum olei gravitate pari paſſu ambulet, vel illa ipſa perſæpe major ſit. Non contradicunt hæc ſupra memoratis: Aliud enim eſt deſtillatio olei cum aqua, aliud olei agitatio cum aqua tepida. Sub agitatione enim multæ partes ſpirituoſæ in aquæ poros tranſeunt, eandemque ſpecifico olei odore & ſapore, &c., imbuunt, ut ideo oleum ſuperſtes, ſi operatio hæc cum aqua tepida recenti ſæpius reiteretur, pene iners reddatur, & reſina ſemiliquida magis, quam amplius oleum, eſſe videatur.

§. XVIII

QVEMADMODVM autem partes olei ætherei eſſentiales vario modo ab invicem ſeparari poſſunt; ſic pariter ſpiritus reſtitutio ſuccedit, quando oleum, diuturna exhalatione ſpiſſius redditum, aut magma reſinoſum, poſt agitationem in aqua tepida, aut deſtillationem cum ſpiritu vini, relictum, denuo recenti ſuæ plantæ additur, & more ſolito nova deſtillatio humida inſtituitur. Pleraque enim ſimplicia odorata aromatica & balſamica plus ſpiritus continent, quam præſens reſina

tenerior recipere, & in guttas ſeu oleum ſubſtantiale cogere, & concentrare valet: Hinc addita matrix reſinoſa ſpiſſior, ſub reiterata cum planta recenti deſtillatione, de novo ſufficientem ſpiritum recipit, & priſtinam fluiditatem, ac dotes ſpecificas reliquas, præſertim cum aqua & calor humidus manus porrigant auxiliatrices, recuperat.

§. XIX

INTIMIOREM olei ætherei cujuscunque mixtionem *partes inflammabiles, ſalino-acidæ, aqueæ* & *terreæ teneriores*, ſub certa quidem, aſt hactenus a nemine determinata, quantitate & proportione, ingrediuntur; quemadmodum hanc veritatem præ reliquis olei ætherei compoſitio ex *acido vitrioli graviſſimo*, & *alcohole*, itemque ex *camphora* & *aqua forti* ſufficienter probat. Primum experimentum jam in *ſectionis I. capite quarto* deſcriptum eſt, poſterius autem, cujus nulla hactenus mentio uberior facta fuit, hoc loco recenſebo: Superfunduntur nimirum parti uni camphoræ partes duæ vel tres ſpiritus nitri rectificati, & vitrum probe munitum leni committitur digeſtioni; ſic intra aliquot horas camphora fluida evadit, & in oleum mutatur, quod menſtruo perfecte innatat. Hoc oleum partibus acidis nimium abundat,

dat, & facile igitur, adfuſa aqua frigida ſimplici, denuo diſſolvitur, ita ut camphora transformata ad priſtinam formam & conſiſtentiam redeat. Sub hac olei veri geneſi neque ſolutio, neque fuſio camphoræ, ſed nova plane ac ſingularis ſyncriſis, contingit. Camphora enim, quæ falſo oleum creditur coagulatum, bina elementa, nimirum *terreum* & *inflammabile*, aqua fortis autem *ſalino-acidum* & *aqueum* principium ſuppeditat, & ex proportionata horum unione oleum demum gignitur, non adeo firmæ tamen, uti dictum, mixtionis, quoniam acidum craſſius juſto largiori quantitate eandem ingreditur.

§. XX

RECENSITA deſideratæ elementorum demonſtrationi quidem ſufficere poſſent, verum, ne ſcepticis ullus relinquatur ſcrupulus, aliquot pariter diacriſeos exempla, quorum alia unicum ſaltem, alia duo aut plura elementa commonſtrant, breviter recenſebo. *Inflammabile principium*, ceu præcipuum, optime oleorum incenſione atque deflagratione detegitur: Noſtro enim ævo cuilibet notiſſimum eſſe debet, quod illa materia, quæ, in celerrimum & ſpecificum quendam motum vorticoſum redacta, flammam for-

mat, & ſingulis corporibus inflammabilibus igneſcendi ac deflagrandi habitudinem fœneratur, phlogiſta ſive ſulphurea ſit, ſub deflagrationis actu tenerrime roſolvenda. Quare, cum olea non tantum per ſe tota poſſint incendi, & flamma lucidiſſima, non tamen abſque fumo, conſumantur, verum etiam in pleriſque corporibus reliquis flammam poſt incenſionem alant, in clara utique luce poſitum erit, olea præ reliquis copioſo inſtructa eſſe principio phlogiſto, idemque illis præcipuam largiri eſſentiam.

§. XXI

LVCIDA quidem flamma, uti dictum, olea conſumuntur, cedunt tamen in hoc paſſu ſpiritibus inflammabilibus, quippe qui pacate & absque ullo fumo, deflagrant, ac penitus, nullo relicto cinere, conſumuntur, cum contra olea fumum extrudant, & admotis corporibus aliis fuliginoſam adponant materiam. V. g., quando oleum quoddam in cochleari aut alio vaſculo accenditur, eidemque charta alba, aut aliud cochlear ſub deflagratione deſuper admovetur, nigra ipſis fuligo adhæreſcit, quæ de principii terrei præſentia planum adfert teſtimonium: Non credendum tamen, fuliginem hanc unice e terra conſtare; provide enim abraſa, & in unam

unam collecta molem, in aere libero candente filo ferreo denuo accendi poteſt, ita, ut intra breve tempus penitus auffugiat in auras, immo, ſi oleum flammula minori & tranquilla in aere libero ardeat, nihil plane fuliginis in conſpectum venit, & partes terreæ cum reliquis principiis, in motum flammantem converſis, inſenſibiliter in auras abripiuntur. Copioſius fuliginoſa & carbonaria hæc materia phlogiſto-terrea colligitur, quando olea aliquoties ex retorta vitrea munda in arenæ balneo deſtillantur. BOYLE deſtillationem toties reiteravit, donec omne propemodum oleum in maſſam ſpongioſam, fixam, nigram, quæ habitu externo terram referebat, & ſucceſſive in retorta relinquebatur, mutatum fuerit.

§. XXII

PRINCIPIVM *ſalinum acidum* paullo difficilius ſeparatur, ut ideo etiam nonnulli iſtud plane negare, & oleorum acrimoniam a ſolo motu particularum, non actu, ſed potentia ignearum, derivare haud dubitaverint. Sed hic quoque non deficiunt media, quibus illud ita poteſt extricari, ut ſenſus quodammodo incurrat. HOMBERGIVS uncias quinque olei cujusdam ætherei ſuper uncias quindecim cretæ puræ octies abſtraxit, & ſic

ſalis drachmas duas & grana quadraginta quatuor, itemque aquæ admodum ſalſæ unciam unam cum dimidia obtinuit. Hiſce accedit, quod in oleis quibusdam, in vitris probe obturatis diu adſervatis, nonnunquam miculæ albicantes, cryſtallorum ſalinorum inſtar concretæ, adparuerint. SLARE tales vidit in oleo cinnamomi, GODOFREDVS in oleo menthæ, matricariæ, & terebinthinæ rectificato, [a] CHRISTIANVS MENZELIVS in oleo ceræ & caſſiæ cinnamomeæ arboris camphorato, & SCHROECKIVS denique in oleo majoranæ. Hoc ultimum totum in corpus ſalinum albicans concretum videbatur, ad priſtinam tamen olei formam admoto calore redibat, eandemque, ab igne aliquantiſper remotum, denuo amittebat, & laudatum coagulum iterum ſubibat. [b]

§. XXIII

DVBIVM hic ſubnaſcitur, an laudatæ moleculæ cryſtalliformes, in oleis temporis ſucceſſu enatæ, vera ac pura ſint corpuſcula terreo-ſalina, an vero magis cum floribus benzoes conveniant. Prius adfirmare non audeo,

a) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences A. 1721. p. 193.

b) Vid. Miſcell. A. N. C. G. Dec. II. ann. V. Obſ. 38.

audeo, quum liquefactio hujus concreti, ac formæ oleoſæ, quod SCHROECKII obſervatio docet, aliqualis reſtitutio huic ſententiæ foret contraria. Magis mihi opinio arridet poſterior, dum maximam in hoc paſſu, intuitu formæ externæ, atque indolis analogiam deprehendimus. Floribus autem benzoinis ſalini quidquam principii ineſſe, ex ſingulari floſculorum forma cryſtallina, & adhuc magis ex valde ſtimulante ac vellicante eorum virtute, ſive integri deguſtentur, ſive naribus, igne in halitus reſoluti, excipiantur, ſatis eluceſcit.

§. XXIV

OPINANTVR aliqui, non ſemper acidum, ſed ſubinde etiam ſubtile ſal alcalicum ad olei ætherei compoſitionem concurrere, & parum aliquando abfuit, quin ipſe in hunc errorem delapſus fuerim. Obſervabam enim, cum tincturam antimonii tartariſatam, peculiari quidem methodo, ex conſuetis tamen ingredientibus confectam ac diu adſervatam, adſpicerem, in vitri fundo liquidum quoddam, colore ſaturatiori ac conſiſtentia ab antimonii tinctura diſtinctum, confluxiſſe, quod oleum habitu externo perfecte æmulabatur. Attamen cum iſtud a tinctura ſepararem, ut naturam ejus exactius explorare

possem, confestim deprehendi, illud non verum esse oleum, sed tantummodo liquorem aqueo-salinum, saturata rubedine tinctum. Degustatum enim non oleosum, sed sulphureo-alcalicum saporem linguæ imprimebat, & cochleari infusum accendi non poterat, sed admotis carbonibus candentibus successive potius exsiccari, & in massam terreo-salinam albicantem coagulari cœpit. Vnde liquido patebat, istud nihil fuisse aliud, nisi sal tartari, partibus sulphureis resolutis tinctum, & ab inhærente phlegmate solutum, quod, a tinctura spirituosa segregatum, infimum locum occupaverat.

§. XXV

OLEA essentialia ætherea ex solis *plantis*, earundemque partibus, v. g. *radicibus*, *herbis*, *floribus*, *lignis*, *corticibus*, *seminibus*, *fructibus*, *resinis*, &c., *destillationis humidæ* beneficio eliciuntur. Bituminosa enim atque balsamica regni mineralis concreta, uti *succinum* & *ambra*, oleum suum essentiale, ob arctiorem cum reliquis partibus constitutivis unionem, absque igne violentiori atque destillatione sicca dimittere renuunt; & in regni animalis corporibus, si exceperis *formicas*, e quibus B. NEVMANNVS, [a] verum & substantiale

a) In der Lection von Ameisen p. 351. seq. it. In Actis physico-medicis A. N. C. Vol. 2do p. 304. seq.

stantiale oleum æthereum aliquoties eduxit, olea ætherea vel plane deficiunt, vel tam exigua tamen quantitate paucis quibusdam inhærent, ut mole conspicua sub destillatione humida plane sequestrari nequeant. Occurrunt quidem concreta quædam pinguia, fortissimo odore balsamico prædita, ut *zibethum* & *castoreum*, quæ, advocatis certis encheirisibus, exiguam olei quantitatem reddunt; at istud magis balsamica pinguedo, igne violentiori fluidior reddita, quam verum atque completum oleum æthereum, æstimandum est.

§. XXVI

CVNCTA vegetabilia, quæ naribus odorem balsamicum, & linguæ saporem similem, vel aromaticum, imprimunt, oleum quidem æthereum largiuntur, cavendum tamen, ne ab odoris fortitudine semper conclusio ad olei quantitatem formetur. Reperiuntur enim, quæ copioso quidem spiritu, adeoque forti etiam odore pollent, & parum nihilominus olei fundunt, uti sunt *calamus aromaticus*, *ruta*, *salvia*, &c., quam alia ex adverso, debili odore prædita, uti *folia sabinæ*, &c., multum olei largiuntur. Odor enim plantarum non simpliciter ab oleo substantiali, sed magis a parte mobili spirituosa, tum

tum ipſi oleo, tum reliquo ſucco nutricio inhærente, & continua prodeunte exhalatione, dependet. E quibus liquido pateſcit, odorem & ſaporem nobis quidem olei, & adhuc magis ſpiritus præſentiam monſtrare, quantitatem vero ipſam demum praxin chemicam detegere.

§. XXVII

CHYMICVS e triplicis naturæ regni corporibus oleum eſſentiale æthereum educere quidem ac ſeparare, neutiquam vero in iis producere valet. Quicquid enim ineſt, vel reliquis pridem partibus ſub certa quantitate intermixtum hæret, vel in certis *veſiculis* ſeu *cellulis membranaceis*, quod in plantis earundemque partibus ſolenne eſt, ſeorſim poſt ſecretionem collectum, reperitur. Conveniunt hæ veſiculæ, & hinc inde obviæ veſicularum catenæ cum panniculo adipoſo animantium, in quo pinguedo colligitur, & quanquam illæ non in omnibus plantis viſui pateant, in multis tamen in conſpectum veniunt. Conſpiciuntur v. g. in *cortice cinnamomi*, *nuce moſchata* diſſecta, *baccis juniperi*, *radice zedoariæ*, *mei*, *angelicæ*, *helenii*, *imperatoriæ*, *ireos Florentinæ*, &c. In baccis juniperi materiæ dulci gummoſæ paſſim interjectæ ſunt, & clarius inprimis viſum incurrunt,

currunt, quando oleum ſucceſſive exareſcens in ſandaracham mutatur. Vnde ratio patet, cur extractum baccarum juniperi, cum aqua ſimplici lenioris beneficio digeſtionis paratum, eminentiori dulcedine gaudeat, extractum autem cum ſpiritu vini, aut coctione mediante confectum, dulcem quidem, aſt acri & amaricante remixtum, ſaporem linguæ imprimat.

§. XXVIII

VERO videtur ſimillimum, quod oleum laudatis veſiculis incluſum, paullatim iterum in planta viva reducatur ad circulum, &, reliquis ſuccis mixtum, tempore neceſſitatis, ſimul nutritioni impendatur, æque ac pinguedo in animantibus, quæ ob morbos adpetitu proſtrato, aut diuturniori, ob alimenti defectum, jejunio laborant. Haud credendum cæteroquin, uſum indicatum, quem oleum hoc plantis præſtat, eſſe unicum ac ſolum: Tegit quippe, quod pridem dictum, præſertim corticis veſiculis in luſum, partes interiores inſtar panniculi adipoſi, tubulos teneriores defendit, frigus arcet, adeoque impedit, quominus iſtud hyeme altius penetrare, & ſuccum aquoſum, cum mox inſequente plantæ interitu, coagulare poſſit. Hinc etiam obſervamus, ſapientiſſimum Creato-

Creatorem in plantis, hyeme etiam virentibus, cujus cenſus ſunt *abietes*, *pini*, &c., trunci & ramorum corticem numeroſioribus veſiculis, oleo turgidis, donaſſe, ut frigoris violentiam facilius eludere queant. Ita quoque in harum arborum nonnullis veſiculæ ſubinde oleo replentur, ut idem, a mole nimia, & quotidie aucta diſruptæ, effundant, quod poſtea, ablato ſpiritu mobili, in piceam reſinam induratur.

§. XXIX

SINGVLAREM quoque meretur attentionem, quod oleum in plantis quibusdam ſingulis partibus promiſcue, in aliis & quidem plerisque huic tantum vel illi parti, v. g. *radici* ſolum, aut *foliis*, *cortici*, *floribus*, *ſeminibus*, *fructibus*, &c., innaſcatur. Sic *lavendula*, *nardus*, &c., illud primario in floribus, *majorana* & *thymus* in foliis, *angelica* & *imperatoria* in radice, *aniſum*, *fœniculum* in ſemine, *arbor caryophyllifera* in fructu, *pomum citreum* in cortice flavo exteriori, & ſic porro, gerunt reconditum. Intereſt itaque, ut chymicus præcipuum olei in plantis receptaculum cognoſcat, immo multum intereſt, ſi alias oleum copioſius impetrare velit, ut plantæ juſto tempore, quo oleo maxime ſcatent, colligantur. Generaliter radices optime

optime effodiuntur tempore vernali, vel nonnullæ etiam ad finem properante hyeme, priusquam germina protrudant. Folia decerpuntur, quando florum eruptio inſtat, flores, quamprimum capſulam ſeminalem formare incipiunt, & ſemina denique atque fructus, quando ad debitam pervenerunt maturitatem. Sic pariter cum lignis, reſinis, lachrymis, &c., comparatum eſt, quorum priora hyeme præprimis, quo tempore ſucci circulus ſegnior eſt, nec foliorum nutritioni impenditur, reſcindenda ſunt, poſteriores autem, lachrymæ videlicet & reſinæ, vel liquidæ adhuc, vel tamen, ſi fieri poteſt, paullo poſt indurationem deſtillationi ſubjiciendæ erunt. Valent tamen relata ſolummodo in genere, & nonnunquam proinde exceptionem admittunt.

§. XXX

HVMIDÆ oleorum deſtillationi plerumque ſpecierum *maceratio* præmittitur: Tantum videlicet aquæ, a priori ejusdem, vel analogi ſubjecti deſtillatione reſiduæ, vel, hac deficiente, ſaltem ſimplicis fontanæ aut fluvialis ſpeciebus integris, vel, id exigente textura, groſſiuſcule contuſis, in raſuram redactis, aut conſciſſis, in vaſe capaci ſuperfunditur, ut paullulum ſupra ſpecies emineat,

neat, & ita, vaſe obiter tecto, in loco temperate calido tamdiu relinquuntur, donec decentem conſequantur mollitiem. Ne interea quoque temporis cum aqua adfuſa aliquam putredinem contrahant, *ſal commune*, *tartarus pulveriſatus*, vel *oleum vitrioli* aut *ſpiritus ſalis* adduntur, ea quidem proportione, ut ad quamcunque libram ſpecierum manipulus ſalis culinaris, aut uncia una tartari contuſi, vel drachmæ duæ aut tres olei vitrioli aut ſpiritus ſalis recipiantur. Hæc additamenta non tantum putredinem avertunt, ſed veſiculas quoque membranaceas, in quibus oleum primario latet, fragiliores reddunt, ut poſtea ignis actione eo facilius rumpi, oleumque melius effluere queat: Immo, tartarus, & adhuc magis oleum vitrioli & ſpiritus ſalis, aliquid ad olei ſubſtantialis augmentum conferunt. Multa enim reperiuntur ſimplicia, quæ copioſum quidem ſpiritum, parum autem olei ſubſtantialis poſſident. Nunc autem ex præcedentibus notum eſt, ſubſtantiam ſalino-acidam mixtionem oleorum ingredi, eandemque partes mobiliores reliquas quaſi colligare, ut conjunctim oleum forment ſubſtantiale; unde ſequitur, additum acidum, præſertim graviſſimum vitriolicum, multas particulas phlogiſto-ſpirituoſas, ob ſubtilitatem in guttas oleoſas

oleoſas coire neſcientes, ſibi adunare, & ſic olei veri quidquam formare poſſe. HOMBERGIVS, experientia edoctus, adfirmare non dubitat, hac ratione olei quantitatem, ſolita longe majorem, colligi, additque, ex *roſarum provincialium* centenario, qui absque additamento acido vix unciam unam olei reddit, addito oleo vitrioli, aut ſpiritu ſalis, unciam integram cum drachmis duabus, totidemque ſcrupulis, eductam fuiſſe. [a] Idem GLAVBERO dudum notum fuiſſe, credendum: Cinnamomo enim, aliisque ſpeciebus pretioſis, quæ paucum oleum ordinario largiuntur, ſpiritum ſalis non adeo rectificatum ſub olei deſtillatione addere jubet, & ſic plus olei proditurum eſſe pollicetur.

§. XXXI

TEMPVS, ſpecierum deſtillandarum macerationi deſtinatum, in genere exacte determinari nequit. Sicciora enim ac duriora, cujus cenſus ſunt *ligna* & *radices aridæ*, itemque *cortices* diuturniorem macerationem, ad dies 6. 8. immo plures, nonnunquam protrahendam, alia, ut *herbæ*, *flores*, *fructus*, *radices molliores*, *ſemina*, &c., breviorem, quæ intra 24. horas, vel intra biduum, tri-

a) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences A. 1707. p. 266.

duum, quatriduum terminatur, poſtulant: Immo fructus quidam, ut *caryophylli aromatici*, nec non balſami liquidi, ut *balſamus de Copaiva*, *de Peru*, *terebinthina*, &c., ſtatim citra præviam macerationem deſtillationi ſubmitti poſſunt, & ſemina quoque, copioſo ac dulci oleo prægnantia, ut *ſemen aniſi*, *fœniculi*, &c., nunquam ultra horas viginti quatuor macerationi committenda ſunt, ne in fermentationis motum, quo multum olei in ſpiritum inflammabilem reſolvitur, ruant.

§. XXXII

PERACTA maceratione & quisquiliis, præſertim levioribus, aquæ ſuperficiei innatantibus, cochlearis cribriformis ope, quantum fieri poteſt, ablatis, deſtillatio, adfuſa tamen adhuc majori aquæ quantitate, in cucurbita vitrea capaci, arenæ balneo imponenda, vel, quod præſtat, in veſica cuprea, ſtanno intus probe obducta, quæ, ad tres uſque partes & ultra, ſpeciebus & aqua repletur, atque, impoſito alembico, vaſi refrigeratorio, aqua frigida repleto, adplicatur, inſtituitur. Ita tamen ignem chymicus moderari debet, ut, admoto primum leniori, vaſa paullatim incaleſcant, & aer quoque ſenſim expellatur, ne, igne fortiori ſubito expanſus, impetuoſe prorumpat, & ſpecies levio-

leviores ſimul in receptaculum ſecum educat; quo facto augendus eſt, ut aqua in ebullitionis motum redigatur: Incipiente enim aquæ ebullitione, ex ſtrepitu cognoſcenda, illico etiam deſtillatio incipit, & oleum cum aqua inſtar rivuli in receptaculum defluere debet. Sæpius enim annotatum eſt, oleum, ſi incipiente deſtillatione, ob ignem nimis debilem, ſaltem gutta guttam ſenſim inſequatur, intimius cum aqua miſceri, & poſtea proinde, cum totum nequeat ſeparari, ac multum in aqua remaneat, minorem olei quantitatem obtineri. Nonnulli etiam olea, præprimis aqua ſpecifice graviora, per deſcenſum, quem deſtillandi modum BOERHAAVIVS,[a] fuſius deſcripſit, deſtillare conſueverunt: Attamen, cum olea facile hac ratione aliquam patiantur aduſtionem, hæc methodus parum æſtimanda eſt

§. XXXIII

ABSOLVTA deſtillatione, oleum aquæ innatans, vel in fundo ſub aqua collectum, ſeparatur. Fieri id poteſt vario modo, nimirum mediante *goſſypio*, *tritorio vitreo*, *charta bibula*, & *vitro hypocleptico*; tritorium tamen atque vitrum hypoclepticum contorto goſſypio & chartæ bibulæ, quibus

a) In Chem. T. II. p. m. 106.

multum adhæreſcit olei, poſtea nullo modo penitus ſeparandi, longe præferenda ſunt. Retinenda duntaxat erit charta bibula in ſeparatione olei roſarum, quod valde exigua quantitate, & ſub ſquamularum forma aquæ ſuperficiei innatare ſolet. Infunditur ſcilicet aqua cum ſquamulis oleoſis chartæ bibulæ, aqua prius humectatæ, &, poſtquam aqua, relictis ſquamulis, penitus effluxit, illæ cum pauca & fragranti aqua roſarum denuo deſtillantur, vel provide exemtæ atque collectæ in vitro caloris beneficio in liquidam maſſam oleoſam, quæ refrigerata tamen mox iterum coagulatur, ita ut butyrum referat, rediguntur.

§. XXXIV

PARCISSIMVS olei ætherei in plantis nonnullis proventus, & inde neceſſario proveniens pretium eminentius, lucri majoris cupidos eo frequentiſſime perducit, ut oleis pretioſioribus genuinis viliora additamenta, eaque nunc craſſiora, nunc ſubtiliora, miſceant, quibus olea genuina tamen valde debilitantur, vel tantopere ſubinde deturpantur, ut medici deinde ac chymici, aliique, fine ſuo, ſive medicus ſit, ſive chymicus, perfecte potiri nequeant. Pertinent ad memorata additamenta 1) *ſpiritus inflammabiles*, 2) *olea unguinoſa, craſſa* & *expreſſa*, ut *oleum*

oleum nucum Been, amygdal: dulcium, olivarum, ligni abietini, pini, pinaſtri, caryophyllorum expreſſum, nuciſtæ, &c., & 3) *olea ætherea viliora*, ut *oleum terebinthinæ*, & ſic porro. Spiritus vini ſimplex rectificatiſſimus, vel etiam ſuper easdem ſpecies, e quibus olea prolicita fuerunt, prius ſemel vel aliquoties abſtractus, ſolius digeſtionis leniſſimæ ope inmiſcetur, & quiden tanta a quibusdam quantitate, ut altera pars dimidia verum oleum, altera ſpiritus ſit. Non immutant quidem hæc additamenta ſpirituoſa olei indolem atque virtutem, valde nihilo-ſecius utramque debilitant.

§. XXXV

PEJORA ſunt olea expreſſa, unguinoſa, aut craſſa, per deſcenſum deſtillata, dum indolem atque virtutem olei genuini adeo nonnunquam corrumpunt, ut priſtinis uſibus plane ineptum evadat. Hæc vel ſaltem ſimpliciter a ſeplaſiariis admiſcentur, vel ſtatim ſub olei genuini deſtillatione, ſi ſcilicet cum eodem alembicum veſicæ poſſint transſcendere, adduntur, ut miſcela fiat intimior: Immo, nonnulli ſpecies duntaxat, oleo unguinoſo, aut alio craſſiori prægnantes, v. g. amygdala contuſa, raſuram ligni abietini, pini, pinaſtri, &c., addunt, et uno actu,

uno labore, oleum utrumque evocant. Quod viliora denique olea ætherea attinet, quorum uſitatiſſimum ac viliſſimum eſt oleum terebinthinæ, hæc olei genuini craſin & conſiſtentiam quidem haud deſtruunt, ſpecificum tamen odorem, ſaporem, & ſpecificas pariter vires debilitant, adeo, ut medici deinde, fraudem ignorantes, perſæpe effectus apud ægros obſervent, a conſuetis olei genuini effectibus plane diverſos, vel penitus iis contrarios. Nonnulli olea illa fragrantia, quæ mercatores Itali ex Italia, maxime autem ex Hetruria ad nos deportant, & ſub *olei Bergamotto*, *Mella roſa*, *Neruli*, *Meranguli*, aliisque peregrinis aut fictis nominibus vendunt, itidem ad olea mangoniſata promiſcue, at, me ſentiente, minus recte, referunt. Probe enim olea compoſita, aut gratiori quodam principio odorato peregrino imprægnata, ab adulterinis diſcernenda erunt. Laudata autem olea gratiſſimum ſpirant odorem, & ordinario oleum citri pro baſi agnoſcunt, cui ambra, moſchus & varia corpora balſamica miſcentur, vel ſub deſtillatione ſtatim adduntur, ut mixtus inde, ac novus plane odor gratus exſurgat.

§. XXXVI

VARIÆ oleorum mangoniſationes, quas hactenus indicavi, vario pariter modo deteguntur,

guntur, ita tamen, ut mixtum corpus peregrinum, nunc quoad quantitatem & eſſentiam, nunc ſaltem aliquantulum quoad eſſentiam & naturam, neutiquam vero quoad quantitatem, innoteſcat. Vſitatiora examina ſequenti plerumque modo inſtituuntur: Infunditur nimirum certa olei examinandi portio in aquam calidam aut ſaltem tepidam, & alia quoque portio in ſpiritum vini rectificatiſſimum, aut ſpiritum nitri dulcem rite præparatum, liquorem anodynum mineralem, vel etiam in ſpiritum ſalis ammoniaci vinoſum concentratum & mutationes, quæ ſuperveniunt, poſtea annotantur. Genuina enim olea ætherea in ſpiritibus memoratis, præprimis ſi adhuc recentia ſint, prompte atque plenarie poſt aliquam vitri motitationem, vel certiſſime tamen, ſi jam vetuſtiora, poſt brevem digeſtionem, eamque duntaxat frigidam, ſolvuntur. Sin unctuoſo autem, craſſo, expreſſo oleo mixta exiſtant, oleum genuinum æthereum ſolummodo in ſpiritus poros tranſit ſolutum, unctuoſum vero, poſt diuturnam etiam digeſtionem, absque ſolutione in fundo remanet. Aliud plane phænomenon obſervatur in aqua calida aut tepida, ſi infuſa olei portio fortaſſis ſpiritu vini, vel alio ſpiritu inflammabili remixta ſit: Confeſtim quippe, ſpiritu ſecedente, aqua

lactea evadit, & oleum, a ſpiritu ſegregatum, ſucceſſive atque ſeorſim in fundo vel aquæ ſuperficie colligitur, quod commode deinde, æque ac oleum unctuoſum in primo examine, ſeparari, eiusdemque pondus lance explorari poteſt, ut exactius olei genuini, & additamenti oleoſo-unctuoſi, aut ſpirituoſi proportio detegatur.

§. XXXVII

MODO poſteriori, olei ſcilicet infuſione in aquam calidam, etiam adulteratio detegitur, nonnunquam apud olea ætherea ſpecifice graviora cum ſpecifice levioribus ac ſimul vilioribus ſuſcepta. Illico enim, leni præprimis vitri agitatione advocata, in aqua divortium faciunt, & levius ad ſuperficiem adſcendit, gravius contra fundum petit. Quod ſi etiam olea ætherea ſpecifice leviora aquæ in cochleari infunduntur, & cochlear carbonibus candentibus imponitur, ætherea genuina, nulla relicta micula pingui, paullatim atque perfecte exhalando abeunt; mangoniſata vero miculas oleoſas atque unguinoſas in cochleari relinquunt.

§. XXXVIII

PRAETER experimenta hactenus deſcripta, quæ inter certiora fraudis perpetratæ documenta referri merentur, alia adhuc media,

dia, genuinam oleorum indolem inveſtigandi, a ſcriptoribus traduntur, ab odore, ſapore, colore, fluiditate, pelluciditate, &c., deſumta, quæ neutiquam pariter, etiamſi incertiora exiſtant, ac minus adcurata, rejicienda, ſed ſubinde ſimul in auxilium vocanda ſunt, præſertim, cum caſus occurrant, in quibus ſola hæc locum inveniunt. Quoties enim olea ætherea leviora alio oleo ætherео, itidem quidem leviori, aſt viliori, remixta ſunt, præcedentia mangoniſationi detegendæ prorſus inſervire nequeunt, ſed additum oleum vilius primario, quanquam minus exacte, guſtu & olfactu cognoſcendum erit. Subinde etiam ad fraudem detegendam olei incenſio, in argenteo cochleari ſuſcepta, aliquid confert: Oleum ſpicæ enim, oleo terebinthinæ remixtum, in cochleari accenſum, fumum eructat copioſum, denſum, nigrum, & cochlear poſt olei conſumtionem craſſiori, quam alias, vernice obducitur: Sin mixtum vero ſit ſpiritu vini, flammam format cœruleam, & in fine demum parum fumi evolvit, tenuique duntaxat vernice cochlear obducit.

§. XXXIX

OLEA ætherea, ceu liquida valde ignea & activa, eminenti virtute medica pollent, &

inter efficaciſſima proinde pharmaca, interne exigua admodum doſi & maxima circumſpectione propinanda, militant. Vnica quippe guttula tantum perſæpe edere valet effectum, quantum a longe majori ſimplicis mole, in qua oleoſa ſubſtantia antea hæret diſperſa, haud licet exſpectare. Ad ventriculum delata ab aqueo-ſalſo quidem liquore gaſtrico parum ſolvuntur, aliquantulum tamen ab eodem diſtrahuntur ac diluuntur, poſteaque, calore in tenerrima effluvia reſoluta, ſenſim per patula ventriculi vaſcula abſorbentia, &c., ad humorum maſſam transferuntur. Summe profecto neceſſaria memorata exiſtit olei diviſio: Quæ violenta enim actio exſpectanda eſſet, ſi oleum quoddam æthereum ſub aggregatione craſſiori, adeoque tota ſua mole & absque ulla diviſione in interiora corporis penetraret? Convincunt nos in hoc paſſu ardor dolorificus, quem olei ætherei guttula linguæ inſtillata producit, & adhuc magis inflammatio & ipſa eſchara, quæ in quacunque etiam corporis externi parte teneriori olei cujusdam ætherei acrioris adplicationi temporariæ ſuccedere conſueverunt. Redundat igitur oleorum hujus commatis in corpore actio, tenerioribus tamen halitibus maxime in acceptis ferenda, partim ad ardorem quendam, ſoli-

ſolidis, quæ tangunt, imprimendum, partim etiam ad inteſtinam commotionem, quam in fluidis provocant. Inteſtinam in humoribus agitationem major neceſſario eorum reſolutio, expanſio, & ob auctum molecularum attritum calor intenſior, ardorem vero, ſolidis elaſticis ac ſenſibilibus impreſſum, vivida ac vegeta contractio, & utramque denique liquidorum meantium ac remeantium vegetior circulus, ac plerarumque, quæ huic innituntur, functionum augmentum ſequi debent.

§. XL

SVPPOSITO generali hoc operandi modo, facile explicari poterit, cur plurima olea ætherea virtutem ſtomachalem, carminativam, cephalicam, pectoralem, cardiacam, nervinam, diaphoreticam, diureticam, lithontripticam, uterinam, aphrodiſiacam, & hujus farinæ alias complures edere conſueverint. Quamprimum enim, ut operandi modum cum paullo ſpecialiori adplicatione exponam, oleum quoddam æthereum cum vehiculo ſuo ad ventriculum deſcendit, primo a liquore gaſtrico, adjuvante tunicarum contractione periſtaltica, in minores dividitur moleculas, poſtea in longe teneriora effluvia calore reſolvendas. Moleculæ memoratæ, ut & halitus ſubtiliores expanſi, agere incipiunt

tum

tum in ſolida, tum contenta fluida, aliaque, quæ in hoc cavo offendunt, & tunicas urendo incitant, ut ſeſe fortius atque celerius contrahant, contentas autem materias, ſive ſint perfecte liquidæ, ſive ſpiſſioris atque pultaceæ conſiſtentiæ, in motum celeriorem ſecum rapiunt: Hinc aliter fieri nequit, quin hac ratione actio ventriculi, motus periſtalticus, calor, impetus liquoris gaſtrici augeantur, & ſic citior ac melior alimentorum, immo ipſarum cruditatum, digeſtio atque reſolutio contingat.

§. XLI

CVM uberior etiam craſſioris ac crudioris materiæ perſpirabilis, adeoque flatuum, generatio, & diuturnior in ventriculo & inteſtinis retentio ſaburræ viſcidæ, copioſius collectæ, nec minus debili vi expultrici ſeu ſolidorum contractili, ex membranarum flacciditate, & atonia promananti, perſæpe originem debeant, cognitu utique facillimum eſt, cur olea ætherea, ſuppoſito ſcilicet eodem operandi modo, h. e., reſolvendo mucum, & vividiorem ſuſcitando vim contractilem, flatuum diſcuſſionem & expulſionem adjuvare, ac novum quoque eorundem proventum prohibere valeant. Innoteſcit quoque ratio, cur eadem olea carminativa alio tempore, quando alvus per ſpaſmos vehementes,

tes, apud ſicciora cumprimis ſubjecta cholerica, clauſa eſt, contrarium plane effectum edant, & calida ſua indole, ac forti irritatione ſpaſmodicam tunicarum ſtricturam cum ſaburræ bilioſæ fervore, adeoque tormina & obſtructionem plus augeant, quam minuant. Rationalis proinde practicus, ſi ſalutarem in colica, cardialgia, aliisque ventris adfectibus flatulentis, nec minus in adpetitus & digeſtionis vitiis ab uſu hujusmodi oleorum ſperare velit operationem, prius de vera morbi cauſſa eruenda ſollicite cogitare debet, ne loco auxilii majorem inferat noxam, & formali æque ac materiali cauſſæ majora incrementa ſuggerat.

§. XLII

MEMORATO operandi modo oleorum efficacia in febribus intermittentibus, præſertim quotidiana & quartana, (in tertiana enim, quæ febres æmulatur continuas, cautiſſime cum uſu earum mercandum,) maxima quoque ex parte innititur; dum febres hæ, præprimis, ſi exiſtant rebelles, aut homines tempore autumnali, & poſt prægreſſos graves circa alimenta errores, vel etiam poſt mœrorem, curas, &c., invadant, ordinario, præter organorum, digeſtioni atque chylificationi deſtinatorum, debilitatem, ac viſcidarum cruditatum colluviem, quæ ſenſim reſoluta, & per

vices

vices ad ſanguinem delata, febrilem commotionem ſtatis intervallis excitat, etiam univerſalem ſolidorum atoniam, & humorum muciditatem ſupponunt. Quæ vitia autem cum per olea ætherea, tempeſtive ac provide uſurpata, emendentur, in propatulo eſt, morbum ipſum, febrem videlicet, ceſſare debere.

§. XLIII

QVÆ hactenus dicta fuerunt, oleorum virtutes, quas in primis viis exſerunt, præcipue concernunt: At nunc videndum quoque, quid in aliis partibus, & corporis receſſibus interioribus efficere valeant. Non adeo longas enim in prima culina moras nectunt, ſed paullo poſt adſumtionem, in halitus, uti ſupra pridem monui, quoad portionem ſpirituoſam prius reſoluta, partim cum fluidis aliis filtrationis, partim ſeorſim inhalationis beneficio, in vaſa nervoſa & ſanguifera progrediuntur: Vbi poſt adventum ſuum, æque ac in primis viis, blandius tamen ob majorem longe diviſionem, & miram diſtributionem atque ſubtilitatem, ſolidorum contractiones, vellicando, vel rectius, leniſſime urendo, ſuſcitant, principium igneſcens ſubſtantialiter augent, attritum globulorum ſanguinis, & hunc & cauſſam priorem confeſtim ac neceſſario excipientem calorem intendunt, humores quoſ-

quoſcunque expandunt, commovent, ac ſecum in circulum velociorem rapiunt. Inde poſtea reliquæ fluunt virtutes ſupra indicatæ: Dum motus enim ſingulos, cum calore & fluiditate humorum, augent, ſe-& excretiones pariter, maxime autem exhalationem cutaneam, reddunt largiores, ſolida paullulum exſiccant, humores purificant, influxum ſanguinis & fluidi nervei in fibras muſculares, adeoque robur partium, augent, viſcerum obſtructiones reſerant, & muci pectoris reſolutionem, itemque hujus & calculoſæ materiæ e renibus & veſica expulſionem adjuvant, adeoque cephalicam, nervinam, cardiacam, pectoralem, aphrodiſiacam, diureticam, diaphoreticam atque bezoardicam virtutem exſerunt, & ſpecialius proinde in memoriæ debilitate, vertigine, melancholia, coryza, cephalalgia, apoplexia, paralyſi, adfectibus ſoporoſis, ac variis oculorum atque aurium vitiis, nec minus in tuſſi, raucedine, aſthmate, obſtructionibus viſcerum, hydrope, calculo, dyſuria, malo hyſterico, obſtructione menſium, lochiorum, hæmorrhoidum, impotentia virili, ſterilitate, prolapſu uteri, cachexia, & compluribus aliis, cum fructu, ſuppoſitis tamen congruis cauſſis, exhiberi poſſunt.

§. XLIV

QVVM calida, concentrata, ideoque valde activa hæc medicamina motus in corpore notabiliter excitent, & proinde in iis duntaxat morbis, qui juſto humidiori atque laxiori ſolidorum texturæ, itemque frigidis & mucoſis humorum impuritatibus atque languido eorum circulo primario originem debent, tuto poſſint adhiberi, liquido conſtat, quod ea in morbis, ex nimio motuum augmento, & calida cauſſa materiali promanantibus, ſumma circumſpectione propinanda, aut penitus ab uſu eorum abſtinendum ſit. Et hæc cautela etiam apud ſubjecta plethorica, atque ſicca, bilioſa, cholerica valet. Silentio pariter hoc loco non prætereundum eſt, oleum æthereum quodcunque, præter vires communes, etiam propriis quibusdam, quas vulgo ſpecificas vocant, inſtructum eſſe, & illud proinde majus auxilium in morbis capitis, hoc autem in morbis pectoris, ventriculi, uteri, &c., præſtare: Cavendum tamen, ne hæc ultima ultra juſtas limites extendantur. Exhibentur interne doſi valde exigua, ad unam ſcilicet vel alteram guttulam, in vino aut aqua quadam deſtillata, vel ſacharo etiam inſtillantur, aut tritura mediante prorſus cum eo in elæoſachara rediguntur. Perſæpe pariter in ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, ſpiritu vini, aut alio

alio inflammabili rectificatiſſimo, itemque, & quidem optime, in ſpiritu nitri dulci ſolvuntur, & ſub tincturæ, ſpiritus, vel etiam, ſi multum olei in menſtruo fuerit ſolutum, balſami liquidi nomine ac forma propinantur.

§. XLV

EXTERNE, commovendi, diſcutiendi, exſiccandi ac roborandi fine, vel per ſe illinuntur, vel, quod tutius cenſendum, inter emplaſtra, unguenta, balſama unguinoſa, & linimenta, tum oleoſa, tum ſpirituoſa, recipiuntur, & hac ratione frequentiſſime in variis morbis capitis, ventriculi, inteſtinorum, uteri, aliarumque partium, in coryza diuturniori v. g., hemicrania, vertigine, odontalgia, imbecillitate ventriculi, colica, cardialgia, paſſione hyſterica, diarrhœa, dyſenteria, cœliaca, lienteria, prolapſu uteri, tumoribus frigidis œdematoſis, herniis, luxationibus, laxitate ligamentorum, &c., diverſimode adplicantur.



OLEA DESTILLATA ÆTHEREA SELECTIORA

Oleum caryophyllorum aromaticorum.	*Oleum lavendulæ.*
- *cinnamomi.*	- *chamomillæ.*
- *ligni ſaſſafras.*	- *ligni Rhodini.*
- *cubebarum.*	- *ſantali citrini.*
- *meliſſæ.*	- *cort. citri.*
- *rorismarini.*	- *cort. aurantiorum.*
- *majoranæ.*	- *myrrhæ.*
- *thymi.*	- *roſarum.*
- *ſerpilli.*	- *terebinthinæ.*
- *ſaturejæ.*	- *balſami Peruviani.*
- *hyſſopi.*	- *balſami de Copaivæ.*
- *matricariæ.*	- *ſem. carvi.*
- *tanaceti.*	- - *cumini.*
- *millefolii.*	- - *aniſi.*
- *rutæ.*	- - *fœniculi.*
- *ſalviæ.*	- - *nigellæ Romanæ*
- *menthæ.*	- *baccarum juniperi.*
- *ſabinæ.*	- *nucis moſchatæ.*
- *ſpicæ.*	- *macis.*
	- *piperis.*

OLEVM CARYOPHYLLORVM AROMATICORVM

REC. Caryophyllorum aromaticorum lbj. Integris, vel groſſiuſcule ſaltem contuſis ſuperfundantur libræ ſex vel ſeptem aquæ, a priori deſtillatione reſiduæ, vel, hac deficiente, aquæ puræ fontanæ, fluviatilis aut pluvialis, per adjectas tres uncias ſalis communis ſalſæ redditæ, &, præmiſſa aliquot dierum maceratione in loco tepido, deſtillatio in cucurbita humiliori, vel, quod præſtat, in veſica cuprea,

cuprea, ſtanno intus probe obducta, & ad duas partes tertias, immo ultra, aqua & ſpeciebus replenda, igne tamen paullo intenſiori adhibito, inſtituatur; ſic primo oleum albicans, aut dilute flaveſcens cum aqua per adplicati vaſis refrigeratorii canalem in receptaculum tranſtillat, & maxima ex parte fundum petit, quoad exiguam autem portionem aquæ ſupernatat. Huic oleum paullo gravius, craſſius & ſaturatioris coloris flavi ſuccedit, quod totum ad fundum deſcendit. Raro prima deſtillatione omne oleum evocatur, & aqua prolicita, oleo prius ſeparato, plerumque caryophyllis reaffundenda, & deſtillatio ſemel vel bis reiteranda eſt, ut penitus, quod inhæret, oleum ex iis expellatur. Monendum tamen, totam aquæ adfuſæ molem prima vice nequaquam abſtrahendam eſſe, ne caryophylla empyrevma contrahant. Oleum, ſub deſtillatione ſecunda expulſum, priori longe craſſius eſt, &, ob ignem fortiorem adhibitum, multis quoque partibus reſinoſis remixtum. Ex caryophyllorum bonæ notæ libris duabus plerumque quinque, ſex, immo ſubinde ſeptem olei ſubtilioris & craſſioris unciæ bina vel trina deſtillatione eliciuntur. Abſoluta deſtillatione, oleum tritorii, aut vitri hypocleptici ope ſeparatur, & aqua pariter, iniculis oleoſis adhuc valde referta, ſeorſim adſervatur, ut ſuo

tempore, aquæ caryophyllorum deſtillatæ loco, in praxi adhiberi poſſit.

OLEVM caryophyllorum quævis olea reliqua, ſi genuinum oleum ligni ſaſſafras exceperis, gravitate ſpecifica ſuperat, & valde ignea indole pollet; hinc parca etiam manu & ſumma circumſpectione ægris, morbis frigidis laborantibus, porrigendum eſt. Magna tamen differentia oleum caryophyllorum deſtillatum purum, & idem oleum mangoniſatum, h. e., oleo caryophyllorum expreſſo remixtum, quale vulgo in Hollandia, &c., venditur, intercedit: Purum enim altero, aliquantulum ſcilicet mangoniſato, longe ſubtilius, fluidius atque temperatius eſt, & tutius ideo, quam illud, ad guttulam unam vel alteram, in congruo vehiculo propinari poteſt: Solvitur quoque promptiſſime ac totum in alcohole, aut ſpiritu nitri dulci rite præparato, &, in vitro probe obturato adſervatum, liquiditatem ſuam per annos complures retinet. Externe hoc oleum, provide cumprimis adplicatum, in carie oſſium, ſphacelo, & gangræna ſpecificum & ſatis activum exiſtit remedium. Methodus deſcripta etiam in deſtillatione *olei cinnamomi*, *piperis*, *cubebarum*, *cardamomi*, *ligni ſaſſafras*, &c., obſervatur, & nulla ſingularis occurrit in hoc paſſu differentia, præterquam, quod lignum ſaſſafras, in raſuram redactum, diuturniorem macerationem poſtulet, ut ante deſtillationem ſufficienter emolliatur. Eodem pariter modo, ſubſtrato tamen

men igne leniori, deſtillatio oleorum ſpecifice leviorum, ut *olei rorismarini*, *majoranæ*, *thymi*, *menthæ*, *flor. ſpicæ* & *lavendulæ*, *ſeminis anisi*, *balſami de Copaiva*, &c., inſtituitur, & oleum, aquæ vel innatans, vel perfecte ſupernatans, cum priori aquæ parte dimidia maxima plerumque ex parte transſcendit. Separantur poſt aliquam vaſis quietem itidem, & quidem longe commodius, quam ſpecifice graviora, ope tritorii aut vitri hypocleptici. Virtutes oleorum ſpecificæ, conſiderata ſimplicium, e quibus eliciuntur, natura, facile determinari poſſunt; hinc fuſius hoc loco de iis agere plane ſupervacaneum duco.

CAPVT II
DE
OLEIS DESTILLATIS EMPYREVMATICIS

§. I

OLEA EMPYREVMATICA nihil aliud ſunt, niſi olea eſſentialia, vel ætherea, vel unguinoſa, aduſtione, nunc graviori, nunc leviori, plus minusve, quoad formam & indolem, mutata; hinc valde etiam ab eſſentialibus integris, puris atque recentioribus ſeſe odore, ſapore, natura, viribus, & uſu, immo perſæpe pariter colore ac conſiſtentia, diſtinguunt. Odor ordinario ingratus, immo

in pleriſque, præſertim ex animalium partibus ſicca deſtillatione eductis, admodum fœtidus, ſapor nauſeoſus, acris, urens, amaricans, conſiſtentia ſpiſſior, quin in quibuſdam plane picea, & natura valde calida deprehenduntur

§. II

ANTE rectificationem oleis empyrevmaticis, ex animalium partibus prolicitis, præter phlegma, multum ſalis urinoſi, vegetabilibus autem & mineralibus tum acidi, tum urinoſi quidquam inhæret: Terreo-ſalinæ tamen & oleoſo-fuliginoſæ ſubſtantiæ craſſiores, cum phlegmate intermixto, ſeparari, & oleis hiſce pelluciditas, limpiditas, major fluiditas, & gratior quoque odor ac ſapor, cum indole temperatiori, conciliari poſſunt, ſi reiteratæ rectificationi, vel cum, vel abſque additamentis, adornandæ, ſubmittantur; quemadmodum id inter alia *oleum animale* DIPPELII, quod e ſanguinis cervini oleo empyrevmatico, deſtillatione ex munda retorta vitrea decies, immo bis decies reiterata, paratur, ſatis ſuperque confirmat. Poſt quamcunque enim deſtillationem, citra ulla ſuſceptam additamenta, capitis mortui terreo-unguinoſi nigri portio in retorta relinquitur, & oleum, a quiſquiliis terreo-fuliginoſis liberatum, & diuturniori ignis actione longe ſubtilius

tilius redditum, tandem, ſpiritus fere adinſtar, pellucidum, tenue, volatile, penetrantiſſimum, odore & ſapore ſatis gratum, & miræ, ut cum BOERHAAVIO [a] loquar, per omnes corporis vias penetrabilitatis, prodit.

§. III

NON confundenda ſunt *olea fœtida*, motu putredinoſo in animalibus ac vegetabilibus producta, cum empyrevmaticis. Nam licet pleraque empyrevmatica, nondum rectificata, ſimul valde fœtida ſint, quin ſingula odorem plus minusve ingratum ſpirent, non omnia tamen fœtida inverſo modo exiſtunt empyrevmatica, quum abſque ulla etiam aduſtione, ac ſola duntaxat putredine, in ſingulis triplicis, maxime autem animalis ac vegetabilis regni, concretis, quæ in motum putredinoſum redigi poſſunt, oleum fœtidum producatur.

§. IV

OLEA empyrevmatica ex aptis ſubjectis, oleo eſſentiali, æthereo, unguinoſo, pinguedine, reſina, gummi-reſina, mucilagine craſſiori aut gelatina prægnantibus non ſimpliciter educuntur, ſed ignis ope ſub deſtillatione ſicca demum ex parte producuntur.

a) In Chemia T. II. p. m. 318.

Nam olea tum ætherea, tum unguinoſa partium aduſtione ſuperficiaria valdopere transformantur & immutantur, pinguedines eandem patiuntur metamorphoſin, atque, amiſſa priſtina temperie atque dulcedine, acres evadunt, & ad olei fluiditatem perducuntur; & eadem pariter contingunt in oleo aut pinguedine, quæ reſinis, gummi-reſinis, mucilaginibus craſſioribus, & gelatinis inhærent, & præcipuum earum principium conſtituunt. Confeſtim & abſque deſtillatione laudatam mutationem partium, &c., obſervare poſſumus in butyro recentiſſimo, atque dulciſſimo, uſtulationi ſubjecto: Ita enim paullatina ignis actione minimæ moleculæ oleoſæ transformantur, ut ſaporis dulcedo, & color albidus, vel ex albido-flaveſcens, cum indole temperatiſſima, ſucceſſive pereant, & butyrum fluens acre, amaricans, ex flavo-brunnum, & natura calidius, quinimo, ſi uſtulatio diutius protrahatur, aut ignis ſubſternatur intenſior, amarum, ex brunno-nigricans, & valde acre & igneum evadat.

§. V

AD DESTILLATIONEM, igne ſicco, eoque, pro laxiori vel compactiori ſubjectorum textura, nunc mitiori, nunc intenſiori, inſtituendam, modo *cucurbitæ humiliores*, modo

retortæ ſimplices, aut, & quidem frequentius, *loricatæ*, quibus carbones candentes immediate poſſint admoveri, adhibentur. Cucurbitæ humiliores eliguntur, quando ſubſtantiæ liquidiores, ex animantium ac vegetantium cenſu, ut urina, ſanguis, aliique humores, paullulum ante deſtillationem inſpiſſati, deſtillationi ſubmittendæ ſunt; retortæ vero, præprimis terreæ loricatæ, aptiores exiſtunt, quoties oleum ex durioribus atque ſiccioribus corporibus, v. g. ambra, ſuccino, lithantracibus, reſinis, oſſibus, ungulis, dentibus, ſanguine penitus exſiccato & ſimilibus eliciendum eſt. Fieri tamen ſolet, ſive cucurbita, ſive retorta adhibeatur, vel cum, vel ſine additamento. Subjecta pleraque, præprimis ſicca, nullis plane indigent additamentis, & ſub quorundam duntaxat deſtillatione, quæ igne admoto valde expanduntur, atque ſpumeſcunt, *arenæ*, *cinerum cribratorum*, *C. C. uſti groſſiuſcule pulveriſati*, &c., additione opus eſt.

§. VI

OLEA empyrevmatica nunquam e ſubjectis, deſtillationi ſiccæ commiſſis, ſola eliciuntur, ſed ſimul quoque *phlegma*, *liquores plus minusve ſpirituoſi*, & *ſalia volatilia*, nunc *acidula*, nunc *urinoſa*, nunc quodammodo

mixta prodeunt, ita tamen, ut alia oleo citius, quod frequentius fieri consuevit, alia eodem tardius expellantur. E succino v. g. primo liquor aqueo-acidulus, tenerrimis miculis oleosis remixtus, prodit, succedit oleum, & deinde sal siccum acidulum atque volatile in retortæ collum sublimatur, ex ebore ex adverso, cornu cervi, & similibus primo phlegma, & sal volatile urinosum expelluntur, eademque oleum crassius postea sequitur.

§. VII

RECTIFICATIO olei empyrevmatici, a substantiis simul expulsis, quantum fieri potuit, separati, vel cum, vel sine additamentis suscipitur. Si additamenta placent, oleum in retorta vel cucurbita humiliori aliquoties super *cretam*, *cornu cervi ustum*, *calcem vivam*, *cineres cribratos*, *sal tartari*, *cineres clavellatos*, quibus subinde, citioris depurationis caussa, sufficiens aquæ simplicis puræ quantitas superfunditur, more consueto abstrahitur: Sin memoratorum vero corporum additio displicet, aut ob certum finem necessario omittenda est, olea per se ex munda retorta, arenæ balneo altius imponenda, evocantur; monendum tamen, destillationem hac ratione sæpius longe, quam in casu priori, repetendam esse.

§. VIII

§. VIII

NON adeo notabile discrimen olea empyrevmatica rectificata mineralia & mineralia, ut *oleum ambræ*, *succini*, *lithantracum*, &c., itemque vegetabilia & vegetabilia, nec minus animalia & animalia, ut *oleum empyrevmaticum rorismarini* & *menthæ*, &c., ut & *oleum cornu cervi*, *eboris*, *cranii humani*, *ungulæ alcis*, *sanguinis*, &c., intercedit, præterquam, quod aliud alio crassius sit, & ingratiori sapore & odore præditum. Id tamen adhuc adjiciendum est, olea empyrevmatica, ex animalium partibus prolicita, fœtore atque sapore ingrato longe superare olea empyrevmatica, e vegetabilibus recentibus, ac nondum putridis, maxime autem e mineralibus bituminosis igne violento expulsa, quippe quæ semper plus minusve de sapore & odore suo nativo balsamico retinent, ita ut concretum, e quo educta fuerunt, ex iis quodammodo, immo subinde satis clare, cognosci queat.

§. IX

OLEA empyrevmatica, debite rectificata, & sæpius reiterata destillatione solitaria subtiliora ac gratiora reddita, valde activa præbent remedia interna commoventia, resolventia, discutientia, sudorifera, atque diuretica,

retica, & ea cumprimis, quæ ex animalium partibus pinguibus atque gelatinosis expulsa, ac methodo *Dippeliana*, h. e., destillatione solitaria, decies, imo duodecies repetita, ad spirituum propemodum subtilitatem, mobilitatem ac penetrabilitatem perducta fuerunt, virtutem anodynam, antispasmodicam, resolventem atque febrifugam non contemnendam exserunt, & ideo persæpe cum fructu in febribus intermittentibus, præsertim quartana, epilepsia cacochymica, obstructionibus viscerum chronicis, & variis adfectibus spasmodicis, ad guttas 10. 20. 30., in vino, aut alio vehiculo commodo propinari possunt. DIPPELIVS suum *oleum animale*, quod nihil aliud est, nisi oleum sanguinis cervini aut bovini empyrevmaticum, per se e retorta vitrea munda duodecies abstractum, non tantum in morbis memoratis, sed in compluribus quoque chronicis aliis, v. g. arthritide vaga, podagra, calculo, nephritide, & frigidis partium tumoribus, &c., miris extollit laudibus: [a] At monendum, hoc æque ac similis naturæ reliqua rationalem ac providum postulare usum, ne, causa calida præsente, aut apud plethoricos ac bilioſos, plus noceant, quam prosint.

§. X

a) Vid. CHRIST. DEMOCRITI Tract., cui titulus: *Vitæ animalis morbus & medicina p. 78.*

§. X

OB insignem partium subtilitatem ac mobilitatem, quæ ipsis sæpius reiterata destillatione inducuntur, *oleum animale* DIPPELII, & eodem modo rectificata animalis originis reliqua, celerrime corpus penetrant, & operationem suam primariam promta resolutione, & aliqua pariter commotione absolvunt. Notatu quoque dignum est, illa ægris placidum plerumque conciliare somnum, qui, teste HOFFMANNO, [b] per viginti sæpe horas una serie perdurat, ac nullum postea torporem aut debilitatem infert, sed corpus potius alacrius reddit, ac mentem hilariorem. Aliud judicium ferendum erit de rectificatis oleis empyrevmaticis vegetabilibus & mineralibus, quorum priora, particulis fuliginosis sæpius repetita destillatione ablatis, ad indolem ætheream, posteriora ad naturalem, qua antea in simplici pollebant, formam atque naturam, præsertim, si destillatio rectificatoria semper super aqua pura ac simplici instituatur, quodammodo reducuntur, & ideo etiam calidiora permanent: Aliquantulum duntaxat ea excipienda sunt, quæ ex dulcibus, subdulcibus & temperatis plantarum partibus, oleo unguinoso turgidis, pro-

b) In Obs. physico-chymicis p. 53.

prolicita fuerunt, & ideo oleo, in gelatinis & pinguedinibus animantium hoſpitanti, indole temperata magis analoga exiſtunt.

§. XI

OLEA empyrevmatica animalis proſapiæ, ac nondum rectificata, prompte in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvuntur, & eum odore, ſapore, colore, ac tanta virtute ſudorifera imbuunt, ut uncia dimidia ſpiritus, qui duas ſaltem vel tres olei guttulas recepit, apud quatuor homines, quibus portio propinata fuit, copioſum ſudorem provocet. *a* Vſum quoque illa ipſa externum in praxi inveniunt, & nonnunquam diſcutiendi; reſolvendi, abſtergendi ac purificandi, imo eorum aliqua roborandi fine, tumoribus partium frigidis, membris paralyticis, debilitatis articulationibus, atque ulceribus impuris, & rebellibus, vel per ſe, vel cum aliis præſertim balſamicis, ut balſamo de Copaiva, de Peru, &c., commixta, adplicantur.

a) Conf. HOFFM. l.c., ut & Diſſ. noſtra de Oleis empyrevmaticis.

* *
*

OLEA EMPYREVMATICA VSITATIORA

Oleum ſuccini.	*Oleum eboris.*
- *ligni Guajaci.*	- *unguiæ alcis.*
- *benzoinum.*	- *cornu cervi.*
- *ceræ.*	- *ſanguinis.*
- *tartari.*	- *lumbricorum terreſtrium.*
- *ſaponis Veneti.*	- *animale Dippelii.*

OLEVM SVCCINI

REC. Succini flavi groſſiuſcule contuſi, libram unam, arenæ puræ, libras duas. Mixta injiciantur retortæ terreæ loricatæ, eidemque, in furno reverberii collocatæ, ignis carborum, magis ſucceſſive magisque augendus, immediate admoveatur; ſic primo aqua acidula cum pauco ſale volatili, deinde oleum ſubtilius flaveſcens, poſtea craſſius, coloris ex brunno-nigricantis, prodeunt, tandemque ſal ſiccum, albicans, volatile, in retortæ collum ſublimatur. Hoc, peracta deſtillatione, eximitur, &, æque ac oleum, a phlegmate acidulo ſeparatum, ſeorſim adſervatur. In retorta caput mortuum, ex ſabulo & terreo-fuliginoſis ſuccini partibus mixtum, remanet. Si deſtillatio abſque arenæ additione inſtituitur, materia nigra ac dura, oleo penitus expulſo, relinquitur, quæ maxima tamen ex parte, admoto in fine igne intenſiſſimo adeo volatilis redditur,

ut notabilis etiam portio in retortæ collum adſcendat. Rectificatio olei ſuccini modo, in præcedentibus (§. 7.) deſcripto, ſuſcipitur.

NOTANDA CIRCA NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM

I. SVCCINVM eſt bitumen minerale, durum, grato odore balſamico, colore plerumque flavo, flaveſcente, aut albo, rubicundo, &c., & eminente vi electrica præditum, quod maxima ex parte e *petroleo*, per *vaporem* aut *tenuem liquorem aqueo-acidulum vitriolicæ profapiæ* coagulato, conſtat.

II. Oleum ſiccæ deſtillatione e ſuccino expulſum, ex parte ſubtilioris, ex parte craſſioris indolis eſt. Illud in alcohole ſolvitur, hoc autem ſolutionem in laudato menſtruo reſpuit. Prodit quoque ſub deſtillatione primo oleum clarius, levius, volatilius flaveſcens, ſuccedit rubicundum, tandemque craſſius longe, gravius, ex brunno-nigricans, ignis ſcilicet gradibus debite obſervatis, expellitur.

III. Oleum ſuccini aliquoties rectificatum, & ad guttulas aliquot propinatum, locum ſibi inter medicamenta roborantia, nervina, cephalica, diſcutientia, carminativa, diuretica, & uterina vindicat; caute tamen, præſertim in calculo & urinæ ſuppreſſione, cum uſu ejus mercandum, quum

quum valde calidum pharmacum ſit, quod motus in ſolidis ac fluidis nimium perſæpe ſuſcitat. Externe ingreditur unguenta ac linimenta roborantia, nervina, carminativa, & lithontriptica, ligamentis articulationum debilitatis, nec minus ſpinæ dorſi in epilepſia, abdomini in colica, cardialgia, diarrhœa, &c., & regioni lumbari in dyſuria & calculo adplicanda. Deſtillandi methodus ſupra deſcripta etiam adhiberi poteſt in deſtillatione oleorum hujus commatis ex *ambra*, *myrrha*, *tacamahaca*, *gummi benzoino*, *ammoniaco*, *maſtiche*, ac reliquis bituminoſis mineralibus, & reſinoſis atque gummeo-reſinoſis vegetabilibus. Monendum ſaltem, iis, quæ ſub deſtillatione notabilius expanduntur, ſemper arenam miſcendam, vel ea tamen, ſi quis naturam & principia eorum conſtitutiva exactius explorare velit, minori quantitate retortis capacibus immittenda eſſe, ne expanſa collum obſtruant. Vires oleorum hujus cenſus diverſorum ſpecificæ, conſiderata ſimplicium natura & virtute ſpecifica, medico rationali & in materia medica ſtricte ſic dicta, prout decet, verſato, facile patebunt.

OLEVM CERÆ

IMPLEATVR retortæ vitreæ, arenæ deinceps imponendæ, pars dimidia cera pura, duriuſcula & in fruſtula diſſecta, poſteaque tantum arenæ puriſſimæ addatur, ut retorta pene ad collum uſque repleatur: Quo facto, arenæ balneo ignis primo lenior ſubſternatur, ut retorta incaleſcat paullatim, & cera liqueſcens

cens cum arena probe miſceatur, deinde, igne per gradus aucto, inſtituatur deſtillatio; ſic primo aqua acidula, magis ſucceſſive magisque ſpirituoſa, ingrati odoris, prodit, eademque expulſa, reſidua materia mollis ac quaſi butyracea ſub olei quidem forma, igne aucto, transſcendit, aſt refrigerata denuo butyri inſtar coagulatur: Quare deſtillationi per ſe denuo ſubjicienda, ac toties e munda retorta evocanda eſt, donec acidum coagulans, ac phlegma, adhuc inhærens, penitus ſeparatum, & materia pinguis butyracea ad olei clari formam atque liquiditatem perducta fuerit. LEMERY olei fluidi unciam unam & drachmas ſex ex ceræ unciis octo obtinuit; reliquum phlegma acidum atque ſpirituoſum erat. *a*

OLEVM ceræ, ut & mollis & albeſcens materia butyracea, quæ obtinetur deſtillatione, naturam poſſident temperatiſſimam, &, ſub forma unguenti externe adplicata, egregie partes exſiccatas, duras, ſtrictas emolliunt & relaxant, dolores mitigant, ſolida eroſa, immo ipſos denudatos nervos, demulcent, cutem, labia oris & maxime papillas mammarum, ſi fiſſuris corripiantur, defendunt ac leniunt, & ſingularem quoque virtutem anodynam in hæmorrhoidum dolore atroci exſerunt.

OLE-

a) Vid. Hiſt. de l'Acad. des ſciences A. 1708. p. 64

OLEVM SANGVINIS

RECIPE Sanguinem bovinum, in furno penitus exſiccatum, & in fruſtula diffractum, ac tantum de eo in retortam vitream aut terream loricatam immitte, ut quarta circiter vel tertia pars impleatur. Retortam vitream arenæ balneo, terream loricatam autem igni aperto carbonum impone, & ignis gradu ſenſim ac provide aucto, primo phlegma, deinde ſal volatile cum oleo ſubtiliori, tandemque oleum craſſum nigricans in receptaculum capaciſſimum, & retortæ, roſtro intermedio, adplicatum, expelle. In retorta terra nigra, levis ac ſpongioſa remanet, quæ longe majus, quam antea ſanguis, ſpatium occupat, & plerumque ad collum uſque pertingit. Sanguis enim, admoto igne, præprimis auctiori, valde expanditur, & cum violentæ rupturæ periculo, ſi juſto major ſanguinis exſiccati quantitas retortæ injecta fuerit, retortæ collum obſtruit, adeoque impedit, quominus ſpiritus volatilis ac valde elaſticus exire queat: Hinc ſemper in hujus ſpiritus deſtillatione ſumma cura proſpiciendum erit, ut modica ſaltem ſanguinis exſiccati quantitas retortæ injiciatur, & deinde quoque blandus ignis tamdiu adhibeatur, donec ſpiritus ſubtiliores expulſi fuerint. Oleum, peracta deſtillatione, a ſpiritu urinoſo

noſo ac ſale volatili, more conſueto, & quidem optime beneficio chartæ bibulæ, aqua prius humectatæ, ſeparatur, & deinde vel cum, vel ſine additamentis, ſemel vel aliquoties rectificatur. Si rectificatio, uti ſupra pridem dictum, ſæpius reiteretur, tandem limpidum evadit, gratiorem odorem atque ſaporem conſequitur, & viribus iiſdem, quibus *oleum animale* DIPPELII inſtructum creditur, pollet.

OLEVM hoc, nondum rectificatum, per ſe interne rariſſime exhibetur, ſed ad paucas guttulas, in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvitur, & tinctura inde enata in morbis, in quibus ſortiora ſudorifera proſunt, ad 30. 40. 50. 60. guttas, propinatur. Externe ulceribus impuris abſtergendi fine inungitur, &, æque ac oleum cornu cervi, eboris, &c., cum balſamo Peruviano mixtum, non contemnendum unguentum travmaticum, quod b. WEDELIVS quondam magni æſtimavit, & ſuum vocavit *balſamum fœtidum*, conſtituit. Methodo deſcripta reliqua pariter olea empyrevmatica ex animantium partibus eliciuntur, apud oſſa tamen, cornua, dentes, ungulas & alia ſubjecta duriora atque compactiora tam adcurato ignis regimine non opus eſt, cum expandi, adeoque retortæ collum obſtruere nequeant: Poſſunt quoque retortæ terreæ loricatæ, quæ ad horum deſtillationem ſemper neceſſariæ ſunt, altius ac ferme ad collum uſque diſſectorum oſſium fruſtulis repleri. Olea hæc, quod adhuc addendum eſt, natura, ac viribus parum vel nihil diſtincta inveniuntur, & alterum proinde alteri, immo oleum *ſanguinis* aut *cornu cervi* oleo *ungulæ alcis*, *cranii humani*, *eboris*, *lumbricorum terreſtrium*, &c., in praxi medica commode ſubſtitui poteſt. Errant enim, qui unicuique diſtinctas plane & ſpecificas vires medicas inhærere opinantur.

* * * * * * * * * * * * * *

CAPVT III

DE OLEIS ESSENTIALIBVS EXPRESSIS, COCTIS, ET INFVSIS

§. I

AD ALTERAM oleorum eſſentialium claſſem genericam pertinent OLEA VNCTVOSA, ſeu VNGVINOSA, ab aliis etiam *pinguia* & *ſebacea* dicta. Valdopere hæc, indole, proprietatibus ac viribus medicis, ab æthereis inveniuntur diſtincta: Ætherea enim fragrantiſſimum ſpargunt odorem, & in aere libero, præprimis calore accedente, in auras, in effluvia prius reſoluta tenerrima, maxima ex parte auffugiunt, ſapore præterea pollent acri, urente, igneo, & cuti teneriori, aliisque partibus corporis ſenſibilioribus ad-

plicata, eas exſiccant, ſtringunt, arrodunt, & cum dolore quaſi adurunt; Vnguinoſa contra linguæ ſaporem blandum atque ſubdulcem imprimunt, debilem ſpirant odorem, in vaſis apertis, abſque ſingulari partium jactura, ſatis diu perdurant, & cutem ac ſolida quævis in corpore humano humectant, emolliunt, lubricant, partes eroſas demulcent, & dolores mitigant. Hæc ultima tamen primario de recentibus intelligenda erunt: Temperatiſſima enim temporis progreſſu, præprimis, ſi in loco adſerventur calido, acriora evadunt, ac rancida, & multum proinde de blanda ſua indole & demulcente virtute amittunt.

§. II

EX IISDEM quidem principiis, quæ olei ætherei mixtionem ingrediuntur, olea unguinoſa conſtant, craſſioribus tamen gaudent moleculis, & terrea ſubſtantia largius inſtructa ſunt; quod præcipua etiam cauſſa eſſe videtur, cur tenaciora, ſpiſſiora, immobiliora, torpidiora exiſtant, cur ſaturatiorem incenſa flammam exhibeant, & copioſiorem ac craſſiorem fumum atque fuliginem eructent, cur denique ſolutionem in ſpiritibus inflammabilibus reſpuant. Purior nihiloſecius atque volatilior indoles ipſis repetita deſtilla-

ſtillatione & abſtractione ſuper calcem, aut lateres contuſos conciliari poteſt, adeo, ut propius tandem ad olei ætherei indolem atque ſubtilitatem accedant. Quod nonnulla autem, v. g. oleum lini, & napi ſylveſtris, digeſtione cum aqua in vaſe plumbeo, uti D. D. DEGNERVS aliquando promittebat,[a] ingratiori ſuo odore & ſapore penitus liberari, & in oleum olivarum, vel eidem tamen ſimillimum, mutari poſſint, ulteriori experientia neutiquam comprobatum fuit. [b]

§. III

PRÆ RELIQVIS plantarum partibus fructus quidam ac ſemina, v. g. *amygdala dulcia*, *olivæ*, *piſtacia*, *nuces juglandes*, *nuces pini ſativæ*, *ſemina lini*, *cannabis*, *papaveris*, *napi ſylveſtris*, &c., oleo temperato unguinoſo valde turgida ſunt, quod inde, ſi cilicio includantur, torcularis ope exprimitur, vel etiam coctione cum aqua ſeparatur. Expreſſioni perſæpe lenis toſtio præmittitur, ut ſeparatio ſit facilior, ac plus colligatur olei; at iſtud illico hac ratione acredinem quandam contrahit, ac multum de nativa ſua indole temperata amittit. Id quoque metuendum

a) Vid. Annal. Wratislavienſ. A. 1725. p. 208.
b) Vid. Miſcell. Berolinenſ. T. IV. p. 321.

dum eſt, ſi illud ex fructibus & ſeminibus, groſſiuſcule contuſis, coctione, in veſica, cucurbita, vel olla peragenda, elicitur. Coctioni igitur expreſſio, abſque prævia toſtione inſtituta, præferri meretur, etiamſi adhibita priori plus olei obtineatur, quod aquæ innatans ſucceſſive cochleari, vel una etiam vice, ſi coctio in cucurbita aut veſica inſtituatur, aufferendum eſt. Curandum ſaltem, ut ſemper fructus ac ſemina recentiora, ac nondum rancida, expreſſioni ſubjiciantur.

§. IV

PRÆTER memorata olea expreſſa, unguinoſa, temperatiſſima, in officinis quoque proſtant *olea aromatica*, *balſamica*, *calidæ indolis*, quæ pariter preſſu e *nuce myriſtica*, *caryophyllis aromaticis*, *macere*, *baccis lauri*, & ſimilibus ſeparantur: At illa hic nullum plane locum inveniunt, ſed, ob indolem & virtutem analogam, ad ætherea jure meliori referuntur. Quod vero *oleum ovorum* attinet, quod animale regnum ſuppeditat, & ex vitellis ovorum, coctione induratis, exemtis, & leniter aſſatis exprimitur, iſtud unguinoſis temperatis omnino adjungi meretur.

§. V

OLEA expreſſa & cocta unguinoſa recentiora animantium corpora nutriunt, partes eorum

eorum ſolidas, duras, exſiccatas, rigidas, nimium tenſas atque ſtrictas, motu blando & inſenſibili in poros penetrando, humectant, & emolliunt, eroſas demulcent, & a corporum rodentium vellicatione defendunt, acrimoniam ſalinam quamcunque, obtundendo & involvendo, temperant, fluida indurata & exſiccata lubricant, dolores atque ſpaſmos mitigant, & proinde in variis adfectibus ſpaſmodicis & convulſivis, vigente præprimis paroxyſmo, itemque in eroſione meatuum, ab acrimonia ſalina aut veneno corroſivo producta, itemque calculo, tuſſi acri, raucedine, aſperitate faucium, ſiccitate & pertinaci inteſtinorum obſtructione, induratione fecum alvinarum, aridura ac rigiditate ligamentorum, tumoribus duris calloſis, eſcharis, fiſſuris mammarum, labiorum, cutis, & in compluribus aliis morbis, vel internum, vel externum uſum inveniunt.

§. VI

AD OLEA *infuſa*, quorum multa, tum ſimpliciora, tum diffuſiora, in officinis proſtant, conſueto more paranda, primario olea expreſſa & cocta unguinoſa requiruntur. Hæc enim menſtrui munere perfunguntur, &, variis ſpeciebus ſuperfuſa, digeſtionis

leniſſimæ ope, ſpecifica quædam principia activa ex illis extrahunt: Vnde fit, ut majorem poſtea activitatem, vel novas plane vires ſortiantur, quæ, conſiderata ingredientium natura, facillime determinari poſſunt.

OLEA EXPRESSA, COCTA ET INFVSA VSITATIORA

Oleum expreſſum olivarum.
- - *amygdal. dulcium.*
- - *lini.*
- - *napi ſylveſtris.*
- - *cannabis.*
- - *nucum juglandium.*
- - *ſem. papaveris.*
hyoſcyami e ſeminibus.
- - *ovorum.*

Oleum infuſ. abſinthii.
- - *anethi.*
- - *capparum.*

Oleum infuſ. chamomelinum
- - *cheiri.*
- - *hyperici.*
- - *liliorum alborum.*
- - *lumbricorum terreſtr.*
- - *maſtichinum.*
- - *menthæ.*
- - *nymphææ.*
- - *populneum.*
- - *roſarum.*
- - *rutæ.*
- - *ſcorpionum.*
- - *flor. verbaſci.*
- - *caſtorei.*

OLEVM AMYGDALARVM DVLCIVM EXPRESSVM

REC. Amygdalarum dulcium recentium, aut nondum tamen rancidarum, quantum placet. Excorticatas ac denuo ſine igne ſiccatas contunde, &, cilicio incluſas, prelo exprime, idque ſucceſſive, donec omne, quod ineſt, oleum expreſſum fuerit.

OLEVM

OLEVM hoc, recentiſſime expreſſum, egregium medicamentum anodynum, antiſpasmodicum, emolliens, temperans atque demulcens eſt, & frequentiſſime baſin atque excipiens præbet electuariis, interne in eroſine faucium, ventriculi & inteſtinorum, nec minus in torminibus ventris, paroxyſmo hypochondriaco, hyſterico, & nephritico, pertinaci obſtructione alvi, induratione excrementorum, cardialgia & colica ſpaſmodica, paſſione iliaca, ictero acuto, tuſſi, raucedine, aſthmate, & multis aliis morbis, cochlearim & per intervalla, demulcendi, temperandi & emolliendi fine, exhibendis. Externe unguenta & linimenta emollientia & anodyna ingreditur. Eodem modo, ſine prævia tamen excorticatione, etiam *olea ex ſeminibus papaveris, lini, hyoſcyami* & *nucibus juglandibus* exprimuntur: Monendum ſaltem, ſingula hæc ante olei expreſſionem leniori ſubmitti toſtioni, ut plus olei largiantur. Oleum hyoſcyami externum duntaxat uſum habet, &, unguentis atque emplaſtris additum, vires anodynas, paregoricas & demulcentes exſerit. Oleum ſeminis papaveris aliqua virtute anodyna & hypnotica inſtructum eſt, & oleum nucum juglandium, quoad naturam & vires cum oleo amygdalarum dulcium convenit.

OLEVM OVORVM EXPRESSVM

REC. Ovorum recentium ad duritiem coctorum numero centum. Vitellos exemtos & comminutos leni igne in ſartagine aſſa, lenem

lenem hanc toſtionem ſub continua cum ſpatula agitatione tamdiu continuando, donec vitelli ruffeſcere, & oleoſa materia exſudare incipiat; quo viſo, vitellos, cilicio incluſos, prelo ſubjice, & oleum preſſione elice.

OLEVM hoc, adhibita toſtione leniſſima paratum, & adhuc recens, medicamentum demulcens externum præbet, quod perſæpe in fiſſuris cutis, labiorum, mammarum, nec minus in ſerpigine, impetigine, ambuſtis, & doloribus hæmorrhoidalibus cum fructu adplicatur.

OLEVM INFVSVM CHAMOMELINVM

REC. Florum recentium chamomillæ ſimplicis, libram unam, olei communis puri, libras tres. Oleum, floribus aliquantulum contritis ſuperfuſum, leni digeſtioni in loco temperate calido committatur per triduum vel quatriduum, deinde coquatur, donec prunis inſperſum non amplius ſtrideat, poſteaque coletur, & ad uſum reponatur.

EXTERNE emolliendi ſine partibus induratis, exſiccatis, dolentibus & ſpaſmodice conſtrictis adplicatur, & alia pariter unguenta, & ipſos perſæpe clyſteres emollientes, demulcentes, & carminativos ingreditur. Cum eodem oleo communi, quod expreſſione e ſeminibus napi ſylveſtris elicitur, etiam *oleum florum cheiri*, *hyperici*, *herbæ menthæ criſpæ* & *ſcorpionum*,

num, ſimili prorſus modo, parantur. Oleum cheiri non tantum anodynum, ſed etiam reſolvens creditur remedium, & ideo nonnunquam duris uteri tumoribus, ut & hypochondriis in hepatis & lienis obſtructione atque duritie inungitur: An vero etiam ad menſes & fœtum mortuum pellendos ſingulare quid conferre poſſit, valde adhuc dubito, quum virtus olei emolliens virtutem florum reſolventem & diſcutientem longo ſuperare videatur. Oleum florum hyperici eſt vulnerarium externum, & a quibusdam quoque, ob virtutem eandem ut & aliquam anthelminticam, interne exhibetur. Oleum menthæ criſpæ vel per ſe abdomini & ſcrobiculo cordis inungitur in colica & cardialgia, vel alia etiam unguenta carminativa ingreditur. Oleum ſcorpionum denique, externe inunctum, opem præcipue in dolore nephritico, calculo, ſuppreſſione urinæ, & morſu atque ictu animalium venenatorum ferre creditur, & ideo etiam in morbis prioribus lumbis, pubi, perinæo illinitur, aut in urethram injicitur, in caſu poſteriori autem ipſi parti, ictu aut morſu vulneratæ, inungitur.

OLEVM ABSINTHII INFVSVM, ATQVE COCTVM

REC. Summitatum abſinthii recentis conquaſſatarum, libram unam, foliorum roſarum rubrarum, unciam dimidiam, olei olivarum clari, libras tres. Macerentur in loco temperate

perate calido, vel ad ſolem, per triduum, deinde coquantur, donec oleum prunis inſperſum non amplius ſtridorem excitet, tunc coletur & ſervetur.

OB aliquas vires diſcutientes atque carminativas abdomini in torminibus ventris & variis adfectibus flatulentis inungitur, & ſubinde etiam clyſmata, in colica, aut ad vermes inteſtinorum enecandos & expellendos, injicienda, ingreditur. Simili adhibita methodo etiam cum oleo olivarum parantur *oleum roſarum*, *foliorum* ac *florum anethi*, *fol. liliorum alborum*, *florum nymphææ*, *foliorum rutæ*, *florum verbaſci*, & *gemmarum populi nigræ*. Oleum infuſum *anethi* clyſteribus, urgente dolore colico atque nephritico injiciendis, additur, & ſubinde pariter ſpinæ dorſi, aliisque partibus, in convulſionibus & ſpaſmis inungitur. Oleum *liliorum alborum* eſt externum emolliens & paregoricum, quod clyſteribus miſcetur, vel partibus emolliendis inungitur. Oleum *nymphææ* virtute anodyna, hypnotica & refrigerante pollere creditur, & ideo temporibus in agrypnia, & pubi in tentigine venerea inungitur. Oleum *rutæ*, abdomini inunctum, vel etiam clyſteribus additum, vires carminativas & anthelminticas exſerit. Oleum *florum verbaſci* vi anodyna gaudet, & externe adplicatum ſpecifice dolentibus hæmorrhoidibus medetur. Oleum *populeum* ad leniendos dolores & ſpaſmos commendatur. In genere tamen monendum, virtutem

tutem emollientem & demulcentem in ſingulis hiſce oleis ſemper reliquis virtutibus ſpecificis ſuperiorem eſſe.

OLEVM LVMBRICORVM INFVSVM, ATQVE COCTVM

REC. Lumbricorum terreſtrium, ſtupa purgatorum, libram dimidiam. Vino lotis adfundantur olei roſati libræ duæ, coquantur igne moderato ad humidi conſumtionem, & oleum colatum ſervetur.

EXTERNE partibus, ſpaſmo aut convulſione vexatis, illinitur, & a nonnullis pariter interne tanquam inſigne commendatur vulnerarium; quæ poſtrema tamen virtus ſingularis, ſi revera in eo deprehenditur, non lumbricis, ſed oleo roſato tribuenda videtur. Ad normam olei lumbricorum etiam *oleum maſtichinum* paratur, præterquam, quod coctio non adeo diu protrahenda ſit, ne partes balſamicæ diuturniori exhalatione nimium conſumantur.

OLEVM CAPPARVM

REC. Corticum radicum capparum unciam unam, corticum tamariſci, radicum cyperi, herbæ ceterach, ſeminis agni caſti, florum tamariſci, ana drachmas duas, foliorum rutæ, drachmam unam. Pulveriſatis, & aceto irroratis olei olivarum puri libra una ſuperfundatur, coquantur ad humidi conſumtionem, & deinde oleum colatum & expreſſum ſervetur.

OLEVM hoc externe illitum aliquantulum roborat, & hypochondriis nonnunquam ad inflationes & ſpaſmos mitigandos inungitur: At eo officinæ commode carere poſſent.

OLEVM CASTOREI

REC. Caſtorei, caſſiæ ligneæ, coſti, croci, cubebarum, euphorbii, ſpicæ nardi Indicæ, galbani, opopanacis, ſtyracis calamitæ, ana drachmas duas, cyperi, piperis longi, & nigri, pyrethri, ſabinæ, ſchœnanthi, ana drachmas duas & ſemiſſem, vini albi generoſi, libras duas, olei olivarum puriſſimi libras tres. Galbanum & opopanax ſeorſim in vino ſolvuntur, & ſoluta per linteum exprimuntur, reliqua, in pulverem redacta tenuiſſimum, cum oleo & vino, ad plenariam vini conſumtionem, coquuntur. Monendum tamen, additis reſinis ſeorſim ſolutis, mixta ſæpius ſpatula agitanda eſſe, ne gummi-reſinæ denuo ab oleo ſecedant.

AD OLEA roborantia, nervina, antiſpaſmodica & carminativa pertinet, & proinde membris paralyticis, rigidis, & convulſione correptis, ut & abdomini in adfectibus flatulentis, torminibus ventris, dyſenteria, &c., inungitur.

SECTIO

SECTIO IV

DE AQVIS DESTILLATIS, VINIS MEDICATIS ET LIQVORIBVS MEDICIS DIFFVSIORIBVS

CAPVT I

DE AQVIS DESTILLATIS

§. I

AQVÆ DESTILLATÆ MEDICÆ, quæ ſolæ hoc loco tractationis objectum conſtituunt, vel *ſimplices* ſunt vel *compoſitæ*, & hæ iterum, æque ac illæ, intuitu ſcilicet vehiculi, vel *mere aqueæ*, vel *aqueo-vinoſæ*. Ad præparandas ſimplices, præter aquam fontanam aut fluvialem puram, vel vino remixtam, unica ſaltem, ad compoſitas autem plures ſpecies requiruntur.

§. II

SVBJECTA, aquarum deſtillationi apta, nobis ipſa monſtrat natura: Quæ enim in triplici regno notabiliorem ſpirant odorem, & ideo copioſis gaudent partibus exhalabilibus, adfuſo liquori mere aqueo, aut aqueo-vinoſo

ſub deſtillatione partes communicare poſſunt activas, quæ ſpecificas deinde vires aquæ prolicitæ largiuntur. Præ reliquis igitur aquarum deſtillationi ea triplicis regni concreta inſerviunt, quæ principium volatile oleoſo-aromaticum & balſamicum, ſpiritu mobili turgidum, vel acre etiam, pungens & ſubtile acidulum obtinent, uti v. g. ſunt in regno minerali *ambra* & *ſuccinum*, in regno animali *caſtoreum*, *moſchus* & *zibethum*, & in vegetabili denique radices *angelicæ*, *leviſtici*, *mei*, *imperatoriæ*, *calami aromatici*, *zedoariæ*, herba & flores *menthæ*, *meliſſæ*, *rorismarini*, *majoranæ*, *thymi*, *ſerpilli*, *rutæ*, *hyſſopi*, *chamomillæ ſimplicis* & *Romanæ*, *ſpicæ*, *lavendulæ*, *ſalviæ*, *liliorum convallium*, lignum *ſaſſafras*, cort. *citri*, *aurantiorum*, *cinnamomum*, ſemina *carvi*, *cumini*, *aniſi*, *coriandri*, *fœniculi*, *nigellæ Romanæ*, baccæ *juniperi*, *lauri*, *caryophylli aromatici*, *cardamomum*, *macis*, *cubebæ*, & hujus commatis complura alia. Exulare contra debent, quæ dulci, ſubdulci, auſtero, amaro, principio gelatinoſo, mucilagineo, gummoſo, aut terreo-gummeo-reſinoſo fixo pollent, odore prorſus deſtituuntur, & cum adfuſo proinde liquore, licet inde reiterata vice abſtrahatur, nullas particulas activas tranſmittere, adeoque aquas, deſtillando evocatas, nulla virtute ſingu-

ſingulari, multo minus ſpecifica, qua ipſæ gaudent, imbuere valent.

§. III

SPECIES, neceſſariis principiis inſtructæ, vel integræ, vel diſſectæ, aut contuſæ paullulum, immo nonnunquam, ſi exiſtant ſuculentiores, in pultem tritura redactæ, nunc præmiſſa maceratione temporaria, nunc etiam, ſi molliores, atque teneriores ſint, citra eandem, deſtillationi ſubjiciuntur. Si maceratio cum aqua apud ſubjecta duriora, atque ficciora neceſſaria, aut tamen apud alia commoda viſa fuerit, ſuperfuſæ aquæ ſimplici, æque ac ante oleorum deſtillationem humidam, & ob eaſdem quoque cauſſas, *ſal culinare*, *tartarus vini pulveriſatus*, aut *ſal* quoddam *alcalicum fixum*, ut *puri cineres clavellati*, adduntur. Metuunt quidem nonnulli in aquis ophtalmicis nocivam a ſale addito acredinem, aſt ſine ratione ſufficiente: Sub blandiori enim deſtillatione, præſertim in cucurbita altiori, nihil ſalis una transſcendit, & iſtud, quod, ſuſcepta deſtillatione in veſica, violenter abreptum fuit, tam exigua inhæret quantitate, ut ſenſibilem roſionem provocare nequeat.

§. IV

DESTILLATIO, præmiſſis præmittendis,

vel in *cucurbita*, mariæ aut arenæ balneo imponenda, vel in *vesica cuprea*, ſtanno intus probe obducta, & vaſe ſuo refrigeratorio inſtructa, eodem, quo in oleorum eſſentialium deſtillatione, obſervato ignis regimine, inſtituitur, & duæ ſaltem aquæ adfuſæ partes tertiæ evocantur. Partes volatiles enim, activæ, oleoſo-balſamicæ, &c., ſtatim initio deſtillationis confertim cum aqua transeunt, & empyreuma pariter hac ratione præcavetur, præſertim, ſi, adhibita veſica cuprea, per intervalla recens aqua frigida, ablata prius tepida, vaſi refrigeratorio infundatur. Quando aqua, ſemel a ſpeciebus abſtracta, nondum moleculis activis ſufficienter imprægnata eſt, recentibus ſpeciebus ſemel vel aliquoties adfundenda erit, ut iterata deſtillatione activa, & principio mobili peregrino turgida evadat.

§. V

AQVÆ deſtillatæ, in vitris probe obturatis radiis ſolaribus per aliquot dies expoſitæ, & deinde in cella ſubterranea, aut alio loco frigidiuſculo adſervatæ, temporis progreſſu indolem magis ſpirituoſam, & longe gratiorem odorem conſequuntur. Notatu quoque dignum eſt, aquas, e cucurbita vitrea deſtillatas, plerumque puriores eſſe, aquis, e veſica

veſica cuprea abſtractis. Deſtillatio enim in cucurbita lentius, quam in veſica, ſuccedit, & partes aqueæ, dum altius adſcendere debent, impura & heterogenea corpuſcula ſecum tam facile abripere nequeunt. Hiſce accedit, quod particulæ acidæ, quæ plantis plerisque copioſe inhærent, ſimul evectæ, in canale vaſis refrigeratorii cuprum, ſtanno paſſim denudatum, quin ipſum ſtannum, adgrediantur, atque utrumque tenerrime corrodant; quod poſtea proinde ab aqua defluente abluitur, & in receptaculum deducitur, imo ab eadem, cum ſalino-vitriolicam indolem obtinuerit, plane ſolvitur: Hinc etiam haud mirandum eſt, aquas ejusmodi, inſtillato oleo vitrioli, paullulum lacteſcere, & calces tenerrimas metallicas ad fundum dimittere.

§. VI

AQVÆ medicæ activæ etiam abſque deſtillatione, adeoque methodo quaſi extemporanea, ex oleis æthereis genuinis & aqua ſimplici deſtillata, vel ſaltem fontana pura vulgari poſſunt parari, quando illa, debite prius cum ſacharo Canarienſi in elæoſachara terendo redacta, aquæ proportionata quantitate immittuntur, eidemque intimius agitationis beneficio miſcentur. Sacharum, ceu

concretum unguinoſo-ſalinum, in hoc paſſu copulatoris munere perfungitur, & olei diſtracti unionem cum aqua promovet. In principio quidem aquæ pelluciditas paullulum turbatur, redit tamen poſt moram aliquam, ſi, præmiſſa ſufficienti vitri agitatione, mixturæ quies temporaria, ſub qua tenera quædam, albicans, materia reſinoſa ad fundum ſecedit, concedatur, eademque, poſt laudatæ ſubſtantiæ plenariam ſubſidentiam, in aliud vitrum, leniter decantando, transfundatur.

§. VII

QVANQVAM aquæ deſtillatæ, ſuper idonea ſubjecta iterata vice abſtractæ, particulis volatilibus *oleoſo-ſpirituoſis* aut *phlogiſto-vaporoſis, aromaticis* & *balſamicis*, vel ſubinde etiam *ſalino-acribus*, aut *acidulis tenerrimis* ſcateant, & ſua ideo virtute, ſuis viribus, præcipuas ſpecierum virtutes ac vires æmulentur, moderatæ nihilominus activitatis medicamentis, ob temperatam indolem, quam ipſis phlegma, quantitate longe prædominans, conciliat, adnumerari merentur. Interne per ſe in morbis variis, ad unum vel alterum cochlear, exhibentur, vel emulſionum, potiunculârum, collyriorum, epithematum refrigerantium compoſitioni impenduntur, & interdum

dum quoque, ſi eſſentiæ aut tincturæ ex gummoſis ſpeciebus parandæ ſint, menſtrui vices ſubeunt.

AQVÆ DESTILLATÆ SIMPLICES ET COMPOSITÆ VSITATIORES

Aqua acetoſellæ.
- *agrimoniæ.*
- *anagallidis.*
- *artemiſiæ.*
- *flor. aurantiorum.*
- *betonicæ.*
- *borraginis.*
- *bugloſſi.*
- *burſæ paſtoris.*
- *flor. acaciæ.*
- *ceraſorum nigrorum.*
- *chærefolii.*
- *chamæmeli.*
- *cichorii.*
- *chelidonii.*
- *cinnamomi.*
- *cort. citri.*
- *flor. cyani.*
- *endiviæ.*
- *flor. calcatrippæ.*
- *euphraſiæ.*
- *florum fabarum.*
- *fœniculi.*
- *fumariæ.*
- *byſſopi.*
- *lactucæ.*
- *lavendulæ.*
- *leviſtici.*
- *liliorum convallium.*
- *liliorum alborum.*

Aqua majoranæ.
- *meliſſæ.*
- *menthæ.*
- *flor. nymphææ.*
- *naſturtii.*
- *papaveris erratici.*
- *petroſelini.*
- *flor. pœoniæ.*
- *primulæ veris.*
- *pulegii.*
- *roſarum.*
- *rad. raphani.*
- *rorismarini.*
- *rutæ.*
- *ſalviæ hortenſis.*
- *ſcabioſæ.*
- *ſcordii.*
- *flor. ſambuci.*
- *flor. tiliæ.*
- *flor. violarum.*
- *antiſcorbutica off.*
- *apoplectica Langii.*
- *aſthmatica.*
- *carbunculi.*
- *cinnamomi borraginata.*
- *cordialis temperata.*
- *cornu cervi*
- *embryonum.*
- *hirundinum.*
- *contra vertignem.*

AQVA ROSARVM

AQVA hæc abſque prævia quidem maceratione foliorum, & ſalis culinaris additione, ex integris roſarum recentium foliis, ſufficienti aquæ ſimplicis quantitate ſuperfuſa, deſtillari poteſt, vulgo tamen præparatio ejus ſequenti modo adornatur: Recipiuntur aliquot libræ, vel quantum placet, foliorum roſarum rubrarum, matutino tempore ante ſolis ortum decerptarum, & cum ſale culinari debite condita, atque operculo apto, cui pondus imponitur, compreſſa, per aliquot dies, immo hebdomadem, & ultra, in cella ſubterranea, aut alio loco frigidiuſculo, macerationi committuntur, poſteaquè, moderata aquæ ſimplicis quantitate addita, veſicæ cupreæ injiciuntur, & aqua, adplicatis adplicandis, igne blando, ne empyrevma contrahat, evocatur. Alii folia recentia in mortario contuſionis beneficio prius in maſſam pultiformem redigunt, eamque, octo vel decem horas ita relictam, & paullo ante deſtillationem ſucco ex aliis roſis expreſſo, vel aqua ſimplici, largius humectatam, abſque ſale veſicæ immittunt, & aquam fragrantem more conſueto deſtillando proliciunt. Hæc antecedente fragrantior, & particulis oleoſo-ſpirituoſo-balſamicis largius impræ-

gnata deprehenditur, multo minori tamen quantitate colligitur, & facile, niſi providum ignis regimen, ad finem cumprimis vergente deſtillatione, adhibeatur, empyrevma contrahit.

AQVA roſarum potiunculis & emulſionibus analepticis nervinis atque cordialibus perſæpe excipiens præbet, multæ tamen fæminæ hyſtericæ odorem ejus perferre nequeunt. Externe epithemata frontalia, & collyria ingreditur. Reliquæ aquæ deſtillatæ ſimplices ſimili modo parantur, præterquam, quod ſpecierum contuſione, maceratione & ſalis quoque additione, præſertim, ſi illæ teneriores ſint, & volatile principium facile dimittant, rarius opus ſit. Differunt cæteroquin quoad principia activa & virtutes communes atque ſpecificas: Aliæ enim, v. g. *aqua chamæmeli*, *cinnamomi*, *cort. citri*, *hyſſopi*, *lavendulæ*, *majoranæ*, *meliſſæ*, *menthæ*, *pulegii*, *rorismarini*, *rutæ*, *ſalviæ*, *artemiſiæ*, &c., principio oleoſo-ſpirituoſo balſamico plus minusve turgidæ ſunt, & in genere, (vires enim ſpecificæ ex ſimplicium viribus ſpecificis dijudicandæ erunt,) virtutem nervinam, cephalicam, cardiacam, ſtomachalem, carminativam, uterinam, bezoardicam, & diaphoreticam poſſident: Aliæ, v. g. *aqua agrimoniæ*, *betonicæ*, *chærefolii*, *petroſelini*, *leviſtici*, *flor. acaciæ*, *ceraſorum nigrorum*, *liliorum convallium*, *violarum*, & *primulæ veris* principio balſamico teneriori pollent, & ideo cum præcedentibus, quoad virtutes generales, quæ longe tamen

remiſſiores inveniuntur, conveniunt: Aliæ, v. g. *aqua florum fabarum*, *liliorum alborum*, *ſambuci*, *tiliæ*, *herbæ ſcordii* & *fumariæ* principium phlogiſto-vaporoſum obtinent, & proinde diſcutiente, anodyna, hypnotica, & nonnullæ etiam, ut *aqua ſcordii* & *fumariæ*, bezoardica virtute ſeſe commendant: Aliæ, v. g. *aquæ acetoſellæ*, *naſturtii*, & *radicis raphani*, principio ſalino-acidulo, aut acri mobiliſſimo inſtructæ ſunt, & priores itaque, cujus cenſus eſt aqua acetoſellæ inter temperantia atque refrigerantia, poſteriores autem, quibus aqua naſturtii, & raphani adnumerari meretur, inter antiſcorbutica & diuretica militant: Aliæ denique, v. g. *aqua anagallidis flore purpureo*, *borraginis*, *bugloſſi*, *burſæ paſtoris*, *cichorii*, *florcyani*, *calcatrippæ*, *euphraſiæ*, *nymphææ*, *papaveris erratici*, *pœoniæ* & *ſcabioſæ*, vel nullum plane, vel non adeo ſingulare tamen principium in ſinu ſuo fovent, adeoque, præter vires diluentes & temperantes, vix alias, notatu dignas, poſſident. Quærunt quidem nonnulli in aqua burſæ paſtoris, papaveris erratici & pœoniæ principium quoddam leniter adſtringens, & in reliquis pene omnibus principium tenerrimum ſalino-nitroſum; at, me ſentiente, quærunt quidem, ſed non inveniunt: Subſtantia enim vegetabilium adſtringens gummoſa, ut & putatitium principium ſalino-nitroſum, integra permanente naturali ſua mixtione, evehi, & alembicum cum aqua ſimplici transſcendere nequeunt.

AQVA

AQVA ANTISCORBVTICA OFFICINARVM

REC. Recentium herbarum acetoſæ, agrimoniæ, beccabungæ, chelidonii minoris, cichorii, cochleariæ, cuſcutæ, fumariæ, trifolii aquatici, veronicæ, ana manipulos tres. Groſſiuſcule conciſis aquæ earundem propriæ, anatice receptæ, vel, quod perinde erit, aqua ſimplex, ſufficienti quantitate ſuperfundantur, & aqua deinde in balneo maris, cavendo tamen empyrevma, ad ſiccitatem uſque deſtilletur.

AQVA hæc, ob particulas ſalino-acidulas, acres volatiles, & blandas quoque balſamicas, quas ſecum ſub deſtillatione tranſtulit, virtutem aliquam diſcutientem, diureticam & antiſcorbuticam obtinet, & in morbis, qui ejusmodi remedia poſtulant, vel per ſe ad aliquod cochlearia propinatur, vel conficiendis potiunculis impenditur.

AQVA APOPLECTICA LANGII

REC. Radicum ariſtolochiæ rotundæ, calami aromatici, iridis Florentinæ, ana unciam ſemis, herbarum ivæ artheticæ, majoranæ, florum rorismarini, primulæ veris, ana manipulum unum, ſeminis fœniculi, pœoniæ, ſileris montani, ana drachmam unam, ligni

aloes

aloes drachmas duas, gummi juniperi, myrrhæ, opopanacis, ſagapeni, ana drachmam unam cum dimidia, caryophyllorum, cubebarum, nuciſtæ, ana drachmas tres, cardamomi, cinnamomi, ana drachmas duas, piperis longi drachmam unam. Contuſis aquæ betonicæ, florum tiliæ, herbæ paralyſeos, ſalviæ, ana libra una ſuperfundatur, &, præmiſſa per octiduum digeſtione frigida, deſtillatio in arenæ balneo more conſueto inſtituatur.

SCATET hæc aqua particulis oleoſo-aromaticis & balſamicis, atque, ad unam vel alteram unciam exhibita, vires non contemnendas roborantes & diſcutientes in apoplexia pituitoſa, paralyſi, aliisque nervorum morbis frigidis exſerit.

AQVA ASTHMATICA

REC. Radicum enulæ uncias duas, iridis Florentinæ, bryoniæ recentis, ana unciam unam ſemis, angelicæ, ariſtolochiæ rotundæ, ana unciam dimidiam, calami aromatici, liquiritiæ raſæ, petroſelini, ana uncias tres, herbarum calaminthæ, capillorum veneris, hyſſopi, marrubii, ſcabioſæ, tuſſilaginis, veronicæ, ana manipulum unum, ſeminis fœniculi, nigellæ, urticæ, ana unciam unam cum dimidia, florum trium cordialium, ana manipulum

lum ſemiſſem, caricarum pinguium numero ſeptem, jujubarum numero quindecim. Inciſa & contuſa infundantur in vini Rhenani libris quinque per biduum, deinde addantur aquæ aniſi cum ſpiritu vini paratæ libræ tres, aquæ hyſſopi, marrubii, ſcabioſæ, veronicæ, ana libra una cum dimidia, & deſtillatio ſecundum artem in balneo maris adornetur.

QVONIAM vinum Rhenanum & aqua aniſi, cum ſpiritu vini deſtillata, ad hujus aquæ confectionem notabili quantitate recipiuntur, illa ad ſpiritus inflammabiles aquoſiores etiam referri poterit, & reliquis paullo calidior exiſtit. Exulare poſſunt radix glycyrrhizæ, herba capillorum veneris, ſcabioſæ, tuſſilaginis, ſemen urticæ, caricæ pingues atque jujubæ, quippe quæ cum aqua tranſtillante nil ſingulare transmittere valent. Commendatur cæteroquin in aſthmate, aliisque adfectibus pulmonum, qui pituitæ acri, atoniæ ſolidorum, & inde enatis obſtructionibus originem debent. Datur ab uncia dimidia ad integram.

AQVA CARBVNCVLI OPTIMA CVM MOSCHO

REC. Herbarum betonicæ, lavendulæ, majoranæ, ſalviæ minoris, ſpicæ, ana unciam unam, florum borraginis, liliorum convallium, rorismarini, violarum, ana uncias ſex, baccarum juniperi, ſeminis pœoniæ, cardamomi,

damomi, caryophyllorum, cinnamomi, cubebarum, galangæ, granorum paradiſi, macis, nucis moſchatæ, zingiberis albi, ana drachmam unam, raſuræ cornu cervi, drachmam ſemis, moſchi ſcrupulum dimidium. Conciſis ſuperfundantur aquæ fragorum, lavendulæ, roſarum, ſpicæ ana libræ tres, vini albi Rhenani generoſi libræ quinque, ſtent ita in loco tepido per octiduum, poſteaque aqua ſpirituoſa in balneo maris deſtilletur, & aquæ evocatæ conſuetudinis gratia viginti auri folia minutim diſcerpta injiciantur. Olim ſpeciebus deſtillandis etiam margaritas, oſſa de corde cervi, & lapides percarum addebant, at hæc corpora, cum aquæ nihil virtutis communicare poſſint, & pretium tamen augeant, jure a recentioribus quibuſdam e formula exterminata fuerunt.

QVOAD vires maxima ex parte convenit cum *aqua apoplectica* LANGII, & ſubinde idcirco in apoplexia pituitoſa, adfectibus ſoporoſis, lipothymiis, maxime autem in peſte ac febribus malignis ad bubones, anthraces, aliaque exanthemata expellenda, propinatur. Datur una vice ad unum vel alterum cochlear. Externe epithemata, capiti in cephalalgia, nec minus ſcrobiculo cordis, pulſibus, ut & membris paralyticis atque gravidarum abdomini, confortandi & diſcutiendi fine, adplicanda, ingreditur.

AQVA

AQVA CINNAMOMI BORRAGINATA

REC. Cinnamomi electi libram ſemiſſem, eidemque, in pulverem craſſum redacto, adfunde aquæ roſarum rubrarum, borraginis, bugloſſi, violarum, ana libras duas, digere per triduum, ac poſtea lege artis deſtilla.

AQVA hæc temperate balſamica eſt, & locum invenit inter medicamenta cephalica & ſtomachalja roborantia, in debilitate capitis & ventriculi, nec minus in hyperemeſi, hypercatharſi, & diarrhœis, &c., exhibenda. Datur ad unum vel alterum cochlear.

AQVA CORDIALIS TEMPERATA

REC. Succi acetoſellæ, borraginis, bugloſſi, galegæ, meliſſæ, myrrhidis ſativæ, ana libram ſemiſſem, pentaphylli, pimpinellæ, ana libram unam cum dimidia, ſucci citri ſeu limoniorum libras duas, florum calendulæ recentium, cyani ana libram dimidiam, nymphææ albæ recentium uncias octo, anthos unciam ſemiſſem, lavendulæ drachmam unam, ſeminis citri recentis, unciam ſemiſſem, ocymi caryophyllati drachmas duas, corticum citri exteriorum recentium, ſantali citrini, ana unciam dimidiam, agallochi, ſeu ligni aloes odoratiſſimi drachmas duas, cinnamomi electi

uncias

uncias tres, cardamomi drachmas tres, caryophyllorum, galangæ, macis, nuciſtæ, ana drachmam unam cum dimidia, croci optimi drachmam ſemiſſem, vini Rhenani generoſi libras duas, aceti vini optimi libram dimidiam, aquæ ceraſorum nigrorum, fragorum, roſarum rubrarum, rubi idæi, ana libram unam. Digerantur omnia per octiduum in vaſe probe clauſo, ac poſtea aqua e cucurbita in mariæ, vel arenæ balneo more ſolito deſtilletur. Interdum huic aquæ aliquot moſchi & ambræ grana addunt, aſt cum multi multæque horum corporum perferre nequeant odorem, additionem eorum omittere præſtat.

ADNVMERATVR medicamentis analepticis, confortantibus & cardiacis temperatis, atque perſæpe, non abſque fructu, in lipothymiis, palpitatione & tremore cordis, vertigine, & febribus malignis, ad unum vel alterum cochlear, adſumitur.

AQVA CORNV CERVI E TENELLIS CVM VINO

REC. Cornuum cervi novellorum libras tres, radicum biſtortæ, ſcorzoneræ, diptamni albi, ana unciam unam, herbarum recentium ſcordii, cardui benedicti, galegæ, ana manipulos duos, florum quatuor cordialium ana manipulum ſemiſſem, ſeminis acetoſæ, angelicæ

licæ ana unciam dimidiam, pomorum citri numero tria, vini generoſi menſuras tres, aquæ ſcordii quantum ſufficit. Præmiſſa digeſtione aliqua, aquæ fiat deſtillatio.

MVLTA hanc formulam ingrediuntur, quæ, uti v. g. cornua cervi novella, radix biſtortæ, herba cardui benedicti, &c., parum quidem vel nihil aquæ tranſtillanti, ob principiorum ſuorum fixitatem, communicare valent; verum, cum reliqua eam particulis balſamicis atque acidulis aliquantulum imbuant, nonnunquam inter temperatiſſima alexipharmica, & cardiaca, in febribus malignis, aliisque, itemque in palpitatione cordis, &c., exhibenda, locum invenire poterit. Proſtat etiam ſimplex, abſque vino parata. Hæc ad aliquot, vinoſa autem ad unam duntaxat unciam propinatur.

AQVA EMBRYONVM SEV BALSAMVS EMBRYONVM

REC. Viſci querni, luna decreſcente collecti, radicum pœoniæ, ſeminis pœoniæ ana uncias duas, herbæ carvi, fœniculi, meliſſæ, menthæ criſpæ, rorismarini, ſalviæ cum floribus, florum lavendulæ ana uncias tres, flor. tiliæ, tunicæ ana libram unam, caryophyllorum, cinnamomi acuti, cubebarum, granorum paradiſi, nucis moſchatæ, zedoariæ, zingiberis ana uncias duas, macis unciam unam cum dimidia, galangæ drachmas ſex, croci

croci drachmas duas, medullæ panis triticei, a furno adhuc calentis, libras duas. Conſciſſis & contuſis vini generoſi Hiſpanici libræ decem, aquæ borraginis, bugloſſæ ana libræ tres, aquæ fœniculi, fragorum, roſarum, verbenæ ana libra una, aquæ liliorum convallium libræ duæ ſuperfundantur, &, præmiſſa aliquot dierum digeſtione, duæ circiter partes tertiæ liquoris adfuſi deſtillando abſtrahantur. Si reſiduo aquarum prædictarum quantitas ſufficiens de novo adfunditur, & poſtea deſtillatur, inde *aqua embryonum debilior* ſeu *ſecundæ deſtillationis* reſultat.

VISCVS quernus, medulla panis triticei, & quodammodo etiam radices pœoniæ ad ſuperflua pertinent ingredientia, dum partibus volatilibus activis carent, & fixis duntaxat principiis inſtructæ ſunt. Hæc aqua cæteroquin commendatur ſpecifice ad embryones in utero confortandos, & frequentiſſime proinde gravidis, quæ ob terrorem prægreſſum, aut cauſſam aliam, abortum metuunt, ad unum vel alterum cochlear exhibetur, & abdomini quoque illinitur: Cavendum ſaltem, ne uſu intempeſtivo aut nimio apud plethoricas & iratas major ſanguinis commotio provocetur, & abortus proinde magis promoveatur, quam avertatur.

AQVA HIRVNDINVM INTERNA

REC. Pullorum hirundinum in fruſtra diſſectorum numero viginti quatuor, viſci querni uncias tres, ſeminis pœoniæ excorticati unciam unam, radicum pœoniæ uncias duas, aquæ liliorum convallium, florum ſambuci, pœoniæ, tiliæ, ana menſuram unam. Præmiſſa per viginti quatuor horas leni digeſtione, aqua in balneo mariæ aut arenæ deſtilletur & adſervetur.

RIDICVLA ſane formula eſt: Quid ſibi enim volunt pulli hirundinum, quarum gelatina, coctione extracta, ſimul transcendere nequit? Et quid opis exſpectandum a viſco querno & radicibus pœoniæ, quæ, uti pridem dictum fuit, volatilibus quoque partibus activis deſtituuntur? Profecto, ſi aquæ, ſpeciebus recenſitis adfundendæ, ſolummodo ex tempore miſcentur, æque bonum inde medicamentum reſultat, quod ob temperatam indolem ad unum vel alterum cochlear confortandi fine exhiberi poteſt in morbis iisdem, in quibus aqua cordialis temperata proficua reperitur. Proſtat etiam in officinis *aqua hirundinum* ZWELFERI ſeu *externa*, quam, præter caſtoreum, varia adhuc aromatica ingrediuntur, quæque longe majores proinde vires roborantes & nervinas, externe ſcilicet membris debilitatis, paralyticis, &c., adplicata, poſſidet.

AQVA CONTRA VERTIGINEM

REC. Radicum calami aromatici drachmam ſemiſſem, rad. caryophyllatæ, doronici, pœo-

niæ ana unciam dimidiam, ſcorzoneræ unciam unam, foliorum betonicæ, rorismarini, ſalviæ ana manipulum unum, florum anthos, calendulæ, lavendulæ, ſpicæ, tiliæ, ana manipulum ſemiſſem, ſeminis fœniculi, nigellæ, pœoniæ, ſileris montani, cardamomi minoris, cinnamomi, ana unciam dimidiam, cubebarum, macis electæ, nucis moſchatæ ana drachmas duas. Contuſis atque conſciſſis ſuperfundantur vini Rhenani generoſi libræ duæ, aquæ ceraſorum nigrorum, liliorum convallium, flor. tiliæ ana unciæ octo, &, præmiſſa per aliquot dies maceratione, aqua more conſueto deſtilletur.

HÆC aqua particulis aromaticis & balſamicis ſatis imprægnata eſt, & ideo æque, ac *aqua apoplectica* LANGII, quam activitate ob indolem ſpirituoſiorem adhuc ſuperat, in variis capitis adfectibus, ex nervoſi generis debilitate reſultantibus, vertigine v. g., apoplexia pituitoſa, adfectibus ſoporoſis, imbecillitate viſus, debilitate memoriæ, &c., nec minus in morbis ventriculi & inteſtinorum flatulentis ad cochlear unum cum fructu propinari poteſt. Externe epithemata roborantia ingreditur.

CAPVT

CAPVT II
DE
VINIS MEDICATIS ET LIQVORIBVS MEDICIS DIFFVSIORIBVS

§. I

VINA MEDICATA ſunt vina ignobiliora *provincialia*, vel generoſiora *Hungarica*, *Gallica*, *Hiſpanica*, *Rhenana*, &c., particulis activis aromaticis, balſamicis, amaris, auſteriuſculis, acribus, ſubdulcibus, vel oleoſæ, vel reſinoſæ aut gummoſæ indolis, plus minuſve imprægnata.

§. II

DVPLICI parari poſſunt modo, *infuſione* videlicet & *confermentatione*. Si confermentatio placet, ſpecies, groſſiuſcule contuſæ & ſacculo aut nodulo incluſæ, muſto fermentationis tempore immerguntur, vel, abſque ſacculo aut nodulo, penitus miſcentur, ut principia ſolubilia ſucceſſive extracta vinum, motu fermentativo productum, ſpecifico ſapore & odore, atque ſpecificis pariter viribus imbuant. Adhibita hac methodo partes activæ ſpecierum additarum tenerrime reſolvuntur, & vini partibus arctius uniuntur. Secus accidit, quando ſola duntaxat infuſio adhibetur, & principia ſolubilia vino, ſpeciebus ſuperfuſo,

fuſo, digeſtionis vel frigidæ, vel calidæ ope, extrahuntur; etiamſi cæteroquin concedendum ſit, vina medicata, infuſione tantum parata, moleculis activis, quanquam craſſioribus, ordinario largius, quam vina medicata, confermentatione parata, imprægnata eſſe.

§. III

SPECIES, vinorum medicatorum præparationi, ſive ſola infuſio, ſive data occaſione confermentatio eligatur, impendendæ, ex triplici naturæ regno, maxime autem vegetabili, deſumuntur. Regnum minerale v. g. ſuppeditat *ſuccinum*, animale *caſtoreum*, & vegetabile denique, quod præ reliquis in hoc paſſu aptis abundat ſubjectis, radices *zedoariæ*, *angelicæ*, *imperatoriæ*, *leviſtici*, *mei*, *zingiberis*, *galangæ*, *cyperi*, *iridis Florentinæ*, *ſerpentariæ Virginianæ*, *vincetoxici*, *valerianæ*, *apii paluſtris*, *petaſitis*, *gentianæ rubræ* & *albæ*, *trifolii fibrini*, *helenii*, *diptamni albi*, *cichorii*, *parreiræ bravæ*, *pæoniæ*, *rubiæ tinctorum*, *contrayervæ*, *caryophyllatæ*, *chinæ*, *ſarſaparillæ*, *glycyrrhizæ*, *polypodii*, *tormentillæ*, *biſtortæ*, *pimpinellæ albæ*, &c., itemque herbas *meliſſæ*, *menthæ*, *baſilici*, *rorismarini*, *majoranæ*, *thymi*, *pulegii*, *polii montani* & *hortenſis*, *mari veri*, *ſaturejæ*, *eupatorii*, *hyſſopi*, *abrotani*, *artemiſiæ*, *rutæ*, *ſalviæ*, *millefolii*, *folii*, folia *lauri*, *ſabinæ*, herbas *abſinthii*, *ſcordii*, *cardui benedicti*, *trifolii fibrini*, *veronicæ*, *betonicæ*, *cochleariæ*, &c., flores *chamomillæ ſimplicis* & *Romanæ*, *anthos*, *ſpicæ*, *lavendulæ*, *ſalviæ*, *hyſſopi*, *millefolii*, *calendulæ*, ſummitat. *centaurii minoris*, *fumariæ*, herbam & flores *arnicæ*, flores *tunicæ*, *roſarum rubrarum*, *virgæ aureæ*, *pæoniæ*, *balauſtia*, &c., ligna *ſaſſafras*, *aloes*, *rhodium*, *ſantalum citrinum* & *rubrum*, *juniperi*, *lentiſci*, &c., cortices *citri*, *aurantiorum*, *caſcarillæ*, *ligni ſaſſafras*, *cinnamomum acutum*, *caſſiam ligneam* & *caryophyllatam*, *canellam albam*, cortices *granatorum*, *chinæ chinæ*, &c., ſemina *carvi*, *cumini*, *anethi*, *coriandri*, *fœniculi*, *aniſi vulgaris*, *petroſelini*, *apii*, *rutæ*, *dauci Cretici*, *nigellæ Romanæ*, *ammios*, *cochleariæ*, *naſturtii*, ſemen *ſantonicum*, *aniſum ſtellatum*, *grana chermes*, *crocum*, baccas *juniperi* & *lauri*, *nucem moſchatam*, *macerem*, *cardamomum majus* & *minus*, *caryophyllos aromaticos*, *grana paradiſi*, *piper rotundum album* & *nigrum*, *piper longum*, *cubebas*, *myrrham*, *galbanum*, *ſagapenum*, &c., *terram Japonicam*, & ex purgantium claſſe, radices *ipecacoanhæ*, *jalappæ*, *mechoacannæ albæ*, *rhabarbari*, *ellebori nigri*, *folia Sennæ*, *aloen Soccotrinam*, *mannam Calabrinam*, *pulpam tamarindorum*, & ſic porro.

§. IV

QVANQVAM memoratorum nonnulla, uti hoc ex materia medica ſtricte ſic dicta exactius cognoſcendum, principio mere gummoſo, nonnulla mere reſinoſo, & alia denique gummeo-reſinoſo, aut reſinoſo-oleoſo æthereo inſtructa ſint, vina nihilominus adæquatum ſingulorum menſtruum conſtituunt: Cum vinum enim quodcunque præter partes gummeo-tartareas, reſinoſo-oleoſo-unguinoſas, dulces, ſubdulces, acidulo- vel auſteriuſculo-dulces, & copioſas aqueas, notabilem quoque ſpiritus inflammabilis portionem contineat, gummoſis æque ac reſinoſo-oleoſis ſubſtantiis ſolvendis & extrahendis aptum exiſtit, & ideo majoribus perſæpe viribus medicis, quam ipſi ſpiritus inflammabiles rectificatiſſimi, qui, intacta ſubſtantia gummea, reſinoſo-oleoſam duntaxat ſolvunt, imbui poteſt, præſertim ſi digeſtio calida protractior in auxilium vocetur. Peracta digeſtione vinum a ſpeciebus leniter decantatur, & in quiete aliquandiu relinquitur, ut ſucceſſiva fecum ſubſidentia purius evadat, vel etiam, citioris depurationis cauſſa, eidem ſolutionis ichtiocollæ, aut albuminis ovorum aqua diluti, aut ſibi relicti pauxillum immittitur, ut partes impuræ, adjuvante agitatione, partibus mucilagineis adhæreſcant & implicentur,

centur, adeoque cum iis poſtea fundum petant.

§. V

VIRES cujuscunque vini medicati, ob calidam menſtrui indolem, in genere ſunt calefacientes, commoventes, diſcutientes, ac roborantes; quod ſpecificas cephalicas autem, pectorales, ſtomachales, carminativas, aperitivas, uterinas, antifebriles, diureticas, purgantes, &c., attinet, illæ pro differenti ingredientium natura, nec minus pro differentibus principiis activis & virtutibus ſpecificis, quæ ſingula medicus ſibi ex rationali materia medica ſimplicium probe cognita reddere debet atque perſpecta, determinandæ erunt.

§. VI

VINIS medicatis hoc loco jungendi ſunt LIQVORES quidam MEDICATI DIFFVSIORES, qui in praxi medica, licet ob cauſſas prægnantes in officinis haud proſtent præparati, ſed ante uſum demum præparandi ſint, uſum invenerunt ampliſſimum atque frequentiſſimum. Spectant ad illos *decoctum hordeaceum* & *avenaceum* LOWERI, *ſerum lactis dulce* & *acidulum*, & *aqua calcis vivæ*. Differunt hi liquores, ſi decoctum hordeaceum & avenaceum exceperis, ab invicem, quoad præparationem, principia activa & vi-

res, & ideo etiam generali ſcrutinio commode ſubmitti nequeunt, ſed unusquisque in ſequentibus ſeorſim pertractandus erit.

VINA QVÆDAM MEDICATA SELECTIORA ET LIQVORES MEDICATI DIFFVSIORES

Vinum roborans.
- antifebrile.
Serum lactis dulce.
- - acidulum.
Decoctum hordeaceum compoſitum.
- avenaceum Loweri.
Aqua calcis vivæ.

VINVM MEDICATVM ROBORANS

REC. Radicum angelicæ, galangæ ana unciam unam, radic. ſerpentariæ Virginianæ, pœoniæ ana unciam dimidiam, herbæ millefolii, meliſſæ ana manipulum unum, florum ſalviæ, anthos, chamomillæ Romanæ ana pugillos duos, ligni aloes, ſantali citrini ana unciam unam, cort. aurantiorum, caſcarillæ ana unciam dimidiam, ſeminis nigellæ Romanæ, cinnamomi acuti, granorum chermes ana drachmas duas, croci orientalis drachmam ſemiſſem. Conſciſſis atque groſſiuſcule contuſis adfundatur vini Rhenani generoſioris menſura una cum dimidia, digerantur leni calore per octiduum, poſteaque vinum decantatum ac depuratum ſervetur ad uſum.

EST

EST remedium calefaciens, nervinum, atque cephalicum, quod, ab uncia una ad uncias duas exhibitum, in variis morbis, a ſolidorum laxitate, & mucoſa humorum inertia primario oriundis, v. g. in adfectibus ſoporoſis, apoplexia pituitoſa, paralyſi, epilepſia cacochymica, cachexia, &c., vires non contemnendas exſerit.

VINVM MEDICATVM STOMACHALE ET ANTIFEBRILE

REC. Radicum gentianæ rubræ, trifolii fibrini, leviſtici ana unciam unam, herbarum abſinthii, ſcordii, meliſſæ ana manipulum unum, ſummitatum centaurii minoris, florum millefolii, fol. lauri ana pugillos tres, corticum citri exteriorum, caſſiæ caryophyllatæ, aniſi ſtellati, ana drachmas duas, baccarum juniperi unciam dimidiam, maceris, cardamomi minoris ana drachmam unam, rhabarbari orientalis unciam unam. Conſciſſis atque contuſis adfundatur vini Rhenani menſura una cum dimidia, & infuſi præparatio prædicto modo peragatur.

INFVSVM hoc ventriculum atque viſcera reliqua roborat, humores purificat, & urinam atque ſudorem pellit, adeoque etiam ab uncia una ad duas cum fructu propinatur in debilitate ventriculi laxi & cruditatibus mucidis onuſti, nec minus in febribus intermittentibus, præſertim quartana, adfectibus flatulentis, diarrhœa, lien-

lienteria, obſtructionibus viſcerum chronicis, aſthmate pituitoſo, adfectibus ſcabioſis, cachexia, œdemate pedum, ulceribus partium externarum impuris, ac morbis ſimilibus.

SERVM LACTIS DVLCE

REC. Lactis vaccini aut caprilli recentis libras quatuor, infunde eas ollæ vitreatæ capaci, vel vaſi ſtanneo, &, ſubjectis carbonibus candentibus, blanda ac paullatina exhalatione ſeu evaporatione ad ſiccitatem redige, adeo, ut nil, niſi maſſa quædam pulverulenta, flaveſcens, grumoſa, remaneat. Hanc maſſam grumoſam iterum in aquæ pluvialis aut puræ fontanæ libris quatuor, lenioris ebullitionis ſeu coctionis beneficio, diſſolve, liquorem cola, & ſerum, colatu trajectum, relicto in linteo magmate ſpiſſiori caſeoſo, ad uſum ſerva.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM SERI LACTIS DVLCIS

I. LAC animantium eſt blandus, dulcis, atque temperatus liquor oleoſo-aqueus, ex *oleo unguinoſo mitiſſimo*, *ſale acidulo*, *terra tenerióri*, & *multa aqua* compoſitus; quemadmodum hæc non tantum emulſionum ex aqua & fructibus atque ſeminibus dulcibus, aut ſubdulcibus oleoſis compoſitio,

poſitio, verum etiam, & quidem multo adhuc luculentius, ipſius lactis, blanda ſuperveniente fermentatione, in principia reſolutio, confirmat. Quamprimum enim laudata fermentatio, absque ſenſibili motu contingens, in loco tepido incipit, partes dulces ac temperatæ oleoſæ ad ſuperficiem adſurgunt, & cremorem pinguem ſua formant aggregatione, partes terreo-ſalino-mucidæ craſſiores in caſeoſum coeunt coagulum, & aqueæ denique cum ſalinis acidulis tenerioribus ac paucis oleoſis ſerum acidulum conſtituunt.

II. Quantitas atque proportio phlegmatis & ſubſtantiæ ſolidæ terreo-ſalino-oleoſæ in diverſorum animantium lacte variant. Obſervante enim B. HOFFMANNO, [a] una *lactis vaccini*, evaporatione ad ſiccitatem redacti, libra medica materiæ ſiccæ, grumoſæ, flaveſcentis unciam unam & drachmas quinque; æqualis quantitas *lactis caprilli* unciam unam & drachmas quatuor cum dimidia; & æqualis denique quantitas *lactis aſinini*, & *muliebris* unciam duntaxat unam materiæ ſiccæ, ac ſolidæ, quæ ex lacte muliebri flaveſcentis, ex aſinino autem albi coloris & ſubdulcis ſaporis erat, ſuppeditavit: Vnde ſatis clare conſtat, in una libra medica *lactis aſinini*, ut & *muliebris*, quod in hoc paſſu cum priori valde convenit, uncias undecim *aquæ*, & unicam tantummodo unciam *materiæ ſolidæ*, in *lactis vaccini* libra uncias decem cum drachmis tribus *aquæ*, & unciam unam & drach-

a) Vid. EJVSD. Diſſ. de ſaluberrima ſeri lactis virtute p. 249.

drachmas quinque *materiæ ſolidæ*, atque in *caprilli* denique *lactis* libra uncias decem, & drachmas tres cum dimidia *aquæ*, & unciam unam atque drachmas quatuor cum dimidia *materiæ ſolidæ* adeſſe: Immo, exinde pateſcit, lac muliebre & aſininum fluiditate, ob minorem ſcilicet ſubſtantiæ ſolidæ præſentiam, lac vaccinum & caprillum ſuperare.

III. Laudatum magma ſolidum ac ſiccum, poſt omnimodam lactis evaporationem relictum, ac poſtea in aqua pura lenioris coctionis ope denuo ſolutum, non tranſit totum per colatorium, ſed major vel minor portio in linteo remanet. Ex uncia una v. g. & drachmis quinque hujus materiæ grumoſæ, quam evaporata lactis vaccini libra una medica ſuggerit, uncia una & drachmæ tres cum dimidia *ſubſtantiæ craſſioris caſeoſæ* in linteo relinquuntur, & unica tantum drachma cum ſemiſſe ſolvitur, atque, teſte vix laudato HOFFMANNO, *a* per linteum in aquæ contubernium tranſit. Cum lacte vaccino perfecte in hoc paſſu convenit lac caprillum, præterquam, quod in ſero, inde deſcripta methodo parato, major ſaporis dulcedo deprehendatur. Aliter comparatum eſt cum lacte aſinino & muliebri: Vncia enim una magmatis, ex aſinini lactis libra medica poſt evaporationem relicti, tota propemodum in aqua ebulliente ſolvitur iterum, adeo, ut in colatorio una tantum & dimidia drachma remaneat, atque reliquæ drachmæ ſex cum dimidia ſimul cum

a) L. c. p. 250.

cum aqua per linteum tranſeant; & uncia una & drachma una ſubſtantiæ ſolidæ ac ſiccæ, ex lactis muliebris libra remanentis, ac denuo in aqua ebulliente ſolutæ, quoad maximam quoque partem ſimul cum aqua per linteum trajicitur, & tres duntaxat drachmæ materiæ caſeoſæ in colatorio remanent. E quibus colligere licet, ſerum lactis aſinini & muliebris dulce longe majorem ſubſtantiæ ſolidæ ſolubilis & activæ quantitatem in ſinu ſuo fovere, quam ſerum dulce lactis vaccini & caprilli, ſub eadem mole conſideratum.

IV. HOMBERGIVS lac diverſum deſtillationi ſubjecit, & obſervavit, liquorem aqueum & aqueo-acidum, e lacte vaccino & caprillo prodeuntem, odorem, placentæ recentis paullulum uſtulatæ odori fere ſimilem, adeoque non ingratum, ſpirare, ex aſinino vero lacte prolicitum, ingratiorem eſſe, & rancidas pinguedines & vetuſta unguenta redolere. Obſervavit quoque, quantitatem partis oleoſo-butyraceæ ad quantitatem partis caſeoſæ ſeſe in lacte aſinino ut 1. ad 4., in lacte caprillo, ut 1. ad 1., & in lacte vaccino ut 1. ad 1. & $\frac{1}{3}$ habere. *a*

V. Olla ſub ſeri lactis præparatione vix ad partem dimidiam replenda eſt lacte: Valde enim id ipſum, præſertim jam ſpiſſiuſculum redditum, ſpumeſcere, ac facile ideo, admoto cumprimis igne paullo fortiori, ollæ marginem transſcendere ſolet. Inter evaporandum quoque conſtanter ſpatula,

a) Vid. Memoir. de l'Acad. des ſciences A. 1712. P. 355.

ſpatula, vel alio inſtrumento agitandum eſt, ne empyrevma, quod alias facile ſupervenire conſuevit, contrahat, & parietibus ac fundo hinc inde adhæreſcat.

VI. Phlegma copioſum in hoc ſero lactis modica quantitate ſubſtantiæ terreo unguinoſo ſalinæ ſolubilis, ſeu, uno verbo, ſacharinæ tenerioris, imprægnatum eſt. Phlegma humores ſpiſſos ac mucidos in corpore humano diluit, ſalia imbibit ac ſecum per varia filtra educit, adeoque ſanguini ac lymphæ, ſi ad tempus ac paullo copioſius hauriatur, fluiditatem cum decenti temperie reddit, & varias viſcerum obſtructiones reſerat. Altera deinde pars conſtitutiva, tenerrimum videlicet, pingue, atque ſacharinum principium terreo-unguinoſo-ſalinum blande incidit, reſolvit, abſtergit, ſtimulat, adeoque etiam egregiam virtutem aperitivam, diureticam & laxantem exſerit, quid? quod, ob unguinoſæ dulcis ac temperatiſſimæ ſubſtantiæ conſortium, acrimoniam, præſertim bilioſam, temperat, & humores quoſcunque ſucceſſive edulcorat. Quibus ſuppoſitis, in propatulo eſt, hoc ſerum lactis dulce egregium præbere remedium, & inſigne ſpondere auxilium in febribus ardentibus, inflammatoriis, lentis & hecticis, nec minus in eryſipelate, adfectibus arthriticis & rhevmaticis calidis, ſcorbuto, malo hypochondriaco & hyſterico, mania, melancholia, tuſſi ſalſa & acri, initio dyſenteriæ, hypercatharſi, a purgantibus fortioribus inducta, venenis mineralibus ac vegetabilibus cauſticis, ictero acuto, teneſmo ani, nephritide pituitoſo-

ſabuloſa, phlogoſibus, gutta roſacea, ſcabie ſicca, & compluribus hujus commatis ægritudinum ſpeciebus; quemadmodum plura de hiſce in ſupra citata *Diſſertatione* HOFFMANNI videri poſſunt.

VII. Virtutes ſeri lactis dulcis exaltari, & magis ſpecificæ reddi poſſunt, quando illud ſub hujus vel illius morbi curatione ſpeciebus adpropriatis, v. g. plantis diureticis, lithontripticis, aperitivis, acribus antiſcorbuticis, &c., vel etiam, laxandi fine, mannæ Calabrinæ, pulpæ tamarindorum, &c., menſtrui loco ſuperfunditur, & infuſum inde paratum, ac debite reiterata vel ſaltem unica percolatione depuratum, ægris ad tempus propinatur.

VIII. Pro morborum diverſa indole, diverſisque eorum cauſſis, ſerum lactis dulce modo majori, modo minori quantitate una vice adſumitur, uſusque nunc magis quidem minusve protrahitur; frequentius tamen quotidie, tempore matutino plerumque, ad unam libram medicam hauritur, & uſus per aliquot dies aut hebdomades, immo, ſi mucida & acris humorum impuritas copioſior exiſtat, per integrum ſæpe menſem, & ultra, continuatur.

SERVM LACTIS ACIDVLVM

HOC facili negotio præparatur, quando lacti recenti tepefacto ſuccus citri, limoniorum, acetum vini purum, aut ſolutio pulpæ tamarindorum, cum vino Rhenano facta, inſtillatur, vel pulveriſati cryſtalli aut cremor

tartari, aut moleculæ pulpæ tamarindorum immittuntur, tanta quidem quantitate, ut omne lac promptum ſubeat coagulum, & pars butyraceo-caſeoſa craſſior a ſero ſegregetur. Peracta memorata ſeparatione, ſerum per linteum trajicitur reiterata vice, ut, penitus a ſubſtantia terreo-mucida caſeoſa craſſiori liberatum, purius evadat, ac nil, niſi principium unguinoſo-ſalinum tenerius, & partes acidulas præcipitantis retineat. Hoc ſerum ſapore pollet ſubdulci & acidulo, minui tamen, immo maxima ex parte aufferri poteſt aciditas, ſi eidem pulvis lapidum cancrorum, qui acidum denuo abſorbet, ſufficienti quantitate inſpergatur.

MINORI, quam præcedens ſerum lactis dulce, virtute demulcente ſerum lactis acidulum pollet, ſuperat tamen illud virtute temperante atque refrigerante, & ideo etiam in ebullitione bilis & ſanguinis, nec minus in febribus ardentibus, inflammatoriis, biliosis, eryſipelate, mania, gutta roſacea, ſcorbuto, ceterisque morbis, qui primario a calida ac bilioſa, vel etiam ſemiputrida humorum dyſcraſia dependent, cum fructu majori adhibetur. Cavendum ſaltem, ne eo abutamur in febribus lentis & hecticis, quoniam apud ægros, morbis hiſce laborantes, facile ob acorem faucium aſperitatem & raucedinem producit, vel jam præſentem, & propter tuſſim & materiæ acris ejectionem

nem fere continuam, difficillime iterum curabilem, notabiliter auget. Cæteroquin matutino æque ac pomeridiano tempore hauritur.

DECOCTVM HORDEACEVM COMPOSITVM

REC. Radic. ſcorzoneræ, graminis arvenſis ana unciam unam, raſuræ cornu cervi, paſſularum minorum ana uncias duas, cort. citra drachmas duas, hordei mundi manipulos quinque, aquæ ſimplicis fontanæ menſuras duas cum dimidia. Coquantur, donec grana hordeacea dehiſcant; quo viſo, olla removeatur ab igne, & decoctum poſt aliquam refrigerationem percoletur.

LARGIVS hoc decoctum particulis mucilagineis tenerioribus hordei, ſcorzoneræ, & radicis graminis, nec minus gelatinoſis cornu cervi imprægnatum eſt, & egregium proinde potulentum temperans, demulcens ac diluens ſuppeditat, quod non absque emolumento inſigni, ad demulcendas partes eroſas, contemperandam acrimoniam quamcunque, & humores diluendos, atque edulcorandos, in omnibus febribus continuis, inflammationibus, adfectibus hecticis, ſcabioſis, ſcorbuticis, arthriticis, rhevmaticis, dyſenteria, nephritide, tuſſi acri, & ſic porro, adhibetur. Frigidiuſculum vel tepidum loco potus ordinarii, adeoque tempore quocunque, hauritur. Si paſſularum omiſſa fuerit additio, mixtis ſalſis & oleoſis conſuetis, interdum etiam clyſteris munere perfungi poteſt.

DECOCTVM AVENACEVM LOWERI

REC. Avenæ, albæ, ſativæ manipulos duodecim, radicis cichorii recentioris unciam unam, ligni ſantali rubri raſpati, uncias duas cum dimidia, nitri antimoniati unciam dimidiam, aquæ fontanæ menſuras duodecim. Coquantur ad dimidiæ partis remanentiam, & decoctum, aliquoties per linteum colatu trajectum, atque ſacharo Canarienſi ſufficienter dulcificatum, in cella ſubterranea, vaſe vitreo, aut terreo vitreato probe tecto, ad uſum reponatur.

HOC decoctum, quod frequentiſſime etiam *Ptiſana avenacea* vocatur, humores ſpiſſos ac mucidos diluit, æſtum ſanguinis præternaturalem & acrimoniam quamcunque temperat, viſcerum, aliarumque partium obſtructiones reſerat, & ſalia ſuperflua, ceterasque materias impuras & heterogeneas ſecum per varia filtra, maxime autem per vias urinarias, e corpore educit. LOWERVS illud ipſum in omnibus propemodum morbis, tanquam ſingulare, & uſu repetito ſatis comprobatum, commendat remedium; quemadmodum id fuſius ex ejusdem *Bromographia* videre licet. Pro mea ſententia hoc decoctum, ad tempus loco potus ordinarii, adeoque quantitate largiori, hauſtum, inſigne cumprimis auxilium præſtat in febribus biliosis, inflammatoriis, lentis, hecticis,

ticis, exanthematicis, eryſipelate, angina, peripneumonia, nephritide, mania, melancholia, dolore capitis diuturniori, odontalgia & otalgia rheumatica, ophtalmia, palpitatione cordis, aſthmate ſanguineo · ſpasmodico, hæmoptyſi, cholera, dyſenteria, diarrhœa biliosa, colica hæmorrhoidiali, calculo, obſtructione menſium & hæmorrhoidum, ardore urinæ, incipiente hydrope, ſcorbuto, adfectibus ſcabioſis, arthriticis & rheumaticis, nec minus in exorbitantibus hæmorrhagiis, ſpaſmis, convulſionibus, & morbis ſimilibus, qui temperantia, diluentia, & edulcorantia medicamina poſtulant.

AQVA CALCIS VIVÆ

RECIPIATVR libra una calcis vivæ, eidemque libræ ſex aquæ pluvialis, aut fontanæ puriſſimæ adfundantur. Ceſſante ebullitione, infuſum, per XXIV. horas in digeſtione frigida relictum, percoletur, & ad uſum reponatur. Reſiduo prædicta aquæ quantitas ſecunda quidem vice adfundi poteſt, aſt infuſum inde obtinetur, paucis principiis ac longe minoribus viribus inſtructum, & ſi tertia vice id fiat, infuſum viribus plane deſtituitur.

NOTANDA CIRCA NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM AQVÆ CALCIS VIVÆ

I. LAPIDES calcarii, e quibus calx viva fortissima exustione seu calcinatione paratur, constant ex *multa terra*, *pauca substantia unguinosa*, & *pauciſſimo acido minerali vitriolicæ prosapiæ*. Partes memoratæ sub violenta exustione plus minusve mutantur ac transformantur: Terra redditur porosior atque solubilior, substantia unguinosa ex parte evadit tenerior, & sal acidum, interveniente arctissimo ejusdem cum terra subtiliori solubili & pauca substantia unguinosa connubio, partim in sal fixum alcalicum, valde tamen terreum, partim in volatile sulphureo-urinosum degenerat, ut ideo calx viva ex *terra crassiori antacida*, *crassiori pariter materia pingui glutinosa remixta*, nec minus ex *substantia terreo-salino-alcalica* & *sulphureo-salino-urinosa* constare recte dicatur. *a*

II. Principium volatile sulphureo-urinosum, quod admiratione omnino dignum est, solo igne sicco a terra & crassiori substantia unguinosa separari & expelli nequit, sed aer humidiusculus, & ipsa aqua desiderantur. Sub extinctione enim, sive ea in aere, sive aqua contingat, vapores acres,

a) Plura de hisce vid. in Diss. mea de Vsu aquæ calcis vivæ interno.

acres, mordentes adsurgunt, & tales quoque, quanquam minori comparative quantitate, ex parietibus recenter dealbatis exhalando in aerem prodeunt.

III. Aqua calcis vivæ, si adhuc recens sit, particulis *sulphureo-urinosis*, *terreo-salino-alcalicis fixis*, & maxime *terreis tenerioribus* referta est. Terra quodammodo convenit, præsertim in consortium receptis particulis terreo-salino-alcalicis, cum decantatissima *Magnesia alba*, præterquam, quod paullo rudior sit, & salsa substantia, quæ magnesiæ exigua quantitate admixta reperitur, destituta.

IV. Recenter parata hæc aqua longe potentior est diutius jam, præsertim in vasis apertis, adservata. Partes enim sulphureo-salinæ, quibus præcipua virtus in acceptis ferenda, in auras successive abeunt, quemadmodum hoc ex imminuta acrimonia & imminuta pariter virtute, sulphura solvendi, satis clare cognoscimus; unde constat, aquam hanc coctione, præprimis diuturniori, parari non posse, multo minus evaporationis beneficio majorem ipsi activitatem conciliari, sed utroque potius modo, ob principii primarii jacturam, inertem plane ac fatuam evadere, adeo, ut nil amplius, præter terram alcalinam, in poris foveat reconditum.

V. Quondam hæc aqua inter externa duntaxat medicamenta militabat, postea autem a WILLISIO, MORTONO, HOFFMANNO, BVRLETO, aliisque, præsertim inter medicos Batavos, interne quoque commendata fuit, ac sæpius adhibita.

Morbi, quibus egregie mederi creditur, me sentiente in duas classes redigendi erunt; quarum prior cachexiam, asthma pituitosum, phtisin, obstructiones viscerum chronicas, hydropem humidum, leucophlegmatiam, febrem quartanam, scorbutum, tumores strumosos, aliosque frigidos; posterior autem hæmorrhagias, vulnera, ulcera, dysenteriam, fluorem album, & stranguriam comprehendet. Morbi primæ classis laxitatem & atoniam partium nervoso-membranacearum, & præter hanc vel acido-tartaream ac mucidam, vel salsam atque acrem humorum dyscrasiam causas agnoscunt præcipuas. Quare, cum infusum calcis vivæ non tantum mediante terra tenerrima acidum præternaturale destruere, ac solida laxa siccando leniter adstringere, verum etiam principio alcalico, præsertim volatili sulphureo-urinoso, blando stimulare, fluida spissa resolvere, & leni, quam præstat, diuresi ac diaphoresi impuritates educere valeat, in propatulo esse opinor, usum ejus internum, eumque cautum ac moderatum, in morbis prædictis utique admittendum esse. In morbis autem alterius classis cautius cum usu hujus aquæ interno mercandum, & plures cautelæ a practico rationali circa eum observandæ erunt. Nam hæmorrhagiæ exorbitantes non semper tuto tubulorum ad- & constrictione sistuntur, & in dysenteria atque fluore albo adstringentia nullum locum inveniunt, nisi in hoc saburra viscida, in illa vero simul procurata febris & status intestinorum inflammatorii mitigatione, quinimo plenaria ablatione, impu-

impuritates causticæ prius eductæ fuerint. In stranguria autem temperandi, ut & in ulceribus siccandi fine facilius admittere possum.

VI. Vsus hujus aquæ semper evadet securior, & virtus medica exaltabitur, quando eidem, in morbis primæ & secundæ classis exhibendæ, præter varias tincturas, etiam liquida diffusiora, v. g. infusa & decocta, ex plantis, aliisque speciebus, cuivis morbo adpropriatis, parata, adduntur. In Batavia, referente BVRLETO, [a] aquam hanc, in cachexia, chlorosi, obstructione viscerum, hydrope, & scorbuto propinandam, cum tinctura antimonii aut metallorum combinare consueverunt, ea quidem proportione, ut mensura una aquæ memoratæ duas vel tres tincturæ uncias recipiat. Hujus mixturæ unciæ sex quotidie in scorbuto & hydrope hauriendæ sunt. Excellentius quoque, secundum BVRLETI testimonium, hoc medicamentum evadit in pallore cachectico, quando mixtura ex unciis quatuor aquæ calcis vivæ, totidemque unciis tincturæ metallorum, aloes pulverisatæ uncia una, & croci martis drachmis duabus componitur, & infusum, peracta quadraginta dierum digestione, a fecibus decantatum, ægris successive propinatur. Sin huic quoque jalappæ drachmæ tres addantur, melius hydropicis mederi dicitur. Dosis quotidiana mixturæ ad bina cochlearia adscendit, & cum jusculo quodam adsumitur. Febres contumaces quartanas pariter

T 5 certius

a) Vid. Memoir. de l'Acad. Royale des sciences A. 1700. p. 157.
v. Cohausen-Hiera Chym. p. 667-699.

certius fugare traditur aqua calcis vivæ, quando eidem, & tincturæ metallorum modica quantitas tincturæ corticis Peruviani miscetur. In Gallia aquam hanc plerumque cum lacte vaccino aut asinino miscent, & in asthmate eidem pectoralia addere, atque infusum sequenti modo parare consueverunt. Rec. Aquæ calcis vivæ mens. IV, ligni sassafras, rad. glycyrrhizæ, sem. anisi ana uncias IV, passularum minorum libram dimidiam. Infundantur hæc more consueto, & deinde quinque vel sex unciæ hujus infusi bis quotidie ægro exhibeantur.

VII. Teste sæpius laudato BVRLETO, magis hæc aqua, præsertim tincturis calidioribus, v. g. tinctura antimonii, metallorum, &c., remixta, conducit Batavis, ceterisque gentibus septentrionalibus, aere humido, crasso, & simili victu utentibus, adeoque fibris laxioribus, & humoribus spissiusculis præditis, quam Galliæ incolis ac gentibus vicinis, quæ aerem siccíorem atque calidiorem hauriunt, & alimentis tenerioribus nutriuntur. Memoratus proinde auctor tincturæ metallorum additionem in regionibus calidioribus plane omittere, & aquam calcis dilutiorem reddere ac dosi minori propinare jubet. Quum aqua hæc, præsertim sub usu diuturniori, adpetitum etiam dejiciat, alvum adstringat, & ægros paullulum macilentos reddat, vini generosi haustum frequentius interponere, & apud macilentos aut alvi obstructione atque siccitate laborantes ab usu ejus penitus abstinere jubet. Et hoc monitum quoque observandum erit, quoties morbi ex nimia

mia solidorum siccitate atque strictura suam originem ducunt.

VIII. Externe aqua calcis vivæ vel temperandi fine ad ambusta, vel eluendi, abstergendi, & siccandi fine ad ulcera impura, exedentia, ichorosa, venerea, aliaque adhibetur, & persæpe pariter epithemata, partibus gangræna correptis adplicanda, ingreditur.

* * * * * * * * * * * * * *

SECTIO V

DE TINCTVRIS, ESSENTIIS ELIXIRIIS ET BALSAMIS LIQVIDIS

CAPVT I

DE ESSENTIIS, TINCTVRIS ET ELIXIRIIS

§. I

VOCABVLA *Essentia*, *Tinctura*, *Elixirium*, a pharmaciæ atque chemiæ gnaris promiscue adhibentur, quoties extracta perfecte liquida, infusione atque digestione parata, designare, iisdemque nomina imponere volunt. Nulla singularis enim, quoad formam externam, indolem, principia,

pia, & præparandi modum, haſce medicaminum ſpecies genericas differentia intercedit, præterquam, quod tincturæ plerumque colore grato & eminenti flaveſcente, aureo, rubro, &c., eſſentiæ & elixiria autem colore obſcuriori ac minus eleganti, nigricante, brunno, obſcure viridi, &c., gaudeant.

§. II

RESPECTV menſtrui hæc pharmaca, ſive tincturæ audiant, ſive eſſentiæ & elixiria, ſunt vel *mere ſpirituoſa*, vel *vinoſa*, adeoque *aqueo-ſpirituoſa*, vel *mere aquoſa*. Ad præparanda enim priora ſpiritus vini plus minuſve rectificatus, aut alius inflammabilis, ad poſteriora vero vel vinum bonæ notæ, vel aqua ſimplex aut quædam deſtillata, nunc ſola, nunc ſale quodam acidulo, medio, aut alcalico fixo acuata, requiruntur.

§. III

DIFFERVNT quoque quoad principia in menſtruo ſoluta: Aliæ enim eſſentiæ atque tincturæ *ſubſtantiam mere gummoſam*, aliæ *mere reſinoſam*, aliæ *reſinoſo-gummeam*, aut *gummeo-oleoſo-reſinoſam*, aliæ *bituminoſam* aut *ſulphuream*, & aliæ denique *metallicam tenerrime reſolutam*, in poris ſuis gerunt reconditam. Maxime tamen hæc ipſa intelligenda erunt de tincturis & eſſentiis *ſimplicibus*, quarum præparationi unicum duntaxat concretum animale, vegetabile, aut minerale impenditur: Quod *compoſitas* enim attinet, illæ frequentiſſime, cum mixtæ plures ſpecies, ex triplici regno nonnunquam deſumtæ, una extrahantur, principium activum *gummoſum*, *reſinoſum*, *oleoſum* & *ſulphureum*, imo *bituminoſum* & *metallicum* ſimul continent.

§. IV

CONCRETA, e quibus eſſentiæ atque tincturæ uſitatiores extractione parantur, vel *mineralia* ſunt, vel *animalia*, vel *vegetabilia*. Mineralia intuitu principii ſolvendi vel *bituminoſa* exiſtunt, ut ſuccinum & ambra, vel *ſulphurea*, ut ſulphur commune, antimonium, &c., vel *metallica*, ut aurum, argentum, cuprum, ferrum, atque ſtannum, vel *terreo-ſulphureo-metallica*, ut corallia rubra, &c. Animalia principio pollent *unguinoſo-oleoſo-balſamico*, ut caſtoreum, & vegetabilia denique, variæ nimirum radices, herbæ, flores, ſemina, fructus, reſinæ, balſami ſpiſſiuſculi, cortices, ligna, &c., quorum recenſionem ſpecialem brevitatis cauſſa prætermittam ſilentio, vel *mere gummoſo*, vel *mere reſinoſo*, vel *gummeo-reſinoſo*, aut *gummeo-reſinoſo-oleoſo* principio inſtructa ſunt.

§. V

§. V

PRIMARIO horum medicaminum præparatio *extractione* absolvitur atque *solutione*, eaque nunc *radicali*, nunc vero, & longe quidem frequentius, saltem *superficiaria*. Solutio superficiaria seu solutio aggregati est, quando hoc vel illud corpus menstruo congruo in partes tenerrimas similares, quæ naturam atque vires aggregati retinent, dissolvitur: Radicalis autem sive solutio mixti dicitur, quando corpus, destructa pristina mixtione naturali, in partes dissimilares, natura ac viribus distinctas, seu, uno verbo, in elementa dissolvitur.

§. VI

MENSTRVVM seu solves adæquatum substantiæ unguinoso-oleosæ animalis, itemque resinosæ, oleosæ, atque bituminosæ vegetabilis & mineralis *spiritus vini*, ac *reliqui inflammabiles dephlegmatissimi* constituunt; ad solvendam vero subſtantiam gummosam *aqua* quædam *destillata*, aut saltem *simplex fontana*, *pluvialis*, *fluviatilis*, & ad gummeo-resinosam *vinum* bonæ notæ, aut *spiritus vini* paullulum adhuc *phlegmaticus* requiruntur. Quod sulphurea autem & metallica concreta attinet, illa menstruo spirituoso inflammabili obtemperare renuunt, nisi eorum compages ante

ante digestionem & extractionem alio pridem modo, *liquefactione* v. g., aut *fusione* cum salibus alcalicis, vel *corrosione* per salia acida, &c., recluſa fuerit; quemadmodum hæc clarius ex speciali cujuscunque essentiæ aut tincturæ præparatione, in sequentibus tradenda, cognoscere licebit.

§. VII

VT SOLVTIO atque extractio substantiæ gummosæ, resinosæ, aut gummeo-resinosæ promptius succedat atque perfectius, non tantum aquæ, sive sit simplex, sive adpropriata quædam destillata, sed vino etiam & alcoholi corpora salina alcalia, neutra, & acidula, v. g. *sal tartari*, *nitrum fixum*, *cineres clavellati*, *tartarus solubilis*, *terra foliata tartari*, *cremor* & *crystalli tartari*, &c., adduntur, vel species contusæ ante menstrui adfusionem *oleo tartari per deliquium*, *alcahest Glauberi*, *liquore terræ foliatæ tartari* irrorantur, immo in mortario, si textura permittat, probe cum iisdem teruntur, ut ideo menstruum, postea superfundendum, eo facilius ad interiora penetrare, & principia, jam aliquantulum resoluta, solvere & extrahere valeat. Salia enim, ceu corpuscula acuta ac rigida, in genere incidendo agunt, adeoque etiam dissolutionem promovent, & alcalia

alcalia præterea menſtrua ſpirituoſo-inflammabilia, phlegma adhuc inhærens abſorbendo, concentratiſſima ac plane ignea reddunt.

§. VIII

PRÆMISSIS præmittendis, ordinario quidem, ad promovendam activæ ſubſtantiæ ſolutionem & extractionem, *digeſtio* in maris, cinerum aut arenæ balneo inſtituitur, ſubinde nihilominus, quando tincturæ & eſſentiæ e durioribus, compactioribus & magis refractariis ſubjectis reſinoſis, ſulphureis & metallicis mineralibus parandæ ſunt, ipſa quoque *coctio* atque *deſtillatio*, nunc in cucurbita, nunc retorta vitrea ſuſcipienda, in auxilium vocatur, & liquor abſtractus, volatilioribus duntaxat particulis turgidus, reſiduo aliquoties reaffunditur, uſque dum, compage penitus recluſa, perfecta ſolutio atque extractio fieri queat.

§. IX

TINCTVRÆ & eſſentiæ, ſuperficiaria duntaxat ſolutione paratæ, viribus ſimplicium, e quibus extractæ fuerunt, tum communibus, tum ſpecificis, inſtructæ inveniuntur: Sin radicalis autem ſolutio contigerit, longe alias vires, quam ſimplicia poſſidebant, conſequuntur, quum unicum ſaltem vel alterum elementum contineant ſolutum, quod priſtinas ideo virtutes ſpecificas, quibus ſimplicia, integra adhuc mixtione nativa, gaudebant, quæque a certo mixtionis modo dependent, amplius exſerere nequit. V. g., quando ſuccinum ſolummodo ſuperficiarie ſolvitur, minutiſſima ſuccini integri fruſtula per totam menſtrui ſpirituoſo-inflammabilis molem diſperſa ſunt, & quælibet molecula operatur ut ſuccinum: Sin radicaliter autem idem concretum ſolutum fuerit, partes elementares ſeu conſtitutivæ, natura ac viribus diſtinctæ, oleoſæ nimirum, acidulæ vitriolicæ proſapiæ, aqueæ, & terreæ prodeunt, quæ neque ſeorſim, neque etiam, deſtructo ſingulari compoſitionis ſeu mixtionis modo, conjunctim ſpecificas ſuccini vires ulterius exſerere valent. Vnde patet, illos valdopere errare, qui, longe majus auxilium a tincturis, per radicalem corporum ſolutionem paratis, quam a reliquis, ſemper exſpectandum eſſe, ſibi aliisque perſuadere conantur.

TINCTVRÆ ET ESSENTIÆ SIMPLICES ET COMPOSITÆ VSITATIORES

Tinctura antimonii tartarisata.
- - *acris.*
- *metallorum.*
- *antiphthisica.*
- *martis.*
- *veneris* HELVETII.
- *coralliorum.*
- *sulphuris.*

Essentia ambræ.
- *succini.*
- *castorei.*
- *absinthii composita.*
- *anodyna* LVDOVICI.
- *alexipharmaca* STAHLII.

Tinctura benzoes.
- *bezoardica.*

Essentia carminativa off.
- *croci.*
- *fuliginis* CLAVDERI.
- *hysterica off.*
- *jalappæ.*
- *juniperi.*
- *lignorum.*
- *myrrhæ.*

Tinctura laccæ.
- *papaveris erratici.*

Essentia rhabarbari.
- *seminis santonici composita.*
- *summitatum pini.*
- *stomachica.*
- *splenetica.*

Aqua stomachica externa.

Tinctura tartari.
- *terræ Japonicæ.*

Essentia theriacalis.
- *uterina.*
- *vulneraria.*

Aqua vitæ stomachalis rubra.

Mixtura simplex.

Elixirium antefebrile MYNS.
- *pestilentiale* CROLLII.
- *proprietatis* HELMONTII *album.*
- *proprietatis antiscorbuticum.*
- *proprietatis* PARACELSI.
- *vitæ* MATHIOLI.
- *vitrioli* MYNSICHTI.
- *uterinum* CROLLII.

TINCTVRA ANTIMONII TARTARISATA

REC. Salis tartari vulgaris vel extemporanei, & antimonii partes æquales, vel etiam antimonii partem unam, & salis tartari partes duas.

duas. Pulverisata ac probe mixta crucibulo, inter carbones candentes collocato, ingerantur, & tamdiu, adæquato ignis gradu adhibito, fundantur, donec sulphur antimonii debite resolutum, & mixtura in scorias flavescentes, vel ex rubro flavescentes redacta sit. Quo viso, scoriis exemtis, & confestim in mortario calefacto contusis, sufficiens spiritus vini rectificatissimi quantitas superfundatur, &, vitro probe munito arenæ calidæ imposito, tinctura rubra digestionis ope extrahatur. Saturatior obtinetur tinctura, si scoriæ cucurbitæ vitreæ immittantur, & tincturæ extractio, post reiteratam spiritus abstractionem & reaffusionem, demum instituatur. Tenerius quoque atque citius sulphur antimonii resolvitur, quando antimonium pulverisatum sali tartari, ex nitri & tartari pulverisati partibus anaticis detonatione facto, & in crucibulo adhuc ferventi, ac paullulum fluenti successive injicitur. Monendum saltem, crucibula majora in hoc passu necessaria esse, vel illa ad dimidiam saltem partem replenda esse, quoniam fortis ebullitio atque materiæ expansio post primam antimonii injectionem oritur. Similis tinctura, debilioris tamen coloris, parari potest, quando loco antimonii crudi *simplex* ejusdem *regulus* recipitur, & pulverisatus descripta methodo cum

anatica ſalis tartari quantitate in crucibulo colliquatur, atque in ſcorias redigitur.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM

I. ANTIMONIVM eſt concretum minerale ſulphureo-regulinum. Conſtat enim ex *ſulphure vulgari*, & *ſubſtantia regulina*, quæ poſterior iterum ex *ſulphure minerali*, & *terra vitreſcibili, teneriori principio arſenicali aliquantulum remixta*, deprehenditur compoſita. Nonnulli duplex ſulphur in antimonio quærunt, alterum ſcilicet vulgare, crudius, impurius, ſulphuri communi analogum aut plane ſimile, alterum purius, præſtantius, ſolare; verum, valde decipiuntur, quum, præter ſulphur vulgare, ſulphuri communi minerali per omnia ſimillimum, nullum aliud, multo minus præſtantius ſolare, in antimonio, tum ignobiliori, tum nobiliori Hungarico, unquam demonſtrari potuerit.

II. Tincturæ antimoniales in genere in *ſulphureo-alcalicas*, & *regulino-acidas*, atque priores iterum in *veras*, & *ſpurias* ſive *putatitias* diſtinguuntur. *Tincturæ ſulphureo-alcalicæ veræ*, quas alii etiam *hepaticas* vocant, ſunt reliquis præſtantiores, & in menſtruo ſuo aqueo-ſpirituoſo-inflammabili, præter copioſas partes ſalino alcalicas, paucas quoque, easque teneriores, partes ſulphureas

reas continent ſolutas. Sal alcali cauſticum enim totam antimonii compagem ſub colliquefactione ita recludit, ut ſpiritus vini ſuperfuſus aliquam deinde ſulphuris reſoluti partem ſolvere valeat. Opinantur quidem nonnulli, quorum numero etiam B. NEVMANNVS *a* adjungendus eſt, tincturas antimonii hepaticas ſulphure plane deſtitutas eſſe, & colorem rubrum unice a partibus ſpiritus vini oleoſis, per ſal alcali cauſticum expanſis, dependere, quum alcoholi, ſali cauſtico, e cineribus clavellatis & calce viva methodo parato notiſſima, ſuperfuſo, & aliquandiu in digeſtione relicto, etiam absque antimonii, aut alterius corporis additione, talis rubedo conciliari poſſit. Attamen, qui ita ſentiunt, errare videntur: Inſtillato enim acido, hujusmodi tincturæ antimoniales ſulphuris pauxillum ad fundum dimittunt, & fœtidum quoque odorem ſulphureum, ſi accendantur, aut exhalando ad tertiæ partis remanentiam concentrantur, ſpirant. *b* Facile cæteroquin concedo, principium ſpiritus vini inflammabile, per alcali cauſticum ſub digeſtione magis magisque expanſum, multum pariter ad rubri coloris productionem & exaltationem conferre. *Tincturæ antimonii alcalicæ ſpuriæ*, cujus cenſus ſunt *tinctura metallorum & antimonii acris*, nullum ſulphur, ſed cauſticum duntaxat ſal alcalicum in menſtruo ſuo ſpirituoſo-inflammabili fovent.

a) Vid. EJVSD. Lect. de Antimonio p. 363.

b) Conf. MEVDERI Analyſis antimonii phyſico-chymico-rationalis p. 190.

Quando enim ſimplex vel martialis antimonii regulus cum nitro funditur, paucum ſulphur, quod regulo ineſt, leniſſima conſumitur detonatione, & ſpiritus vini proinde, ſcoriis enatis ſuperfuſus, intacta terra vitreſcibili, quam aggredi nequit, ſolum ſal alcali cauſticum imbibit ac recipit, & inde, contingente ſub digeſtione partium inflammabilium expanſione, rubedinem contrahit. *Tincturæ* denique *regulino-acidæ*, quoniam per menſtrua acida concentratiora ex vitro aut regulo antimonii extrahuntur, vel antimonium tamen per acida corrodentia extractioni redditur aptum, ſemper partes quaſdam ſubſtantiæ regulinæ, quam acida concentrata ſolvere valent, in ſinu gerunt reconditas, adeoque etiam, doſi paullo largiori exhibitæ, præſertim apud ſubjecta ſenſibiliora, facile emeſin, quam ab hepatis & alcalicis, quarum illæ principium ſulphureo-alcalicum, hæ autem ſolum ſalino-alcalicum cauſticum continent, nunquam metuere debemus, provocant, & rodendo pariter, ſi acida graviora recepta fuerint, nocent.

III. Virtus medica in tincturis antimonii ſulphureo-alcalicis ex parte a menſtrui ſpirituoſi inflammabilis & ſulphuris tenerrime reſoluti, ex parte etiam, & quidem maxima, a ſalis alcalici actione dependet. Spiritus vini, exiliſſimis particulis ſulphureis impregnatus, humores commovet, ſal alcali autem acidum deſtruit, & ſolida, maxime in filtris atque organis ſe- & excretoriis, ad frequentiores atque fortiores contractiones ſtimulat: Quibus ſuppoſitis, facile concipiendum eſt, cur tincturæ hujusmodi calorem in corpore ſuſci-

ſuſcitent, ſudorem & urinam valide moveant, humores purificent, & aliquam pariter virtutem tonicam exſerant.

IV. Specialius hæ tincturæ commendantur in adfectibus impuris venereis, ſcabioſis, cachecticis, arthriticis & rhevmaticis frigidis, tumoribus glandularum aliarumque partium pituitoſis, nephritide mucido-ſabuloſa, dyſuria, catarrhis, & morbis quibusvis, qui primario ex ſanguinis impuritate & acido-tartarea ac mucida humorum dyſcraſia ſuam ducunt originem. Dantur in vehiculo aqueo, aut vinoſo a guttis 10. ad 15. 20. 30. 40.

TINCTVRA ANTIMONII ACRIS SEV REGVLINA SPVRIA

REC. Reguli antimonii martialis vulgaris aut ſtellati partes duas, nitri puri partem unam. Fundantur in ſcorias aliquantulum flaveſcentes, & fuſio hæc, adjecta ſemper nova nitri pulveriſati portione, atque igne adhibito fortiori, aliquoties reiteretur, donec totus regulus ſucceſſive in ſcorias mutatus fuerit. Scoriis contuſis & adhuc calentibus ſpiritus vini rectificatiſſimus ad aliquot digitorum eminentiam ſuperfunditur, & tinctura rubicunda, eminenti ſapore acri prædita, digeſtionis ope extrahitur. Si loco ſpiritus vini ſimplicis ſpiritus vini oleoſus adhibetur, tinctura majorem conſequitur rubedinem.

TINCTVRA hæc falſo tinctura antimonii regulina creditur: In ſinu enim neque ſulphuris, neque reguli antimonialis quidquam fovet reconditum, & acredinem ſuam eminentem unice ſali cauſtico alcalico debet, quod ſpiritus vini e ſcoriis recepit, quodque, ob partium ſulphurearum defectum, non tantopere, quam in tinctura præcedente, obtunditur. Quoad virtutes & uſum cum tartariſata maxima ex parte convenit, præterquam, quod, ob indolem pene cauſticam, longe majori virtute ſtimulante & diuretica gaudeat, & ideo doſi minori, v. g. ad 10. 20. 25. guttas, in vehiculo largiori, vel etiam cum temperatioribus tincturis & eſſentiis, aliisque pharmacis remixta, propinanda ſit.

TINCTVRA METALLORVM

REC. Reguli antimonii martialis uncias duas, ſtanni Anglicani puri, cupri Japonici ana unciam unam. Fundantur in crucibulo igne intenſiori, donec cuprum penitus diſpareat, & ſingula probe mixta ſint; tunc maſſa adhuc fluens in conum fuſorium infundatur, aliquantulum refrigerata & indurata in pulverem redigatur, &, cum duodecim nitri pulveriſati partibus mixta, denuo in crucibulo tamdiu fundatur, donec cœruleo-virideſcentem contraxerit colorem; quo viſo, denuo in conum fuſorium effundatur, & ſcoriis exemtis & contuſis ſpiritus vini rectificatiſſimus ad

ad aliquot digitorum eminentiam ſuperfundatur, poſteaque tinctura rubicunda digeſtionis beneficio extrahatur.

TINCTVRA metallorum, etiamſi a medicis quibuſdam, præſertim Batavis, qui ea frequentius uti conſueverunt, tincturæ antimonii præferatur, neque natura tamen, neque viribus a tinctura antimonii acri diſtincta eſt, & locum proinde inter ſpurias duntaxat antimonii tincturas, quarum virtutes, uti in præcedentibus pridem dictum fuit, unice a menſtruo ſpirituoſo inflammabili, & ſale alcalico cauſtico, ſub hujus tincturæ præparatione ex nitro, ſulphure reguli antimonialis, & phlogiſta cupri parte enato, dependent, meretur. Datur a guttis 10. ad 20. 25. 30.

TINCTVRA ANTIPHTHISICA

REC. Cryſtallorum ſachari ſaturni, aceto deſtillato ſimplici parati, vitrioli martis arte facti ana unciam dimidiam, ſpiritus vini rectificati uncias duas. Mixta in vaſe clauſo tamdiu digerantur, donec rubicunda exſurgat tinctura, quæ charta emporetica a fecibus ſeparanda, & in loco frigidiuſculo, ne corrumpatur, adſervanda eſt.

PERSÆPE hæc tinctura, cujus rubedo maxime ab expanſis aceti, & vitrioli partibus unguinoſis oritur, a medicis, non adeo tamen

rationalibus, ad compeſcendos ſudores hecticorum ac ſcorbuticorum colliquativos, nec minus ad gonorrhœam, pollutiones nocturnas & fluxiones tam ſeroſas, quam ſanguineas ſiſtendas adhibetur, & ægris a guttis 10. ad 20. 30. 40., propinatur. Verum, cum tinctura hæc, ceu liquidum vitriolico-ſaturninum, fortiter ad & conſtringendo operetur, adeoque obſtructiones in corpore plus augeat, quam minuat, & noxiorum præterea humorum excretionem prohibeat, rectius inter mitiora venena conſtrictoria locum meretur, ac jure e ſelectiorum medicaminum cenſu exterminanda eſt.

TINCTVRÆ MARTIALES VARIÆ

TINCTVRA *martis vulgaris:* Rec. Limaturæ martis nondum rubiginoſæ P. 1., cryſtallorum tartari P. 3. Miſceantur in olla terrea aut vitrea latioris fundi, &, aqua pluviali vel fontana adfuſa, coctio, recentem per intervalla aquam adfundendo, tamdiu continuetur, donec ferri limatura, quæ inter coquendum ſpatula conſtanter agitanda eſt, ſolubilis reddita fuerit. Quo facto, & humiditate aquea evaporatione penitus conſumta, magmati ſalino-martiali ſicco ſpiritus vini rectificatus ſuperfundatur, atque tinctura rubicunda digeſtionis beneficio extrahatur.

Tinctura

Tinctura martis cum vino Malvatico: Rec: Vitrioli martis, cum oleo aut ſpiritu vitrioli e limatura martis parati, tartari optime depurati, aut cryſtallorum ejus ana libram dimidiam. Coquantur in aqua ſimplicis quantitate ſufficienti, ac paullatina exhalatione, cui continua materiæ agitatio jungenda, ad conſiſtentiam melleam redigantur, poſteaque, vini Malvatici aut Canarienſis libris ſex magmati ſuperfuſis, tinctura extrahatur, & a fecibus filtrando ſeparetur.

Tinctura martis pomata: Hæc obtinetur, quando magmati prædicto loco vini ſuccus pomorum Borsdorffianorum expreſſus, & debite impuritatum ſubſidentia depuratus atque clarificatus, quantitate prædicta ſuperfunditur, &, præmiſſa aliquot dierum digeſtione, ſexta circiter ſuccei pars in balneo maris abſtrahitur, atque tincturæ reſiduæ durationis gratia pauxillum ſpiritus vini rectificati miſcetur.

Tinctura martis helleborata: Rec. Limaturæ martis, pulveris fibrarum ellebori nigri, tartari albi ana unciam unam. Mixta in patina ferrea cum aqua ſimplici coquantur, tinctura brunna exprimatur, & cum ſpiritu cochleariæ miſceatur.

Tinctura

Tinctura martis FREINDII: Rec. ſalis ammoniaci partes duas, limaturæ ferri partem unam. Mixta injiciantur retortæ, & flores ſalis ammoniaci martiales ſublimentur. Quod in retorta autem remanet caput mortuum, illud edulcoratur, eidemque, poſt præmiſſam perfectam exſiccationem, in cucurbita ſpiritus vini adfunditur, & tinctura extrahitur, poſteaque, ut fiat concentratior, dimidia ſpiritus adfuſi pars abſtrahitur.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM TINCTVRARVM MARTIALIVM

I. FERRVM ex *terra vitreſcibili ſpecifica*, quam B. NEVMANNVS *κατ' ἐξοχὴν martialem* ſeu *ferriferam* vocat, *a* & *principio communi inflammabili* conſtat. De terreo principio nemo facile dubitat, & poſterius quoque clare per calcinationem ferri in crocum, per croci reductionem in ferrum, ope corporum phlogiſta ſubſtantia prægnantium, per halitum ſulphureum, qui illico ex aquæ, olei vitrioli, & limaturæ martis mixtura adſurgit, nec minus per ſedimentum nigricans ſulphureum, quod ſub ferri in ſpiritu vitrioli ſolutione in fundo colligitur, *b* demonſtrari poteſt.

II. Tin-

a) In Lect. de Ferro p. 385.
b) Conf. p. 29. n. III.

II. Tincturæ martis nihil aliud ſunt, niſi ſolutiones ſulphureo-vitriolicæ teneriores: Menſtruum enim aqueo ſpirituoſum ferro, per acida mineralia aut vegetabilia corrodentia ſolubili reddito, ſuperfuſum, partim vitriolum ſubtilius, corroſione enatum, ſolvit, partim etiam tenerrimum principium inflammabile ſive ſulphureum, ſub corroſionis actu a terræ compedibus aliquantulum liberatum, in poros recipit. A laudato igitur principio vitriolico in tincturis martialibus magis ſapor adſtringens, ab inflammabili autem, tenerrime reſoluto & expanſo, color rubicundus primario dependet.

III. Acida quæ ordinario ad præmittendam ferri corroſionem, ac reſolutionem adhibentur, vel vegetabilia ſunt, vel mineralia, vel mixta. Si acida vegetabilis proſapiæ huic negotio impenduntur, vitriolum naſcitur tenerius & minore præditum ſtypticitate: Sin acida mineralia vero fuerint adhibita, enatum magma vitriolicum craſſius eſt, & majori vi adſtrictoria pollet.

IV. Nonnulli tincturas martiales, in *aperitivas* & *adſtringentes* diſtinguunt; aſt ſine ullo fundamento ſolido, omnes enim tincturæ martiales, ob principium vitriolicum, quo imprægnatæ ſunt, ad- & conſtringendo agunt, & ideo nonnunquam ſaltem & per accidens virtutem aperitivam exſerunt, eo nimirum tempore, quando obſtructiones in corpore humano ab atonia ſeu nimia ſolidorum laxitate, & inde pendente torpida contractione, primario oriuntur.

V. Mul-

V. Multæ quidem ac magnæ virtutes a plerisque rerum pharmaceuticarum ſcriptoribus tincturis martialibus tribuuntur ; verum, cum ſolummodo leniter adſtringendo agere valeant, in iis quoque morbis duntaxat locum inveniunt, in quibus eminentior partium nervoſo-membranearum laxitas adeſt: Hinc in cachexia, œdemate, incipiente hydrope aſcite, leucophlegmatia, &, præmiſſis quoque præmittendis, in paſſione hypochondriaca, diabete, fluore albo, aliisque fluxionibus ſeroſis & ſanguineis præternaturalibus ſpecifica ſubinde remedia ſuppeditant. Cavendum ſaltem, ne, præſente humore quodam abundante aut virulento, cujus excretio non cohibenda, ſed potius promovenda eſt, nec minus vigentibus ſpaſmis, imprudenter exhibeantur. Ordinario dantur a guttis 10. ad 20. 30. 40. Nonnunquam cum tincturis & eſſentiis traumaticis utiliter miſcentur.

TINCTVRA VENERIS HELVETII

REC. Vitrioli cyprii, vel cryſtallorum veneris unciam dimidiam, ſalis ammoniaci unciam unam. Pulveriſata & mixta in crucibulo leni igne fundantur, donec maſſa, filo ferreo ſubinde agitata, ex viridi nigricantem colorem contraxerit. Huic maſſæ, illico poſt aliquam refrigeratiorem in pulverem redactæ, adfundatur ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus, & tinctura pulchre coerulea, immo violacea, extrahatur.

NOTAN-

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM HVJVS TINCTVRÆ

I. VARIA hæc tinctura principia continet, partes videlicet *phlogiſto-urinoſas*, quas menſtruum adfert, *moleculas cupri*, corroſione tenerius reſolutas, ac plus minusve expanſas, nec minus *partes vitriolico-ſalſas*. Salſæ oriuntur, quando ſub mixturæ liquefactione acidum potentius vitriolicum, cuprum relinquens, in ſalis ammoniaci mixtionem penetrat, & expulſo acido leviori, cum ſale volatili urinoſo in novum ſal neutrum coaleſcit: Attamen, quum omnes partes vitriolicæ ſub temporaria liquefactione non ſtatim diſſolvantur, nonnullæ remanent integræ, & deinde a phlegmate, in ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo hoſpitante, pariter ſolvuntur.

II. Tinctura veneris, viridi colore tincta, naſcitur, quando maſſæ ex viridi-nigricanti, e vitrioli veneris partibus quatuor, & ſalis ammoniaci parte una deſcripta colliquefactione in crucibulo paratæ, ſpiritus vini rectificatiſſimus ad duorum digitorum eminentiam adfunditur, & extractio, ſeu rectius, ſolutio magmatis ſalſo-vitriolico-cuprei digeſtionis ope inſtituitur.

III. HELVETIVS tincturæ ſuæ vires tribuit egregias in epilepſia, vermibus, atrophia, & tumore ventris infantum, itemque in rachitide, cachexia, ſuppreſſione menſium, &c. Verum,

pro

pro mea ſententia, commode hoc medicamento, quod apud infantes aliosque ſenſibiliores, majori præprimis doſi exhibitum, facile nauſeam ac vomitum excitat, carere poſſumus. Idem judicium de viridi quoque veneris tinctura ferendum eſt. Datur hæc æque atque illa a guttis 3. ad 5. 10. Externe, præſertim viridis, inter ſtyptica leniora locum habent.

TINCTVRÆ CORALLIORVM OFFICINALES

TINCTVRA *Coralliorum adſtringens:* Rec. Coralliorum rubrorum groſſiuſcule contuſorum quantum placet, iisdemque ſpiritum viridis æris rectificatum ad trium digitorum eminentiam adfunde, ut, advocata leni digeſtione, per viginti quatuor horas & ultra protrahenda, ſolvantur. Decantata ſolutione, reſiduo, nondum prima vice ſoluto, aliqua ſpiritus recentis portio adfunditur, donec omnia corallia ſoluta ſint, ac nil, niſi feces quædam, remaneant. Solutiones tinctæ, & ab impuritatibus filtratione per chartam bibulam liberatæ, retortæ vitreæ infunduntur, & menſtruum a ſolutis coralliis ad mellaginem uſque abſtrahitur: Mellagini huic denuo ſufficiens ſpiritus vini quantitas additur, & tinctura, poſt digeſtionem temporariam enata, filtratione depuratur. Si forſan juſto dilutior exiſtat,

exiſtat, aliqua ſpiritus parte in arenæ vel maris balneo evocata, concentratior redditur. Loco ſpiritus viridis æris etiam *acetum vini deſtillatum*, *ſuccus citri* aut *limoniorum depuratus*, *ſpiritus ſachari*, *mellis*, & *ſalis dulcificatus* adhiberi poſſunt.

Tinctura coralliorum purificans: Rec. Coralliorum rubrorum groſſiuſcule contuſorum, ſachari candi albi, aut Canarienſis ana unciam unam. Mixta immittantur retortæ, & tinctura ſpiſſiuſcula blando arenæ calore evocetur, &, aquæ violarum aut borraginis additione dilutior reddita, ſyrupo quodam cordiali, v. g. ſyrupo corticum citri, cinnamomi, florum tunicæ, modica quantitate addito, edulcoretur.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM HARVM TINCTVRARVM

I. CORALLIA, ſive ſint alba ſive rubra, ſive ex flavo-rubentia, &c., ad lithophyta ſeu plantas lapideas ſubmarinas pertinent, & parvas ſiſtunt arbuſculas, in fundo maris, ad pedis nonnunquam altitudinem, excreſcentes. Menſibus Aprili, Majo, Junio atque Julio, circa Indiæ utriusque, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, &c., littora,

littora, ſingulari modo extrahuntur, & ſub aqua, immo paullo poſt extractionem, aliqua adhuc mollitie gaudent, adeo, ut, teſte *Comite* MARSILIO, *a* ſuccus lacteus, flavus aut rubicundus pro coralliorum differenti colore exprimi queat. Obſervavit quoque laudatus MARSILIVS, cum aliquot coralliorum ramulos, recentiſſime decerptos, aquæ marinæ aliquando imponeret, & in ea aliquandiu relinqueret, tubercula illa, quæ in corticis ſuperficie conſpiciuntur, ſponte ſeſe aperuiſſe & explicaſſe in flores albicantes, forma ſtellularum cum octo radiis, calyci inſiſtentes, itidem in octo foliola diviſo. Ex aqua denuo exemtis ramulis, flores confeſtim claudebantur, & rubra formabant tubercula, quæ, digito aut inſtrumento alio compreſſa, lacteum ſuccum fundebant.

II. Recentes coralliorum rubrorum ramuli in mixtione ſua naturali triplex gerunt principium conſtitutivum, nimirum *terreum alcalinum*, *unguinoſo-glutinoſum*, & *ſubtile* ac *plus minusve expanſum metallicum*, nunc *martialis*, nunc vero, quanquam longe rarius, *venereæ*, nunc *utriusque* proſapiæ. Corallia enim rubra, obſervante GODOFREDO, *b* in ſpiritu vitrioli ſoluta, liquorem largiuntur, in quo poſt decentem evaporationem vitriolum viride martiale tenerrimum concreſcit, &, inſtillato oleo tartari per deliquium, pulvis albicans terreo-alcalinus, miculis tamen martialibus, quæ admoto adhærent magneti, remixtus, ad fundum præcipitatur.

III.

a) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des ſcienc. A. 1708.
b) L. c.

III. Menſtrua triplicis generis, acida videlicet, alcalia concentrata, & oleoſa ingreſſum in corallia rubra inveniunt: Acida partes terreas & parciſſime interſperſas martiales prompta corroſione ſolvunt; poſteriora autem ſubſtantiam unguinoſo-conglutinantem ſucceſſive adgrediuntur. Teſte quippe experientia, *a* lac vaccinum ſucceſſive ex coralliis, moderata adhibita digeſtione, rubram extrahit tincturam, & corallia ex albo-livida evadunt. Idem quoque, ac citius multo præſtat cera alba, ad ignem liqueſcens: Tinctura inde emergit, primo citrini, tandemque, labore hoc cum recentibus coralliorum fragmentis ſecunda ac tertia vice reiterato, rubicundi ac nigricantis coloris, quæ poſtea per ſpiritum vini tartariſatum adeo e cera tincta extrahitur, ut denuo alba evadat. Succedit etiam cum cera flava, aſt paullo difficilius, & illa præterea coralliis in ſuperficie coloris proprii quidquam affricat. Extrahunt etiam tincturam alcalia fixa & volatilia, v. g. liquor nitri fixi ſive alkaheſt Glauberi, oleum tartari per deliquium, & ſpiritus ſalis ammoniaci: Omnium tamen promptiſſime corallia, etiam vetuſtiſſima, diſſolvunt acida cujuſcunque generis, ſuccus citri v. g., limoniorum, ſpiritus ſachari, mellis, ſalis dulcificatus, vitrioli philoſophicus, acetum deſtillatum, & ſimilia.

IV. Tincturæ coralliorum rubrorum, cum acidis factæ, nihil aliud ſunt, niſi ſolutiones alca-

 lino-

a) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences A. 1708.

lino-terreæ, & martiales, adeoque etiam vitriolum paucum atque tenerrimum, ut & ſubſtantiam terreo-ſalſam, quæ poſt acidi corrodentis unionem neceſſario naſci debent, in ſinu ſuo fovent. Quod vero ſulphur attinet ſolare, quod nonnulli in coralliis rubris, indeque paratis tincturis, quærunt, illud merito ad principia imaginaria relegandum eſt.

V. Color rubicundus, quo coralliorum tincturæ pollent, magis ex menſtruis, aliisque additamentis, quam ex ipſis coralliis, derivandus eſt, præſertim, ſi menſtrua oleoſa, inflammabilia ſpirituoſa, acido-unguinoſa, &c., fuerint adhibita; quemadmodum id inter alia liquore rubro probari poteſt, qui, prægreſſo phlegmate, transſcendit, quando ſal coralliorum, ex albis coralliis cum aceto deſtillato factum, deſtillationi in retorta ſubjicitur. Quare, cum pauca ſubſtantia unguinoſa aceti, calore ac motu expanſa, rubedine tingere queat liquores, nullo pariter modo dubitandum eſt, quin tale quid menſtrua, aliaque additamenta, principio inflammabili largius referta, maxime autem ſacharum toſtum, efficere atque præſtare valeant.

VI. Egregia virtus cardiaca & confortans coralliorum tincturis vulgo adſcribitur, & illæ in melancholia proinde, lipothymiis, palpitatione cordis, vertigine, imminente abortu, &c., valdopere laudantur; at parum in hoc paſſu elogiis fidendum. Pro differenti enim menſtrui indole atque virtute hæ tincturæ valde differunt, & aliæ, quæ cum acidis ſcilicet menſtruis paratæ fuerunt, lenem

lenem duntaxat vim adſtrictoriam & temperantem exſerunt, & ideo fortaſſis in hæmorrhagiis uſum ſubinde inveniunt, aliæ autem, quarum præparationi ditiores ſubſtantiæ unguinoſæ aut oleoſæ impenduntur, aliqua, ob indolem balſamicam, virtute commovente & nervina inſtructæ ſunt. Dantur vel per ſe, vel cum ſyrupo quodam remixtæ, a guttis 30. ad 40. 50. 60.

TINCTVRA SVLPHVRIS

REC. Sulphuris citrini communis unciam unam, ſalis tartari ſiccati atque pulveriſati unciam unam, vel ſaltem dimidiam. Mixta in tigillo vulgari latioris fundi, vel patina terrea, leni igne fundantur, donec, adjuvante cum bacillo agitatione, probe unita fuerint. Maſſæ huic, nondum penitus refrigeratæ, & in pulverem contuſæ, una ſpiritus vini libra ſuperfundatur, & tinctura digeſtionis ope extrahatur.

PLVS ſubſtantiæ ſulphureæ hæc tinctura poſſidet, quam tincturæ antimonii hepaticæ veræ, ſalino-alcalicum autem principium magis obtuſum deprehenditur; hinc illis etiam virtute commovente ac diſcutiente ſuperior, ſtimulante contra & diuretica inferior eſt. Laudatur, tanquam medicamentum ſatis activum, in peſte, ſcabie, ulceribus, & morbis quibuſvis, e ſanguinis ac lymphæ impuritate promanantibus. Nonnulli eam inter pectoralia quoque remedia referunt, in tuſſi viſcida, acri, & aſthmate

pituitoso exhibenda, at, intuitu hujus virtutis, prostant præstantiora. Datur a guttis 20. ad 30.

TINCTVRA SEV ESSENTIA AMBRÆ

REC. Ambræ gryseæ optimæ drachmam unam, moschi Alexandrini optimi grana quindecim, spiritus rosarum, per fermentationem parati & optime rectificati, aut spiritus cerasorum nigrorum, vel saltem spiritus vini Gallici rectificatissimi uncias tres. Fiat digestio in vitro probe clauso per octiduum, donec spiritus satis tinctus sit.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM ESSENTIÆ AMBRÆ

I. AMBRA bituminum mineralium & pretiosissimum & præstantissimum est, atque quævis reliqua odoris suavitate superat. Constat cæteroquin, æque ac succinum, ex *petroleo purissimo, sale acidulo vitriolicæ prosapiæ, & pauca terra atque aqua*; quemadmodum hæc principia destillationes ac resolutiones ejusdem, a GRIMMIO, *a* aliisque susceptæ, satis comprobant.

II. Ambra pura citius ac tota solvitur, quando, loco prædictorum spirituum, spiritus vini aut rosarum

a) Conf. Miscell. A. N. C. G. Dec. 2. ann. 1. obs. 171.

rosarum probe tartarisatus vel solus, *a* vel liquore anodyno minerali modice remixtus, adfunditur. Ambræ quoque essentia, absque moschi additione parata, descriptæ præferenda est, quoniam multi multæque odorem moschi fragrantissimum perferre nequeunt.

III. Militat hæc essentia inter remedia confortantia, nervina & cephalica, atque ideo in morbis, ex nervosi systematis debilitate maxime oriundis, v. g. in imbecillitate memoriæ, vertigine, epilepsia, apoplexia, adfectibus soporosis, debilitate visus, tremore cordis, lipothymia, atonia ventriculi, imminente abortu, &c., non contemnendum subinde usum præstat. Intelligenda tamen hæc solummodo erunt de essentia ambræ sine moscho & zibetho parata: Si posteriora enim addita fuerint, vi expansiva cerebro nocet, & humorum commotiones nimias excitat. Exhibetur in vino aut alio commodo vehiculo a guttis 10. ad 15. 20.

TINCTVRA SIVE ESSENTIA SVCCINI

REC. Succini flavi, pellucidi, subtilissime pulverisati, & per cribrum setaceum trajecti, uncias duas: Imprægnetur liquore nitri fixi, seu alkahest Glauberi, & cum eodem in mortario lapideo in massam quodammodo pulti-

a) Conf. HOFFM. Obs. phys. &c. p. 62.

formem tritura protracta redigatur. Massa, duodecim horas reposita, denuo cum adfuso recenti alcaheſt teratur, eidemque, post plenariam exsiccationem, spiritus vini dephlegmatissimus simplex aut tartarisatus, vel etiam succini spiritus abstractitius, ad quatuor vel quinque digitorum eminentiam, adfundatur, & tinctura rubra in arena calida beneficio digestionis, aut, recepta cucurbita cum alembico, coctionis ope, extrahatur. Spiritus, sub coctione e cucurbita in receptaculum transtillans, residuo iterum reaffundendus erit, quamprimum spissiusculum evadere incipit, tandemque, succino penitus recluso, ignis minuendus est, ut ultimo, cessante coctione, tinctura leni duntaxat digestione extrahatur. Loco alcaheſt Glauberi succino pulverisato etiam sal tartari siccissimum pulverisatum misceri, &, statim superfuso spiritu vini, digestio aut coctio institui potest: Immo sunt, qui absque sale alcalico e solo succino, si diuturnior saltem accederet digestio aut coctio, æque bonam ac saturatam tincturam obtineri, contendunt. Ego id penitus quidem negare non audeo, credo tamen, essentiam succini, cum sale alcalico paratam, altera semper saturatiorem esse, & tenerius resolutas moleculas continere.

TIN-

TINCTVRA hæc, nisi præferenda, certe tamen æquiparanda est essentiæ ambræ, & illi proinde apud ægros pauperiores commode substitui poterit. Gaudet enim, ob temperatam indolem balsamicam, egregia virtute purificante, roborante, diuretica, diaphoretica & traumatica, & maxime sese commendat in adfectibus scabiosis, cachexia, obstructione urinæ, mensium, lochiorum, hæmorrhoidum, nephritide pituitoso-sabulosa, fluore albo, ulcere vesicæ ac renum, debilitate capitis atque ventriculi, obstructionibus pectoris, tumoribus glandularum, febribus catarrhalibus, malo hypochondriaco, & hysterico, ac morbis similibus. Datur interne in vino vel aqua destillata, vel etiam cum sachari frustulo, aut syrupo quodam adpropriato, a guttis 20. ad 30. 40. Externe, præsertim si absque sale alcalico e solo succino parata fuerit, egregium præbet traumaticum, tum per se adplicata, tum etiam cum essentia myrrhæ aut balsamo Peruviano remixta, in ulceribus, vulneribus, carie ossium, immo ipso sphacelo.

TINCTVRA SEV ESSENTIA CASTOREI

REC. Castorei, a cute & pinguedine separati, & minutissime concisi uncias quatuor, spiritus vini quantum sufficit ad eminentiam trium aut quatuor digitorum transversorum: Stent in digestione per octiduum, donec spiritus saturato colore tinctus sit; quo viso,

tinctura decantata filtretur per chartam bibulam & adſervetur. Melioris extractionis cauſſa caſtoreum ante ſpiritus adfuſionem aliquot liquoris nitri fixi drachmis irrorari poteſt, ut in pultem quaſi redigatur, quæ poſtea, iterum tamen ſiccata, cum ſpiritu digeritur.

CASTOREVM, ſive Caſtorium eſt concretum animale unguinoſum, particulis ſpirituoſo-balſamicis valde refertum, adeoque forti, non adeo tamen grato, odore præditum. Secernitur e ſanguine notiſſimi amphibii, quod caſtor dicitur, & in certis folliculis, tam in maribus, quam fœminis, ſtatim ſub cute ad inguina ſitis, colligitur. Eſſentia inde parata validam vim commoventem & diſcutientem, itemque nervinam & antiſpaſmodicam non contemnendam poſſidet, & ſpecifica ideo creditur in paſſione colica & hyſterica, epilepſia, paralyſi, & variis aliis uteri & capitis adfectibus, ſi illi a viſciderum, atque acrium humorum ſtaſi & decubitu, ut & ſolidorum debilitate primario oriantur: Sin bilioſæ autem impuritates in humoribus abundent, aut plethora & orgaſtica ſanguinis expanſio adſit, cautius cum uſu ejusdem mercandum erit. Datur interne a guttis 10. ad 20. 30. Externe ſubinde in vertigine, lipothymia, coryza, & ſuffocatione hyſterica naribus admovetur, in tinnitu & ſuſurru aurium catarrhali cum goſſypio, cui aliquot guttulæ inſtillantur, auribus immittitur, & clyſteribus quoque, præſente colica flatulenta & paſſione hyſterica injiciendis, ad drachmam unam miſcetur.

ESSENTIA ABSINTHII COMPOSITA

REC. Comarum abſinthii vulgaris manipulos duos, foliorum cardui benedicti manipulum unum, florum centaurii minoris manipulum ſemiſſem, radicum zedoariæ, diptamni albi, corticum aurantiorum, citri, ana drachmas duas, myrrhæ rubræ drachmam unam, caryophyllorum, croci ana drachmam dimidiam. Inciſis atque contuſis adfundantur libræ duæ ſpiritus vini rectificati, & vitrum probe obturatum digeſtioni committatur, donec tinctura ſufficienter extracta ſit. Hæc deinde filtratione depuretur & adſervetur.

ABVNDAT hæc eſſentia partibus gummoſis, & oleoſo-reſinoſis amaris & balſamicis, atque egregia proinde virtute calefaciente, roborante, diaphoretica, diuretica, ſtomachali & antifebrili inſtructa eſt. Frequentius a guttis 30. ad 40. in dejectione adpetitus, & digeſtionis debilitate, a cruditatibus frigidis acido-pituitoſis & tunicarum ventriculi atonia oborta, nec minus in febribus intermittentibus, maxime quartana, diarrhoeis mucidis, ac pluribus morbis, qui ſeri ac lymphæ viſciditati primariam debent originem, exhibetur. Proſtat etiam in officinis *tinctura* ſeu *eſſentia abſinthii ſimplex*, quæ

quæ ex ſola herba abſinthii, vel, quod præſtat, ex ejusdem extracto, quod ſub evaporatione principium vaporoſum, capiti inimicum, paullum amiſit, cum vini ſpiritu paratur. Hæc viribus quidem inferior eſt compoſita, inter activa nihilominus ſtomachalia & antifebrilia militat remedia.

ESSENTIA ANODYNA LVDOVICI

REC. Opii optimi minutiſſime conciſi, & per lenem evaporationem a graveolentia aliquantulum liberati unciam unam, aquæ apoplecticæ pauperum, ſpiritus vitrioli roridi, ſeu roris vitrioli cum ſpiritu volatili mixti ana uncias quatuor. Extrahatur methodo conſueta eſſentia, & filtrata adſervetur.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM ESSENTIÆ OPII

I. OPIVM, ceu ſuccus inciſorum capitum papaveris ſingularis in Perſia, India, &c., inſpiſſatus, ex partibus *terreis inertibus*, *gummoſis temperatioribus*, *reſinoſis calidioribus*, & *ſalino-oleoſis* vel ſaltem *ſalino-phlogiſtis*, *volatilibus*, *ſpumidis*, ac *ſumme narcoticis* componitur. *a* Adeoque, ſi tinctu-

a) Vid. Rudimenta mat. med. rat. p. 338.

turam deſideremus anodynam & hypnoticam temperatiorem, illa ex partibus tantummodo gummoſis ac reſinoſis tenerioribus, a ſubſtantia terrea, reſinoſa craſſiori, & maxime oleoſa ſpumida, quantum fieri poteſt, ſeparatis, paranda erit. Optime autem hic finis obtinetur, quando opium cum aqua ſimplici coquitur, & ſolutio, materia ſpumida venenata, ſub coctione ſenſim ad ſuperficiem adſurgente, cochleari ablata, ſemel vel aliquoties per manicam Hippocratis trajicitur, & ſic a terreis quoque & reſinoſis craſſioribus partibus liberata, leni igne inſpiſſatur, poſteaque congruo menſtruo denuo ſolvitur, & tinctura, peracta ſolutione, filtratur.

II. Loco ſpiritus vini aut alterius inflammabilis rectificati, commode ſpiritus nitri rite dulcificatus ſolutioni memorati extracti poteſt impendi. Acidula enim optimum ſuppeditant corrigens, & certius atque ſecurius, citra nimiam tamen caſtrationem, opii vim narcoticam & expanſivam minuunt. Si placet, ſpiritus vini etiam ſpiritu ſalis dulcificato, aut aceto vini deſtillato aliquantulum remiſceri poterit.

III. *Tinctura anodyna* LVDOVICI, ac hujus commatis reliquæ ſomnum ægris conciliant, dolores atrociores mitigant, ſpaſmos minuunt, profluvia præternaturalia & excretiones quaſcunque, cutanea, quam largiorem reddunt, excepta, ſiſtunt; hinc ſubinde etiam, vel per ſe datæ, vel cum aliis refracta doſi remixtæ, locum in hæmorrhagiis exorbitantibus, diarrhœis atque vomitibus, doloribus variarum partium, tuſſi ſicca, acri,

acri, convulsiva, principio febrium malignarum quarundam, &c., inveniunt: Medicum tamen postulant circumspectum ac rationalem, qui veras morbi profligandi causas prius sedulo pervestigavit; cum heroica enim sint remedia, quæ singulari modo, alibi descripto,[a] operationem suam in humano corpore exserunt, tam facile sub abusu nocere, quam sub usu recto prodesse valent. Dantur per se a quinque ad decem, imo quindecim guttas. In officinis etiam essentia anodyna, ex laudano parata, prostat, & passim quoque tincturæ anodynæ, non ex solo opio depurato, sed simul etiam ex castoreo, croco, atque similibus extractæ describuntur: Verum, pro mea sententia, reliquis omnibus simplicissima, ex descripto opii extracto cum simplici spiritu vini rectificato, aut rite dulcificato nitri spiritu parata, præferri meretur.

ESSENTIA ALEXIPHARMACA STAHLII

REC. Radicum imperatoriæ, carlinæ, helenii, angelicæ, pimpinellæ albæ, ana unciam dimidiam, vincetoxici, diptamni albi ana unciam unam. Fiat cum sufficienti spiritus vini tartarisati quantitate extractio, eademque absoluta, tertia spiritus pars in cucurbita abstrahatur, & remanens tinctura, hac ratione concentratior reddita, cum æquali essentiæ

a) In Rudimentis mat. med. rat. p. 356.

sentiæ scordii pariter concentratæ portione misceatur. Nonnulli radicibus recensitis etiam radicem contrayervæ addunt, at parum refert, an hæc ipsa, quæ pretium saltem auget, addatur, an vero rejiciatur.

B. ROTHIVS a ita quidem hanc essentiam describit, nondum tamen in clara luce positum est, an vera sit descriptio, nec ne. Quicquid interea sit, veræ essentiæ alexipharmacæ STAHLII viribus non cedit, & validum præbet medicamentum diaphoreticum atque sudoriferum, quod persæpe in cachexia, adfectibus scabiosis, rhevmatismis atque catarrhis frigidis, gonorrhœa virulenta, fluore albo, febribus catarrhalibus benignis, &c., a 20. ad 30. 40., guttas cum fructu propinari potest.

TINCTVRA BENZOES

REC. Gummi Benzoes selecti quantum placet, solve in sufficienti quantitate spiritus vini rectificatissimi, & tincturam rubram, digestionis ope extractam, filtra, & adserva.

VIRTVTE incidente ac leniter discutiente pectorali hæc tinctura pollet, & inter tutiora pariter atque præstantiora cosmetica locum sibi vindicat, quando aquæ rosarum, quam illico reddit lacteam, instillatur. Præcipitatæ enim moleculæ resinosæ albicantes, aquæ innatantes cuticulæ squamulas obducunt, & ita illis non tantum

a) In der Anleitung zur Chymie p. 158.

tantum nitorem conciliant, sed accedente ulteriori ablutione, adhærentes quoque impuritates abstergunt.

TINCTVRA BEZOARDICA MICHAELIS

REC. Radicum angelicæ, calami aromatici, carlinæ, diptamni albi, enulæ, pimpinellæ, valerianæ, vincetoxici, ana unciam unam, herbarum scordii nostratis manipulos tres, cardui benedicti, melissæ, millefolii, rutæ ana manipulum unum, baccarum juniperi, cinnamomi electi, corticum citri ana unciam unam, theriacæ optimæ libram unam. Mixta infundantur in spiritus vini rectificati mensuris duabus, stent in digestione per octiduum, & deinde duæ circiter spiritus libræ in arenæ balneo abstrahantur. Huic spiritui bezoardico misceantur spiritus tartari rectificati libra una, & spiritus vitrioli volatilis libra dimidia, postea aliquantisper digerantur; quo facto in sufficienti hujus spiritus quantitate seorsim opii optime depurati unciæ duæ, carnis viperinæ præparatæ unciæ tres, pulveris nucis moschatæ uncia una, baccarum herbæ Paridis, croci orientalis optimi, & ligni santali rubri ana unciæ duæ solvantur, & deinde, solutionibus omnibus & extractionibus prædicto spiritui additis, mixtum in duas partes dividatur,

datur, quarum altera seorsim adservetur, alteri autem camphoræ uncia dimidia, in sufficienti spiritus vini quantitate solutæ, immisceatur.

QVANQVAM tincturam hanc satis selectæ species, si carnem viperinam, quæ menstruo nihil virtutis communicare valet, exceperis, ingrediantur, duplici nihilominus vitio laborat. Primo enim præparatio ejus, quæ esse posset longe compendiosior, ob solutionum & extractionum multitudinem valde tædiosa est, & deinde etiam nimiam opii quantitatem recipit. Facta quippe totius mixturæ quantitatis computatione cum quantitate opii, patet, integrum opii scrupulum & ultra in tincturæ uncia hærere, quæ quantitas nimia est, ac sæpe impedit, quominus medicamentum hoc in hac vel illa ægritudinum specie, in qua alias profuturum esset, propinari possit. Longe præstantius remedium exsurgit, quando *mixtura simplex* cum descripta *tinctura alexipharmaca* STAHLII analica quantitate miscetur. Præferendæ quoque eidem sunt *tincturæ bezoardicæ* LVDOVICI & WEDELII. Hæc enim opio plane caret, & illa moderatam saltem ejus quantitatem recipit, ac longe præterea compendiosior est. Laudantur cæteroquin hæc medicamina, ceu valida sudorifera, in peste, febribus exanthematicis, nec minus catarrhalibus benignis & malignis, adfectibus scabiosis, frigidis rhevmaticis, catarrhalibus, cachecticis, aliisque morbis, forti

diaphoreſi curandis; verum in febribus exanthematicis & catarrhalibus malignis caute cum uſu eorum mercandum erit. *Tinctura bezoardica* MICHAELIS datur a guttis 10. ad 15. 20., *tinctura* autem *bezoardica* LVDOVICI & WEDELII a guttis 20. ad 30. 40., exhiberi poteſt. Prior ita paratur: Rec. radicum carlinæ, vincetoxici, enulæ, zedoariæ, ana uncias duas cum dimidia, croci orientalis integri, pulveris viperini, myrrhæ ana unciam unam, opii drachmas ſex, caſtorei drachmas duas. Groſſiuſcule conciſa infundantur in ſpiritus vini non adeo dephlegmati, vel etiam ſpiritus juniperi libris quatuor & ſemiſſe & peracta extractione tincturæ decantatæ & percolatæ addantur eſſ. camphoræ drachmæ duæ, ſpiritus tartari, ſpiritus vitrioli roridi unciæ duodecim, poſteaque mixtura ſantalo rubro, vel floribus papaveris erratici ſiccatis tingatur. Poſterioris præparatio ita ſeſe habet: Rec. rad. zedoariæ, gentianæ, angelicæ, anthoræ, contrayervæ, carlinæ, biſtortæ, diptamni alt., tormentillæ, ſcorzoneræ Ital. mont., vincetoxici, olſnitii ſive apii ſylveſtris, ana unciam unam, flor. galegæ, ulmariæ, calendulæ, rutæ, ana unciam dimidiam, ſeminis fraxini, cardui benedicti, aquilegiæ, rutæ, ana drachmas duas, baccar. paridis unciam unam cum dimidia, cubebarum, granorum chermes, opobalſami ana unciam dimidiam, cort. citri drachmas ſex, camphoræ, myrrhæ electæ ana unciam unam, croci drachmam unam. Groſſiuſcule conciſis atque contuſis adfundatur ſpiritus bezoardici

zoardici vel ſambuci citrati, vel etiam ſpiritus vini ſimplicis rectificati, quantum ſatis, & abſoluta digeſtione ſpiritus ſalis ſtriati unciæ duæ, & ſantali rubri uncia una cum dimidia addantur, poſteaque tinctura decantata & depurata adſervetur.

ESSENTIA CARMINATIVA OFF.

REC. Radicum angelicæ, calami aromatici ana drachmas duas, carlinæ, imperatoriæ, zedoariæ ana unciam ſemiſſem, herbarum meliſſæ, menthæ criſpæ, origani cretici ana manipulum ſemiſſem, florum chamomillæ Rom. manipulum unum, ſeminis aniſi mundati, carvi, fœniculi, leviſtici, baccarum juniperi, lauri ana drachmas tres, flavedinis cort. aurantiorum uncias quatuor, cort. citri uncias duas, caryophyllorum drachmam ſemiſſem, cinnamomi acuti drachmas duas, macis drachmam unam. Mixta & in pulverem redacta ſpiritus nitri rectificati, vel, quod præſtat, ſpiritus nitri dulcificati quantitate ſufficienti irrorentur, & tinctura, adfuſis duabus ſpiritus vini libris, extrahatur, & expreſſa atque filtrata reponatur ad uſum.

SATIS bonum remedium carminativum eſt, & auxilium non contemnendum in cardialgia, colica, aliisque ventriculi & inteſtinorum adfectibus flatulentis præſtat, ſi ſcilicet materia transſpirabilis rudior, e copioſa ſaburra acido-pituitoſa

tosa aut crudis alimentis genita, illis præbeat occasionem præcipuam. Secus sentiendum, si adfectus memorati bili fervidæ, congestioni sanguinis hæmorrhoidalis, aut spasmis vehementioribus, originem debeant. Datur a guttis 20. ad 30. 40. 50. Cum hac convenit *essentia carminativa* WEDELII, cujus præparatio ita describitur. Rec. rad. zedoariæ unciam unam, galangæ, carlinæ ana unciam dimidiam, cort. aurantiorum, sem. anisi, carvi, flor. chamomillæ Rom. ana drachmas duas, caryophyllorum, baccarum lauri, acori veri ana drachmam unam cum dimidia, macis drachmam unam. Grossiuscule incisa & contusa in s. q. spiritus corticum citri infundantur, & extracta essentia pauxillo spiritus nitri acidula reddatur. Exhibetur a guttis 30. ad 40. 50.

ESSENTIA CROCI

REC. Croci orientalis vel Austriaci optimi unciam unam, spiritus vini rectificati uncias sex. Fiat lege artis extractio, & essentia filtrata servetur.

VIRTVTEM obtinet commoventem, discutientem, roborantem, anodynam, pectoralem & uterinam, & sæpius ideo in melancholia, tussi pituitosa, asthmate, febribus, aliisque adfectibus catarrhalibus, colica & cardialgia flatulenta, obstructione mensium, &c., cum fructu a guttis 5. ad 12. propinari potest. Externe aquis ophtalmicis additur.

ESSEN-

ESSENTIA FVLIGINIS CLAVDERI

REC. Cinerum clavellatorum libram dimidiam, solve in aquæ pluvialis libris tribus, stet solutio unam alteramve horam, atque identidem, promptioris solutionis caussa, agitetur: Huic solutioni injice salis ammoniaci uncias sex, ac denuo agita, ut penitus solvatur, tandemque fuliginis splendentis pulverisatæ uncias duas inspergе, ac loco temperato per diem, vitro probe clauso, digere, tincturam extractam filtra, & ad usum serva. Loco prædicti menstrui fuligini etiam spiritus salis ammoniaci urinosus ordinarius, aqua tamen dilutior redditus, & cinerum clavellatorum aut alterius salis alcalici additione ex sale ammoniaco paratus, superfundi potest.

CLAVDERVS huic essentiæ, quæ nihil aliud est, nisi oleum empyrevmaticum in menstruo aqueo-urinoso solutum, multas & magnas vires, nimirum diaphoreticas, diureticas, aperitivas, purificantes, abstergentes, resolventes, itemque antiscorbuticas, cordiales, bezoardicas, antifebriles, nephriticas, expectorantes, antipleuriticas, anticatarrhales, nervinas, &c., quidem tribuit: [a] at encomiis hisce parum pro meo judi-

a) Vid. ejusd. Method. balsamandi corpora nov. p. 192. sequ.

judicio fidendum erit, ſed potius credendum, quod in plurimis morbis, in quibus ab inventore commendatur, plus noceat, quam proſit: Medicamentum enim urinoſo-oleoſum empyrevmaticum, ac valde calidum eſt, quod ſanguinem, præſertim partibus bilioſis refertum, mirifice commovet & expandit, adeoque apud ſubjecta plethorica & bilioſa, itemque in morbis calidis tuto exhiberi nequit. Locum igitur ſolummodo invenit in morbis chronicis & ſic dictis frigidis, qui natales ſuos copioſis impuritatibus acido-pituitoſis, & ſolidorum laxitati primario debent, v. g. in cachexia, adfectibus ſcabioſis humidis, nephritide ſabuloſo-pituitoſa & ſimilibus, forti reſolutione, itemque diureſi atque diaphoreſi curandis. Quod autem in ſcorbuto quoque utilitatem præſtet, nondum concipere poſſum, quum dyſcraſia humorum mucida non ſola, ſed ſimul ſalſo-putrida, quam urinoſa remedia magis augent, quam deſtruunt, in hoc morbo adſit. Datur a guttis 20. ad 30. 40. 50.; ſin vero loco menſtrui ſpiritus ſalis ammoniaci, aqua aliquantulum dilutus, receptus fuerit, guttæ 10. 20. 30. pro doſi ſufficiunt.

ESSENTIA ANTHYSTERICA OFFICINALIS

REC. Radicum angelicæ, diptamni Cretici ana drachmas duas, bryoniæ, zedoariæ ana unciam dimidiam, ſummitatum matricariæ, rorismarini, rutæ, ana pugillos duos, ſeminis leviſtici, paſtinacæ ana drachmam unam cum ſemiſſe, baccarum lauri, caſtorei ana drachmas duas, croci optimi drachmam unam, granorum actes ſiccatorum drachmas duas cum ſemiſſe. Contuſa irrorentur ſpiritus ſalis ammoniaci quantitate ſufficienti, poſtea ſpiritus vini rectificati unciæ octo ſuperfundantur, & tinctura digeſtionis ope extrahatur.

VIRIBVS pollet diſcutientibus, roborantibus, carminativis & uterinis, adeoque in adfectibus colicis atque cardialgicis, adpetitu dejecto, læſa digeſtione, diarrhœis, fluore albo, malo hyſterico, obſtructione menſium, & morbis ſimilibus, ſi acido-pituitoſis cruditatibus ac mucidæ humorum dyſcraſiæ originem debent, uſum non contemnendum præſtat. Propinatur a guttis 30. ad 40. 50.

ESSENTIA JALAPPÆ

REC. Radicis jalappæ nigræ reſinoſæ pulveriſatæ unciam unam cum dimidia, flavedinis corticum citri recentis unciam ſemiſſem, cinnamomi acuti drachmam unam cum dimidia, ſpiritus vini rectificati uncias ſex. Fiat extractio in vaſe probe clauſo, poſteaque eſſentia exprimatur, & filtretur.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES
ET VSVM HVJVS ESSENTIÆ

I. RADIX jalappæ partes activas *resinosas* & *gummosas* in mixtione sua fovet, ita tamen, ut gummosa substantia resinosam quantitate longe superet. Ex una enim hujus radicis uncia aliquando unciam dimidiam & scrupulum unum extracti gummosi, & binos duntaxat scrupulos extracti resinosi obtinui. a) Sola substantia gummosa magis urinam, quam alvum movet, & sola resinosa fortem quidem catharsin, ast torminibus stipatam, provocat, optima igitur operatio exspectanda, quando resinosæ & gummosæ partes combinatæ sunt: Vnde etiam ratio patet, cur radix hæc, in pulvere data, sese in operando melius, quam inde paratæ tincturæ & extracta solitaria resinosa & gummosa, gerat.

II. Sub descriptæ tincturæ seu essentiæ præparatione, radici jalappæ flavedo corticum citri, & cinnamomum, eo quidem fine, adduntur, ut flatus, in intestinorum canale forsan congregatos, discutiant, & ventriculum in fine iterum roborent; at, dum cinnamomum leni, quam præstat, adstrictione ipsam alvi solutionem quodammodo cohibet, additio ejus rectius omittitur. Non recipiendus quoque est ad extractionem spiritus vini

a) Vid. Diss. de Catharticis quibusdam selectioribus p. 22. seq.

vini rectificatissimus, sed modice tantum rectificatus, ut resinosa æque ac gummosa substantia e radice jalappæ extrahatur.

III. Essentia hæc apud adultos vulgo quidem a drachma una ad scrupulos quatuor pro una dosi præscribitur, exacte tamen pro mea sententia dosis determinari nequit, quum radix jalappæ pro diversa sua bonitate nunc majorem nunc minorem substantiæ gummeo-resinosæ activæ quantitatem contineat. Multi igitur non sine ratione credunt præstare, si loco ipsius radicis extracta resina in certa spiritus quantitate solveretur, ut dosis eo certius innotesceret.

IV. Huic essentiæ purganti sequens longe præferenda est: Rec. Liquoris terræ foliatæ tartari cum vino parati unciam unam, extracti catholici scrupulos quatuor. Fiat solutio. Datur adultis a drachmis duabus ad drachmas duas & dimidiam.

ESSENTIA JVNIPERI

REC. Baccarum juniperi maturarum uncias quatuor, rob earundem unciam unam, spiritus baccarum juniperi rectificati quantum sufficit, seu ad quinque circiter digitorum eminentiam. Fiat extractio, & tinctura filtrata servetur.

EST medicamentum diureticum & stomachale, in calculo, nephritide pituitosa, dysuria, ventriculi debilitate, adfectibus flatulentis &c., a drachma una ad unciam dimidiam propinan-

pinandum. Si loco ſpiritus vini ſuperfunditur vinum malvaticum, dicitur *malvaticum juniperinum*, &, ob indolem temperatiorem & ſaporis ſuavitatem majorem, ad plura cochlearia exhiberi poteſt.

ESSENTIA LIGNORVM

REC. Raſuræ ligni ſancti uncias tres, ſantalorum omnium ana unciam unam, ligni ſaſſafras uncias duas, ligni aloes, rhodii ana unciam ſemiſſem, pulveris radicum chinæ, ſarſaparillæ ana unciam unam. Mixta irrorentur ſpiritu vini tartariſato, poſteaque ſpiritus fumariæ cum ſpiritu vini paratus ad quatuor digitorum eminentiam adfundatur, & eſſentia, peracta digeſtione, expreſſa & filtrata ſervetur.

HOC medicamentum maxime commovendo, reſolvendo ac diſcutiendo agit, & multas impuritates, ſanguini ac lymphæ inhærentes, dum ſudorem valide movet, e corpore educit. Hinc frequentiſſime quoque in catarrhis frigidis, rhevmatiſmis, tumoribus glandularum, cachexia, adfectibus ſcabioſis, maxime autem in lue venerea, ejusdemque ſymptomatibus aut prodromis, ut gonorrhœa virulenta, bubonibus, phimoſi, &c., præſcribitur. Datur a guttis 30. ad 40. 50. 60.

ESSENTIA MYRRHÆ

REC. Myrrhæ rubræ electæ, ſubtiliſſime tritæ uncias quatuor, ſpiritus vini tartariſati uncias

uncias octo vel decem. Fiat in maris vel arenæ balneo extractio, eademque peracta tinctura filtretur. Si myrrha pulveriſata ante ſpiritus vini adfuſionem alcaheſt Glauberi irroratur, & cum eo probe teritur, adeo ut ſpumida evadat, citius deinde recluditur, & eſſentia quoque colorem rubrum longe ſaturatiorem conſequitur. Salia alcalia enim partes gummeo-reſinoſas myrrhæ, ut & inflammabiles ſpiritus magis expandunt, adeoque rubedinem exaltant; quemadmodum hoc liquido patet, quando eſſentiæ myrrhæ, ſpiritu vini rectificatiſſimo ſimplici, & abſque ſalis alcalici additione e ſola myrrha paratæ, aliquot guttulæ tincturæ cujusdam alcalicæ inſtillantur: Illico enim, facta miſcela, color flavus, vel pallide rubicundus ſaturatior evadit, & flavus mutatur in rubicundum. Nonnulli hanc & ſimiles eſſentias abſque ſale alcalico parare jubent, ut externo uſui vulnerario aptior ſit. Teſtantur quoque hi ipſi, eſſentiam myrrhæ ſaturatam, ſive cum ſale alcalico, ſive abſque illo elaborata fuerit, eandem extracti gummeo-reſinoſi quantitatem, ſi utraque ſub æquali portione ſeorſim evaporationi ſubjiciatur, relinquere. Pro mea ſententia utroque modo elaboratam adſervare præſtabit, quoniam in aliis caſibus mere gummeo-reſinoſa, in aliis autem gummeo-reſinoſo-alcalica ſeſe melius commendat.

ESSEN-

ESSENTIA hæc, ob insignem virtutem balsamicam & amaritiem, ventriculum debilem confortat, vermes necat, bilem viscidam & inertem corrigit, cruditates putridas destruit, sanguinem, ob valde calidam indolem, commovet & expandit, diaphoresin movet, menses, fœtum & secundinas pellit, & vulnerum atque ulcerum consolidationem adjuvat, si interne a guttis 15. ad 20. 30. propinetur. Externe quoque, quando nimirum absque sale alcalico parata fuit, in ulceribus atque vulneribus depurandis atque consolidandis usum præstat egregium, præsertim, si cum essentia succini, pariter citra salis alcalici additionem extracta, ut & balsamo peruviano misceatur. Prostat etiam in officinis *essentia myrrhæ cum spiritu salis ammoniaci vinoso facta*, quæ majores vires tonicas possidere, & specifice in adfectibus catarrhalibus, tussi, raucedine, coryza, chlorosi seu cachexia virginum, &c., prodesse creditur. Datur a guttis 5. ad 10. 15. 20.

TINCTVRA LACCÆ

REC. Gummi laccæ selecti & in pulverem redacti unciam unam, aluminis crudi unciam dimidiam. Misce & adfunde aquæ pluvialis, aut fontanæ simplicis vel destillatæ uncias sex, parumque bulliendo solve gummi & alumen, atque refrigeratis postea aquæ salviæ, & rosarum ana uncias duas adde, & tincturam filtratam serva.

HÆC

HÆC tinctura externum tantummodo usum habet, & per se, vel cum syrupo quodam, aut melle rosato in laxitate, cruentatione, & scorbutica putredine gingivarum linteo penicillo illinitur, vel etiam inter gargarismata recipitur.

TINCTVRA FLORVM PAPAVERIS ERRATICI

REC. Florum papaveris rhoeados sive erratici siccatorum manipulum unum, roris vitrioli uncias quinque, vel, hoc deficiente, aquæ florum rhoeados, dimidia drachma spiritus vitrioli imprægnatæ, uncias quinque. Mixta digerantur per viginti quatuor horas, & tinctura valide expressa filtretur.

ALIQVA virtute temperante & subadstringente pollet, & proinde in febribus ardentibus, biliosis, aliisque, nec minus in tertiana intermittente, ebullitione bilis & sanguinis expansione orgastica vel per se, a drachma una ad duas, exhibetur, vel potulentis, ab uncia una ad integram, infunditur. Simili modo etiam parantur *Tincturæ aqueo-acidulæ florum aquilegiæ, bellidis, rosarum rubrarum, violarum, & anagallidis flore miniato.* Tincturæ rosarum rubrarum, aquilegiæ, bellidis & violarum iisdem quoque viribus instructæ sunt, præterquam, quod tres posteriores subadstringente virtute destituantur; quod tincturam anagallidis autem attinet, illa in phrenitide & mania simul specifica creditur.

ESSEN-

ESSENTIA SIVE TINCTVRA RHABARBARI

REC. Pulveris rhabarbari orientalis optimi unciam dimidiam, ſalis tartari drachmam unam cum dimidia, aquæ cinnamomi bugloſſatæ vel borraginatæ, aut cichorii uncias tres. Fiat extractio in loco calido, & tinctura extracta deinde filtretur.

HÆC tinctura ſeu eſſentia, quam alii etiam *animam rhabarbari* vocant, partibus rhabarbari ſalino-gummeis imprægnata eſt, adeoque doſi majori, h. e. ad unum vel alterum cochlear propinata, alvum blande ſubducit, minori autem doſi, h. e. a guttis 30. ad 40. 50. 60. 70. exhibita, reſolvit, abſtergit, & urinam movet. Præſtantior intuitu virium memoratarum redditur, ſi rhabarbaro loco ſalis tartari alcalici cremor aut cryſtalli tartari addantur.

ESSENTIA SEMINIS SANTONICI COMPOSITA

REC. Pulveris ſeminis Santonici unciam unam, florum tanaceti, hyperici, perſicorum ana pugillos duos, radicum diptamni albi drachmas duas, vitrioli martis ad albedinem calcinati, drachmam unam, florum vitrioli veneris, a ZWELFFERO *Mantiſſ. ſpag. P. I. cap. 4.* circa finem deſcriptorum drachmam ſemiſſem, ſpiritus vini optimi, vini Hiſpanici ana uncias quatuor. Digerantur in arena calida

lida per octiduum, & eſſentia, poſtea expreſſa & per chartam bibulam trajecta, ſervetur.

COMMENDATVR hæc eſſentia ad vermes inteſtinorum expellendos, & longe melior futura eſſet, ſi, vitriolo martis albo & vitrioli veneris floribus, ceu ingredientibus inutilibus in hoc paſſu, ac minus ſelectis, plane rejectis, conficeretur. Datur a guttis 20. ad 30. 40. 50. 60., eidemque plerumque laxans quoddam remedium ſubjungitur.

ESSENTIA SVMMITATVM PINI ET ABIETIS

REC. Turionum pini ſylveſtris quantum placet, coquantur in ſ. q. aquæ fontanæ aut pluvialis per unam vel alteram horam. Decoctum coletur, & poſt aliquam digeſtionem ad extracti conſiſtentiam evaporando redigatur, poſteaque, adfuſa ſufficienti ſpiritus cochleariæ vinoſi quantitate, denuo in eſſentiam digeſtionis ope ſolvatur. Vel: Rec. Conulorum abietis tenerrimorum, colore rubro adhuc præditorum, uncias duas: Contuſis ſpiritus cochleariæ vinoſi unciæ octo ſuperfundantur, & eſſentia, poſt digeſtionem, per biduum circiter protractam, exprimatur, filtretur atque adſervetur.

VIRES antiſcorbuticas non contemnendas poſſidet, ſive ex conulis abietis, ſive turionibus pini

pini parata fuerit. Interne datur a guttis 20. ad 30. 40. 50. Externe nonnunquam gargarismata & electuaria, in scorbuto oris, atque gingivarum cruentatione adhibenda, ingreditur.

ESSENTIA STOMACHICA OFFICINALIS

REC. Radicum calami aromatici, galangæ minoris, ireos Florentinæ, zedoariæ, zingiberis albi, cardamomi minoris, cubebarum, ligni aloes optimi ana drachmam unam, cinnamomi drachmas duas, flavedinis corticum citri drachmas tres. Grossiuscule concisis & contusis spiritus vini rectificatus ad aliquot digitorum transversorum eminentiam adfundatur, & essentia extracta, atque per chartam bibulam filtrata, ad usum reponatur.

EST selectum remedium roborans stomachale, & ideo sæpissime in adpetitus & digestionis vitiis, ut & in adfectibus flatulentis, quoties scilicet a tunicarum ventriculi & intestinorum laxitate, & cruditatibus acido-pituitosis ac mucidis primario oriuntur, itemque in febribus intermittentibus, diarrhœis mucidis, & colluvie verminosa &c., præscribitur. Exhibetur vel ante pastum, vel statim post pastum, aut alio etiam tempore a guttis 30. ad 40. 50. 60.

ESSENTIA SPLENETICA

REC. Radicum filicis maris, graminis ana unciam unam cum dimidia, helenii, polypodii querni ana unciam unam, seminis anisi, cochleariæ ana drachmas duas, fraxini, genistæ, ana unciam semissem, nasturtii drachmam unam cum dimidia, spiritus vini, super anaticas fumariæ & cuscutæ partes abstracti, quantum satis. Fiat more consueto digestio, expressio, atque filtratio.

MVLTIS quidem hæc essentia ingredientibus gaudet, at paucissima menstruo spirituoso singulare communicant principium activum. Vulgo in obstructione splenis, malo hypochondriaco, & scorbuto specifice prodesse creditur; verum, pro meo judicio, non adeo multum auxilii in morbis memoratis ab ea exspectandum erit. Datur a guttis 30. ad 40. 50.

AQVA VITÆ STOMACHICA EXTERNA

REC. Radicum calami aromatici, galangæ, zedoariæ, zingiberis ana drachmam unam, foliorum menthæ, sem. carvi, cumini, fœniculi ana drachmam dimidiam, cardamomi majoris, caryophyllorum, piperis longi, nigri ana scrupulum unum, theriacæ Andromachi drachmas duas, spiritus vini rectificatissimi libras duas. Fiat more consueto infusio & extractio, posteaque tinctura filtrata servetur.

DICITVR quidem *aqua vitæ stomachalis*, ast vera est *essentia*, quæ, licet ordinario usui dun-

taxat externo deſtinata videatur, interne & externe roborandi & diſcutiendi fine adhiberi poteſt. Interne a guttis 40. ad 50. 60. in cardialgia & colica flatulenta, diarrhœa mucidoſeroſa, adpetitu imminuto, ac debili digeſtione propinatur; externe autem in iisdem adfectibus, ut & in dyſenteria, cholera, torminibus ventris, hypercatharſi, &c., ſcrobiculo cordis & abdomini inungitur.

AQVA VITÆ STOMACHALIS RVBRA

REC. Radicum calami aromatici uncias quatuor, florum anthos, lavendulæ, majoranæ ana drachmam dimidiam, corticum aurantiorum drachmam unam cum dimidia, cort. citri, cardamomi majoris, granorum paradiſi, nucis moſchatæ ana drachmas duas, cinnamomi unciam unam, cardamomi minoris, caryophyllorum, galangæ ana drachmas tres, cubebarum, ligni ſaſſafras, macis ana drachmam unam cum dimidia, ligni ſantali rubri, uncias tres, ſpiritus vini rectificati libras ſex. Fiat infuſio & extractio, poſteaque tinctura expreſſa filtretur.

HÆC aqua, ſeu rectius, eſſentia ſtomachalis, per ſantalum rubro colore tincta, cum præcedente, quoad naturam, vires & uſum, convenit, præterquam, quod, præter vires ſtomachales & carminativas, etiam nervinas & cephalicas poſſideat, adeoque in frigidis pariter capitis adfectibus, ut & in paralyſi, &c., interne & externe ſubinde uſurpari queat.

TINCTVRA TARTARI

REC. Salis tartari, e ſolo tartaro vini rubro aut albo calcinatione parati, quantum placet, funde illud in crucibulo candente, donec colorem ex viridi-cœruleſcentem induat; quo viſo, ſali exemto, & prius in mortario calefacto contuſo, ſpiritum vini dephlegmatiſſimum, ad aliquot digitorum eminentiam, adfunde, & digeſtionis fortioris atque aliquantulum protractæ beneficio tincturam extrahe. Alii loco ſpiritus vini rectificatiſſimi modice ſaltem rectificatum ſuperfundere jubent, ut phlegma, eidem adhuc inhærens, eo plus ſalis tartari alcalici ſolvat, et in poros recipiat: Nonnulli quoque pauxillum pulveris carbonum fluenti ſali tartari inſpergunt, ut phlogiſton in iis contentum, & facta colliquefactione reſolutum, menſtruo ſpirituoſo ſaturatiorem colorem rubrum conciliet, qui alias, ſi ſcilicet ſpiritus dephlegmatiſſimus receptus fuerit, unice a phlogiſtis ſpiritus vini partibus, per alcali concentratum & ab igne ſicciſſimum ſub digeſtione expanſis, unice derivandus eſt.

DIFFERENTIA quædam, reſpectu naturæ & virium, intercedit tincturam tartari, cum alcohole paratam, & tincturam eandem, ſpiritu vini modice ſaltem rectificato extractam. Hæc enim multas, illa paucas particulas ſalino alcalicas in poris fovet reconditas, & poſterior quoque, ob cauſſam memoratam, majorem virturem antacidam & diureticam poſſidet. Specialius cæteroquin hæc æque atque illa proficua creditur in morbis chronicis, qui dyſcraſiæ humorum lentæ, viſcidæ & acido-tartareo-mucidæ præcipuam debent originem, cujus cenſus v. g. ſunt adfectus cachectici, ſcabioſi, rhevmatici frigidi, catarrhales, fluor albus mulierum, nephritis pituitoſa, calculus, &c. Quicquid enim ejusmodi medicamina efficiunt, partim, ob menſtruum ſpirituoſum inflammabile, diſcutiendo, partim, ob inhærentes particulas fixas alcalicas, acidum deſtruendo, præſtant. Dantur a guttis 20. ad 30. 40. 50.

TINCTVRA TERRÆ JAPONICÆ

REC. Terræ Japonicæ purioris unciam unam, ſpiritus vini aliquantulum duntaxat rectificati uncias ſex. Fiat digeſtionis ope extractio, & tinctura filtrata ſervetur ad uſum.

TERRA Japonica, ſeu rectius, *ſuccus inſpiſſatus Caatchu*, ceu concretum vegetabile maxima ex parte gummoſum, ad ſui ſolutionem ſolummodo ſpiritum vini modice rectificatum poſtulat, & tinctura inde reſultans meras propemodum partes gummoſas continet ſolutas: Quæ enim intermixtæ ſunt particulæ reſinoſæ, ob quantitatem exiguam vix annotationem merentur. Virtute cæteroquin hoc medicamentum pollet valide adſtringente, & præ reliquis ideo in morbis, in quibus adſtringentia tuto propinari poſſunt, locum invenit. Datur a guttis 10. ad 20. 30. Externe gargariſmatibus & electuariis, in laxitate gingivarum, vacillatione dentium, & ſcorbuto oris adhibendis, nec minus liquoribus ſtypticis miſcetur.

ESSENTIA THERIACALIS

REC. Theriacæ Andromachi mediæ ætatis unciam unam, ſpiritus vini rectificati libram dimidiam. Digerantur, & tinctura, peracta extractione, filtretur.

QVANQVAM ſpiritus vini ſingula theriacæ ingredientia ſolvere nequeat, ſat activis nihilominus hæc eſſentia inſtructa eſt principiis, & alexipharmacas cumprimis, diaphoreticas & anodynas vires exſerit; unde fit, ut ſæpe in febribus, inflammationibus, adfectibus ſcabioſis, rhevmaticis, catarrhalibus, & cachecticis, aliisque, per diaphoretica & purificantia curandis, præſcribatur. Exhibetur a guttis 30. ad 40. 50. 60.

ESSENTIA VTERINA COMPENDIOSIOR

REC. Radicum bryoniæ ſiccatarum, baccarum ſambuci recenter calore leni ſiccatarum, ana drachmas duas, foliorum ſelectorum ac rite ſiccatorum artemiſiæ, diptamni Cretici, matricariæ, pulegii, rutæ, ſabinæ ana unciam dimidiam, corticum aurantiorum ſiccatorum unciam unam cum dimidia, myrrhæ, caſtorei ana drachmas tres, croci drachmam unam, ſpiritus vini rectificati libras quatuor. Digerantur, & tinctura extracta filtretur.

PROPINATVR a guttis 30. ad 40. 50. in ſuppreſſione menſium, lochiorum, retentione ſecundinarum, partu difficili, & malo hyſterico, a cauſſa frigida primario pendente. Præſtat adhuc alia in officinis, quæ, ob ingredientium multitudinem, minus ſelecta cenſetur.

ESSENTIA TRAVMATICA

REC. Aloes hepaticæ, myrrhæ rubræ electæ, ſuccini flavi ana unciam dimidiam, macis, cinnamomi ana drachmas duas, croci orientalis drachmam dimidiam, balſami peruviani drachmam unam cum ſemiſſe, ſpiritus vini rectificati uncias octo. Digerantur per aliquot dies, poſteaque tinctura decantata adſervetur.

EGRE-

EGREGIVM medicamentum ſtomachale, ſanguinem purificans & vulnerarium eſt, tum interne a guttis 20 ad 30. 40. propinatum, tum externe, balſami vel unguenti loco, ulceribus, vulneribus, & oſſibus carioſis adplicatum; immo in ipſo ſphacelo, ſi cum ſpiritu camphoræ & ſalis ammoniaci decenti quantitate miſceatur, miros ſubinde effectus præſtat. Frequentem quoque hinc inde uſum *Tinctura travmatica* WEDELII obtinuit, quæ ita præparatur: Rec. Mumiæ, ſanguinis Draconis ana unciam unam, terræ catechu, myrrhæ, radicis tormentillæ ana unciam dimidiam, florum roſarum rubrarum, hyperici ana drachmas duas, ſantali rubri drachmas tres, nucis moſchatæ drachmam unam. Inciſa & contuſa extrahantur cum ſpiritu vini tartariſato & ſpiritu hyperici, poſteaque tinctura extracta filtretur. Hæc tinctura non tantum balſamicis, ſed ſtypticis quoque principiis imprægnata eſt, hinc maxime etiam adſtringendo agit, & in hæmorrhagiis exorbitantibus a guttis 20. ad 30. 40. 50. exhibetur, niſi forſan expanſio ſanguinis orgaſtica, aut vaſorum obſtructio præternaturali ſanguinis profluvio anſam præbeat.

MIXTVRA SIMPLEX

REC. Spiritus theriacalis camphorati uncias quinque, ſpiritus tartari rectificati uncias duas, ſpiritus vitrioli rectificati unciam unam. Mixta triduum in vitro probe clauſo digerantur. Nonnulli mixturam hanc deſtil-

lare, & hac ratione *mixturam ſimplicem rectificatam* parare jubent: Aſt valde errant; non rectificata enim mixtura ſimplex, ſed ſingularis ſpiritus, liquori anodyno minerali non diſſimilis, & virtutibus ab ordinaria mixtura ſimplici ſatis diſtinctus, inde reſultat.

MIXTVRA ſimplex ordinaria eſt ſatis bonum medicamentum temperans, antiputredinoſum, diaphoreticum, bezoardicum, & ſtomachale, quod frequentiſſime, prægreſſa forti iracundia, ad bilem fervidam contemperandam, nec minus in febribus acutis & malignis, in quibus exanthematum eruptio exſpectanda, aut putredinoſa ſanguinis reſolutio metuenda eſt, itemque in imminutione & dejectione adpetitus, præſertim apud ſubjecta biliosa cholerica, præſcribitur. Ordinario a guttis 30. ad 40. 50. 60., vel in aqua quadam temperante aut diapnoica, vel etiam cum ſyrupo quodam exhibetur.

ELIXIRIVM ANTIFEBRILE MYNSICHTI

REC. Radicum ariſtolochiæ rotundæ, calami aromatici, oſtrutii, tormentillæ, zedoariæ ana unciam dimidiam, herbarum abſinthii, cardui benedicti, centaurii minoris ana manipulos ſex, quinquefolii, rutæ ana manipulos tres, ſeminis hyperici drachmas duas, ſalis abſinthii, cardui benedicti, centaurii minoris ana unciam dimidiam, camphoræ drachmam unam, tartari vitriolati drachmam unam cum dimidia. Pulveriſata & mixta extrahantur ſpiritu vini optimo, vel rectius ſpiritu vini modice ſaltem rectificato, ut addita ſalia quoque ſolvantur. Spiritus, poſt aliquam digeſtionem tinctus, decantetur, ac toties recens adfundatur, donec eſſentia penitus extracta ſit; Quo facto, ſpiritus tincti confundantur, &, dimidia parte in arenæ balneo abſtracta, tinctura relicta concentratior filtretur & adſervetur.

INVENTOR MYNSICHTVS huic elixirio inſignem vim antifebrilem tribuit, & ideo illud, purgato prius corpore, a drachma una ad duas, inſtante paroxyſmo, propinare jubet. Agit roborando, ſubadſtringendo, diſcutiendo, & aliquantulum etiam, ſi ſalia, recepto ſpiritu vini modice ſaltem rectificato, ſoluta fuerint, incidendo & abſtergendo: Hinc etiam, non tantum in febribus intermittentibus, ſed in aliis quoque morbis, v. g. debilitate ventriculi, prava digeſtione, ictero chronico, incipiente aſcite, cachexia, œdemate pedum, nephritide pituitoſa, obſtructionibus hepatis & lienis, &c., ſubinde uſum invenire poterit, ſi forſan ſelectiora remedia, quibus accenſeri nequit, deficiant.

ELIXIRIVM ANTIPESTILENTIALE CROLLII

REC. Florum ſulphuris uncias tres, adfunde iis oleum baccarum juniperi genuinum,

num, ad trium vel quatuor digitorum eminentiam, olei ſuccini, ab odoris vehementia terna rectificatione liberati quartam reſpectu olei juniperini partem. Mixta digerantur in arena calida, donec flores ſulphuris penitus ſoluti ſint. Deinde recipe theriacæ electæ libram unam, extrahe cum ſpiritu vini rectificatiſſimo omnem tincturam, &, aliqua ſpiritus parte in cucurbita abſtracta, eam ſerva. Tandem recipe radicum angelicæ, helenii, baccarum juniperi contuſarum ana uncias tres, & cum eodem vini ſpiritu tincturam extrahe, poſteaque hanc & priorem cum balſamo ſulphuris juniperino-ſuccinato, per chartam bibulam prius trajecto, miſce, atque ſingulorum unionem leniſſima digeſtione, per quatuordecim protrahenda dies, adjuva.

ELIXIRIVM hoc, quod nihil aliud eſt, niſi balſamus ſulphuris juniperino-ſuccinatus, duplici tinctura, altera theriacali, altera bezoardica compendioſiori dilutior redditus, ſudorem & urinam, ob indolem ſuam valde calidam, fortiter movet. CROLLIVS illud in peſte ſpecifice prodeſſe credidit, & ægro, febre peſtilentiali jam correpto, ſcrupulum unum vel duos, initio maxime morbi, cum vino aut aceto rutaceo exhibere juſſit: Aſt vereor, ne calidum hoc medicamentum in peſte, ubi ſemper putredinoſa humorum reſolutio adeſt, ſæpius noceat, quam proſit. Pro mea ſententia ſecurius in morbis frigidis, ex craſſa impuritate, & pituitoſo-tartarea humorum dyſcraſia, humida partium ſolidarum laxitate ſtipata, promanantibus, v. g. in adfectibus cachecticis, œdematoſis, catarrhalibus, aſthmate pituitoſo, ſcabie humida, gonorrhœa virulenta, nephritide ſabuloſo-mucida, &c., ad paucas guttas propinari poterit.

ELIXIRIVM PROPRIETATIS HELMONTII ALBVM

REC. Aloes lucidæ optimæ, croci orientalis optimi, myrrhæ electæ ana unciam unam. Aloe & myrrha in ſubtilem redigantur pulverem, crocus autem groſſiuſcule ſaltem conquaſſetur, & mixta deinde in cucurbita vitrea, arenæ humidæ impoſita, ac probe alembico ſuo clauſa, igne leniori tamdiu digerantur, donec guttulæ flavæ vitri lateribus hinc inde adhærere incipiant; quo viſo, aquæ cinnamomi ſpirituoſæ libra una adfundatur, &, denuo præmiſſa leni digeſtione, ſpiritus ſecundum artem e cucurbita deſtilletur.

RECTIVS hoc medicamentum *aqua ſpirituoſa*, quam *elixirium concentratum* dicitur. Aqua cinnamomi, quæ menſtrui loco recipitur, integram myrrham & aloen, quæ, præter gummoſum principium, multis quoque partibus reſinoſis gaudent, ſolvere nequit, multo minus

nus partes resinosas & gummosas, quibus præcipua tamen virtus ingenita est, secum per alembicum in recipiens ducere valet. Quare, cum tenerioribus duntaxat moleculis oleoso-balsamicis imprægnata sit, leniorem solummodo virtutem discutientem, diapnoicam & nervinam exserit. Quod autem, perhibente inventore HELMONTIO, febres intermittentes, præprimis quartanas, certissime profligare valeat, fidem, me judice, vix mereri videtur. Datur a guttis 40. ad 50. 60. 100.

ELIXIRIVM PROPRIETATIS PARACELSI CVM ACIDO

REC. Aloes soccotrinæ, myrrhæ ana uncias duas, croci unciam unam. Aloe & myrrha in pulverem redigantur subtiliorem, & posterior spiritu sulphuris, vel, quod præstat, aceto vini simplici aut destillato irroretur, ut fiat instar pastæ, tum utrique crocus conquassatus jungatur, &, vini spiritu ad trium digitorum transversorum eminentiam prius superfuso, elixirium digestionis ope extrahatur, extractum decantetur, &, recenti semper spiritu adfuso, extractio toties reiteretur, donec species principiis solubilibus & activis penitus spoliatæ sint: Quo facto, tincturæ omnes misceantur, filtrentur, & elixirium servetur. Alii, quorum methodus

thodus mihi magis arridet, spiritum sulphuris aut vitrioli non ipsis speciebus adfundere, sed elixirio filtrato demum miscere jubent, ne acidum gravius solvenda resinosa quasi comburat, & eorum proinde resolutionem impediat.

VENTRICVLVM laxum & viscera debilia roborando, adpetitum excitat, digestionem promovet, obstructiones hepatis, lienis, &c., reserat, sanguinem purificat, menses, hæmorrhoides, fœtum & secundinas pellit, &, ob amaram quoque atque balsamicam indolem, vermes enecat. HELMONTIVS huic elixirio usum fere panchrestum tribuit, & in scorbuto cumprimis ac peste magnis illud ipsum laudibus extollit: Sed caveamus, ne in hoc passu nimis creduli simus. Non penitus quidem usum ejus in morbis memoratis improbare audeo, credo tamen longe tutiora atque præstantiora prostare remedia. Datur a guttis 30. ad 40. 50. Præter elixirium proprietatis cum acido, in officinis adhuc aliud prostat, quod *Elixirium proprietatis sine acido* vocatur, & ita præparatur: Rec. myrrhæ electæ, aloes soccotrinæ, croci optimi in subtilissimum pulverem redactorum ana quantum placet. Irrorentur oleo tartari, per deliquium parato, ut, accedente tritura, pultaceam consistentiam adquirant. Huic massæ, leni viginti horarum digestione præmissa, spiritus vini rectificatissimus, ad quatuor digitorum transversorum eminentiam, adfundatur,

datur, & elixirium, ope digeſtionis per quatuordecim dies protractæ, in vaſe exactiſſime clauſo extrahatur Si cuivis unciæ hujus elixirii drachma una ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſi miſcetur, virtus diſcutiens & diaphoretica exaltatur, & illud ipſum *Elixirium proprietatis dulce volatile* dicitur. Prius elixirium, quod absque acido & ſpiritu ſalis ammoniaci paratum fuit, quoad vires medicas cum altero, cui acidum quoddam additur, convenit, præterquam, quod calidiori adhuc indole polleat, & inſigne quoque medicamentum travmaticum externum, cum linteo carpto ulceribus & vulneribus adplicandum, ſuppeditet. Melius tamen adhuc, intuitu ultimi uſus, exiſtit, ſi ſub præparatione etiam ſal alcali exulet.

ELIXIRIVM PROPRIETATIS ANTISCORBVTICVM

REC. Aloes ſoccotrinæ, myrrhæ ana unciam unam, croci unciam ſemiſſem, ſpiritus vini tartariſati uncias ſedecim, ſpiritus ſalis dulcis uncias octo, ſpiritus cochleariæ uncias quatuor. Mixta digerantur, & eſſentia poſt extractionem & filtrationem ſervetur.

VENTRICVLVM confortat, adpetitum ſuſcitat, digeſtionem promovet, flatus diſcutit, & in ſcorbuto pariter vires non contemnendas exſerit. Exhibetur a guttis 30. ad 40.

ELIXI-

ELIXIRIVM VITÆ MATHIOLI CVM MOSCHO ET AMBRA

REC. Radicum angelicæ, calami aromatici, caryophyllatæ, valerianæ, fol. recentium calaminthæ, majoranæ, menthæ, pulegii, ſclareæ, ſerpilli, thymi, ana drachmas duas, roſarum rubrarum drachmas tres cum ſemiſſe, florum betonicæ, borraginis, bugloſſi, rorismarini, ſalviæ, ſtœchados ana drachmam unam cum dimidia, ſeminis aniſi, fœniculi, ocymi, paſtinacæ ſylveſtris ana drachmas duas, melanthii ſativi ſive nigellæ hortenſis, corticum citri extimorum ana drachmas tres, ligni aloes drachmam unam, ſantali citrini unciam unam cum ſemiſſe, cinnamomi drachmas decem, cardamomi utriusque ana drachmas tres cum dimidia, caryophyllorum, galangæ, nucis moſchatæ ana drachmas tres, macis drachmas duas, cubebarum drachmam unam, zedoariæ, zingiberis ana drachmas quinque. Pulveriſata & tenerrime conciſa infundantur in libris duodecim ſpiritus vini rectificatiſſimi, digerantur quatuordecim dies, & deinde, alembici roſtro prius inſertis ſcobis ligni ſantali citrini drachma una & ſemiſſe, ambræ gryſeæ, moſchi ana drachma dimidia, in maris balneo

deſtil-

deſtillentur. Si moſchus & ambra omittuntur, cujus odorem multi multæque perferre nequeunt, uſum obtinet ampliorem, & *Elixirium vitæ Mathioli ſine moſcho & ambra* dicitur.

HOC medicamentum, quod multis particulis oleoſo-ſpirituoſis aromaticis & balſamicis impræ gnatum eſt, rectius inter ſpiritus, quam elixiria, collocatur, & virtute nervina, cephalica & diſcutiente non contemnenda pollet, præſertim, ſi absque ambræ & moſchi additione, quorum principia nimis vaporoſa multis adverſa ſunt, paratum fuerit. Laudatur in ſpecie in epilepſia cacochymica, paralyſi, lipothymiis, apoplexia pituitoſa, vertigine, debilitate memoriæ, imbecillitate viſus, aphonia, &c., & interne a guttis 40. ad 50. 60. 70. exhibetur, externe autem capiti inſtillatur, aliisque partibus, ſub linimenti aut epithematis forma, adplicatur, immo interdum clyſteribus carminativis, ad unciam dimidiam vel integram, additur: Cavendum ſaltem, ne illud, ſi moſchus & ambra acceſſerint, clysmatibus, apud hyſtericas injiciendis, miſceatur. Saporis gratia ſacharo aut julepo roſarum ſubinde edulcoratur, & tunc interne etiam doſi majori porrigitur.

ELIXIRIVM VITRIOLI MYNSICHTI

REC. Calami aromatici unciam unam, caryophyllorum, cinnamomi electi ana drachmas tres, cubebarum, nucis moſchatæ ana drachmas duas, galangæ minoris unciam unam cum ſemiſſe, cort. citri, ligni aloes ponderoſi ana drachmam unam, menthæ criſpæ, ſalviæ acutæ, zingiberis albi ana drachmas tres, ſachari albiſſimi uncias tres. Inciſis & contuſis adfundantur ſpiritus vini rectificati unciæ octo, digerantur quatuordecim dies, poſteaque addantur ſpiritus vitrioli unciæ quatuor, & elixirium, nova per octiduum præmiſſa digeſtione, filtretur.

MILITAT hoc elixirium inter ſatis bona ſtomachalia & carminativa, in dyſorexia, dyſpepſia, ardore ventriculi, cardialgia, colica, &c. exhibenda, nec ſpernendum quoque in epilepſia ſubinde erit remedium. Datur a guttis 15. ad 20. 30.

ELIXIRIVM VTERINVM CROLLII

REC. Caſtorei libram ſemiſſem, croci uncias duas. Vtriusque tinctura ſeorſim extracta, deſtillando, ſive abſtrahendo ſpiritum, ad extracti conſiſtentiam redigatur, iisdemque poſtea mixtis extracti artemiſiæ unciæ quatuor, ſalis matris perlarum uncia una, oleorum deſtillatorum angelicæ, aniſi, ſuccini ana drachmæ duæ addantur. Olea ante miſcelam in ſpiritu præcedente, a croco &

castoreo abstracto, solvuntur, & elixirium, facta deinceps commixtione, octiduum digeritur, tandemque per chartam bibulam filtratur.

PERTINET ad uterina & anthysterica, & a guttis 20. ad 30. 40. 50. propinatur. Exulare potest sal matris perlarum, & elixirium eosdem nihilominus effectus præstabit.

* * * * * * * * * * * * * *

CAPVT II

DE

BALSAMIS LIQVIDIS

§. I

BALSAMI LIQVIDI sunt liquores oleoso-spirituosi inflammabiles, essentiis, tincturis & elixiriis valde analogi, & ordinario, si ex oleis suaveolentibus nervinis & cephalicis parati fuerint, *balsami vitæ* vocantur.

§. II

AD HVJVSMODI medicaminum compositionem tria, videlicet *solventia*, *solvenda*, & certa quædam *additamenta*, quæ solutionem, & arctiorem solutorum cum menstruo unionem adjuvant, requiruntur. Ad solventia usitatiora spectant *spiritus vini simplex dephlegmatissimus*, *spiritus vini tartarisatus*, aut

aut *super species balsamicas* & *aromaticas semel vel aliquoties abstractus*, ut & *spiritus vitrioli perfecte dulcificatus*, sive sic dictus liquor mineralis anodynus. Inter solvenda autem militant olea destillata ætherea, genuina tamen atque recentiora, v. g. *oleum melissæ*, *menthæ*, *majoranæ*, *thymi*, *lavendulæ*, *spicæ*, *ligni rhodini*, *cinnamomi*, *caryophyllorum*, *rorismarini*, *nigellæ*, &c., nec minus balsami nonnulli naturales, ut *balsamus Peruvianus*, *de Copaiva*, *de Tolu*, *de Mecha*, &c., itemque, ad augendam odoris fragrantiam, *zibethum*, *moschus* & *ambra*. Quod denique additamenta attinet, illis *sacharum Canariense pulverisatum: cineres clavellati depurati*, & *sal tartari*, tum *ordinarium*, tum *extemporaneum*, ut & *nitrum fixum siccissimum* adnumerantur.

§. III

QVANTITAS spiritus, certæ quantitati oleorum aut balsamorum naturalium adfundendi, a chymici quidem arbitrio dependet, ordinario tamen, ut balsamus justam consequatur consistentiam, ad unam partem oleorum, &c., decem duntaxat aut duodecim spiritus partes recipiuntur. Sedulo quoque prospiciendum erit, ut ambra, zibethum, & moschus balsamos hosce modica saltem quan-

titate ingrediantur, ne fragrantia eorum nimia multis moleſta ſit, & uſum apud fœminas hyſtericas, &c., plane interdicat.

§. IV

NONNVLLI, facta oleorum ſolutione perfecta, balſamos hoſce deſtillationi in cucurbita humiliori, arenæ imponenda, ſubjiciunt, & ſpiritum balſamicum, ſubſtrato igne moderato evocatum, reſiduo ſpiſſiuſculo iterum adfundunt, idemque lenioris digeſtionis ope denuo ſolvunt. Verum, quum ſub deſtillatione, licet commiſſuræ arctiſſime etiam clauſæ fuerint, multæ partes odoratæ ſpirituoſæ in auras abeant, & reſiduum oleoſum ſpiſſiuſculum facile præterea leve empyreuma contrahat, totam præparationem ſola digeſtione protracta abſolvere præſtabit.

§. V

MEDICAMENTA hæc, ob principia ſpirituoſo-oleoſa valde calida, ſubſtantias inflammabiles in ſanguine non tantum adventu ſuo & miſcela ſubſtantialiter augent, ſed fortiter etiam expandunt ac commovent, partes ſolidas exſiccant, roborant, & notabili ardore, quem iis imprimunt, ad celeriores ac fortiores contractiones ſtimulant, adeoque etiam circulum & influxum humorum vividiorem reddunt,

reddunt, calorem intendunt, & ſe- & excretiones, præprimis peripheriçam, promovent. Optime proinde conducunt ſubjectis frigidi & phlegmatici temperamenti, atque ſenilis inſuper ætatis; tutius quoque atque egregium auxilium præſtant in morbis, a ſolidorum laxitate humida, atonia, imbecillitate generis nervoſo-membranacei, & mucida, craſſa, tartarea humorum indole, ac lento per vaſa progreſſu primario pendentibus, v. g. in debilitate memoriæ, adfectibus ſoporoſis, apoplexia pituitoſa, vertigine, paralyſi membrorum, laxitate ligamentorum, epilepſia cacochymica, hemicrania & cephalalgia chronica atque rebelli, imbecillitate viſus, ac ſenſuum reliquorum hebetudine, aut plenaria abolitione, itemque in aſthmate pituitoſo-cachectico, lipothymia, debilitate ventriculi & inteſtinorum, adeoque etiam in vomitu, diarrhœa, adfectibus flatulentis, ut & in cachexia, œdemate, gonorrhœa virulenta, & morbis compluribus, qui calidis nervinis maxime curandi ſunt; quemadmodum de hiſce plura apud HOFFMANNVM [a] videnda erunt. In memoratis cæteroquin morbis vel interne, ad aliquot guttulas, in adpropriato vehiculo, v. g. vino, aut aqua

a) Vid. Obſ. phyſico-chym. ſelect. p. 88. ſequ.

quadam deſtillata, vel etiam cum ſachari fruſtulo, propinantur, vel externe per ſe, aut ſpirituum inflammabilium balſamicorum additione dilutiora reddita, inſtillantur, inunguntur, aut cum linteolis complicatis adplicantur. Externe quoque egregias perſæpe vires exſerunt in obauditione, ſuſurru & tinnitu aurium, atque gonorrhœa benigna, quando in caſibus prioribus cum goſſypio contorto auribus immittuntur, in poſteriori autem regioni pubis illinuntur.

§. VI

ABSTINENDVM contra erit ab uſu horum medicaminum apud ſubjecta ſicca, biliosa, cholerica, ſanguinea, plethorica, nec minus in febribus, inflammationibus, hæmorrhagiis, uno verbo, in morbis, qui ſanguini abundanti, commoto, orgaſtico, ut & ſolidorum ſiccitati nimiæ, ac ſpaſticis ſtricturis præcipuam debent originem. In hiſce enim vires non inſtaurant, ſed magis proſternunt, cauſam morbi non minuunt, ſed notabiliter augent, adeoque plus damni, quam emolumenti adferunt.

BALSAMVS VITÆ OFFICINALIS

REC. Radicum galangæ, zedoariæ, ana unciam unam, cardamomi minoris, caryophyllo-

phyllorum, cinnamomi electi, croci orientalis, cubebarum, nucis moſchatæ ana unciam dimidiam, balſami Peruviani, maſtiches, myrrhæ electæ, olibani, ſtyracis liquidæ ana unciam unam cum ſemiſſe. Pulveriſatis pulveriſandis, reliquiſque commixtis, adfundantur ſpiritus vini rectificatiſſimi libræ quatuor, digerantur per menſem, deinde ſpiritus a ſpeciebus in arenæ balneo aliquoties abſtrahatur, eidemque poſtea addantur olei deſtillati caryophyllorum, chamomillæ Romanæ ana drachmæ duæ, olei cort. citri, lavendulæ, ligni Rhodii, macis, majoranæ, nucis moſchatæ, rorismarini, ſalviæ, thymi ana drachma una & dimidia. Inſtituatur denuo digeſtio, &, oleis perfecte ſolutis, liquor balſamicus in duas dividatur partes, quarum altera ſeorſim adſervetur, alteri autem ambræ gryſeæ drachmæ duæ, & moſchi drachma una addantur.

BALSAMVS VITÆ COMPENDIOSIOR

REC. Balſami Peruviani, olei deſtillati genuini caryophyllorum, citri Italici, flor. ſpicæ, ana unciam dimidiam, olei majoranæ, ligni Rhodii, cinnamomi, rorismarini ana drachmas duas, ſalis tartari extemporanei uncias tres, ſpiritus vini rectificatiſſimi libras

medicas tres. Sali tartari, ab igne adhuc calido, atque ficciſſimo pulveriſato primum aliquot unciæ ſpiritus vini, poſteaque, facta aliqua commixtione, olea deſtillata cum balſamo Peruviano, & tandem reliqua ſpiritus portio adfundantur, & mixta in vitro probe clauſo & arenæ balneo impoſito, tamdiu digerantur, donec olea penitus ſoluta ſint. Quo facto, liquor, ſaturata flavedine tinctus atque pellucidus, provide a partibus recrementitiis, quæ alio tempore ſalis volatilis oleoſi præparationi impendi poſſunt, decantetur & adſervetur. Si moſchi additio placet, bini ejusdem ſcrupuli in ſpiritu vini tartariſato infundendi, & extractiones, reiterata infuſione & digeſtione cum ſpiritu recenti collectæ, balſamo deſcripto addendæ erunt.

BALSAMVS hic, qui ex oleis ſelectioribus compoſitus eſt, ſingulis viribus atque virtutibus, ſub generaliori tractatione recenſitis, pollet, & interne a guttis 3. ad 5. 6. 10. propinari poterit. Eadem obſervata methodo, etiam ex ſolis oleis cephalicis, v. g. oleo ſpicæ, lavendulæ, majoranæ, thymi, rorismarini, &c., *balſami cephalici*, ex oleis ſtomachalibus & carminativis, v. g. oleo menthæ, meliſſæ, cinnamomi, caryophyllorum, citri, aurantiorum, chamomillæ, fœniculi, aniſi, &c., *balſami carminativi & ſtomachales*, & ſic porro ex aliis oleis ſpecificis alii balſami parari poſſunt.

SECTIO

SECTIO VI

DE SALIBVS SICCIS ACIDIS AVSTERIS, ALKALICIS FIXIS MEDIIS SIVE NEVTRIS ET MIXTIS

CAPVT I

DE SALIBVS SICCIS ACIDIS ET AVSTERIS

§. I

SALIA ACIDA & ACIDVLA ſicca ac pura, quæ ſolum regnum vegetabile ſuppeditat, quæque vulgo *eſſentialia* vocantur, a chymicis & pharmacopœis non producuntur, ſed tantum ex tartaro rubro & albo, ſub leni, eaque protracta fermentatione e vinis, præſertim acidulo-dulcibus, paullatim præcipitato, vel ex ipſis etiam plantis recentibus, quarum ſuccus acidulo ejusmodi principio mucido-terreo-ſalino largiter imprægnatus eſt, educuntur, a partibus intermixtis terreo-mucidis ſeparantur, & poſtea ad debitam conſiſtentiam ac formam cryſtallinam rediguntur.

§. II

PVRA ſalia eſſentialia acida ex *terra* atque *principio ſalino acido*, in terra & cum terra quaſi coagulato, conſtant, & quoad indolem, poſtquam ab impuritatibus mucidis, aliisque, penitus liberata fuerunt, parum vel nihil diſtincta inveniuntur.

§. III

LAVDATA ſalium hujusmodi præparatio operatione varia, nimirum *ſolutione*, *extractione*, *filtratione* aut *percolatione*, *evaporatione* & *cryſtalliſatione* abſolvitur. Si memoratum enim ſal eſſentiale e tartaro vini ſeparandum eſt, tartarus pulveriſatus cum aqua ſimplici aliquandiu coquitur, cruſta ſalina, quæ ſic dictum *cremorem* conſtituit, auffertur, & lixivium ſuperſtes, filtratione per chartam bibulam, aut colatu per linteum ſeu manicam Hippocratis trajectum, tamdiu, ſubſtrato leni igne, evaporatur, donec denuo cuticula ſalina tenerior in ſuperficie adpareat, poſteaque in loco frigidiuſculo ad cryſtalliſandum reponitur. Eadem propemodum obſervantur, quoties ſalia eſſentialia ex ipſis plantis educuntur, præterquam, quod in principio, loco coctionis, plantæ recentis contuſione & ſucci aciduli expreſſione opus ſit; quemadmodum hæc fuſius ex ſequentibus patebunt.

§. IV

§. IV

QVVM ſicca hæc ſalia eſſentialia, præſertim e tartaro extracta, certo reſpectu ſint aceta ſicca ac concentrata, quoad vires quoque & virtutes medicas valde cum aceto conveniunt, & æque, ac illud, & reliqui vegetabilis proſapiæ liquores aciduli temperatiores, æſtum corporis præternaturalem & orgaſticam humorum expanſionem minuunt, partium urinoſarum proventum uberiorem impediunt, diſſolutionem ſanguinis putredinoſam avertunt ac cohibent, & partes ſolidas lenioribus, quos imprimunt, ſtimulis ad vegetiores contractiones impellunt, adeoque etiam diureſin, & leniorem quoque interdum catharſin movent.

§. V

SVPPOSITIS hiſce manifeſtum eſt, ſalia hæc, vel in pulvere data, vel potiunculis aqueis addita, opem ferre ac ferre poſſe in febribus continuis ardentibus, inflammatoriis, malignis, bilioſis, tertianis intermittentibus, inflammationibus partium ſolitariis, eryſipelate, phlogoſibus, ſiti nimia, adpetitu, ob cruditates bilioſas in ventriculo collectas, imminuto aut penitus proſtrato, cholera, hæmorrhagiis exorbitantibus, dyſuria, calculo, phrenitide, mania, plethora commota, nimio œſtro venereo ac morbis ſimilibus; quemadmodum id ex cauſſarum morbificarum indole, & acidulorum

dulorum hujusmodi operandi modo, si debita instituatur utriusque collatio, facile patet.

§. VI

A SALIBVS acidis essentialibus puris ac temperatis vegetabilis prosapiæ, quoad partes constitutivas, valde distincta sunt SALIA AVSTERA MINERALIA *vitriolica* & *aluminosa:* Hæc quippe ex gravi acido vitriolico & terra rudiori minerali, illa autem ex acido eodem & partibus martialibus aut venereis metallicis composita inveniuntur. Differunt quoque ab iis quoad operandi modum, & vires medicas. Primariam enim actionem suam in corpore forti ad - & constrictione solidorum, ac leni fluidorum coagulatione absolvunt; unde etiam fit, ut eorum plerague externum duntaxat usum nonnunquam in laxitate uvulæ & gingivarum, angina spuria, laxitate ligamentorum, ophtalmia serosa sanguinea, prolapsu uteri & intestini recti, vulnerumque hæmorrhagiis inveniant.

SALINA ACIDVLA PVRA ET AVSTERA VSITATIORA

Sal acetosellæ.
Crystalli tartari.
Cremor tartari.
Pulvis epaticus ruber Dresdensis.
Vitriolum martis factitium.
Gilla Theophrasti.

CREMOR ET CRYSTALLI TARTARI

REC. Tartari albi, a sordibus reiterata ablu-

ablutione, quantum fieri potest, liberati, & grossiuscule contusi quantum placet, eundemque in vase figulino vitreato, aliquantulum tecto, cum sufficienti aquæ simplicis quantitate tamdiu coque, donec tartarus solutus sit, & cremor albicans in superficie in crustam salinam, cochleari postea aufferendam, concreverit: Quo facto, lixivium salinum residuum, per manicam Hippocratis in aliud vas terreum aut ligneum transfusum, in loco frigidiusculo colloca, ut tartari crystalli pariter concrescant, quæ deinde, decantata aqua impuriori, iterum aqua frigida recenti abluendæ sunt, ut, fecibus sic penitus separatis, nitidiores evadant.

CREMOR & crystalli tartari, neque natura neque viribus, sed sola duntaxat partium teneritudine, quæ in cremore major est, ab invicem differunt; potest quoque, si lixivium salinum, quod ablato cremore remanet, denuo post percolationem ad tempus coquatur, pars aliqua in cremorem mutari, quanquam concedendum sit, cremorem, sub prima statim coctione enatum, posteriori paullo teneriorem esse. Optimum cæteroquin constituunt sal essentiale acidulum, & cunctas virtutes medicas, quæ in tractatione generaliori §. IV. & V. adductæ fuerunt, exserunt, & ideo persæpe in pulvere, a granis 5. ad scrupulum integrum, exhibentur, vel potiunculis etiam temperantibus & infusis abstergentibus atque laxantibus adduntur.

SAL

SAL ESSENTIALE ACETOSELLÆ

REC. Acetoſellæ recentis quantum placet, eamque in mortario marmoreo conquaſſando ad pultiformem conſiſtentiam redige, ſuccum deinde torcularis ope exprime, expreſſum per noctem quieſcere permitte, ut feces craſſiores terreo-mucilagineæ ad fundum ſecedant; quo facto, eum, patinæ ferreæ infuſum, cum albumine ovi agitando clarifica, deinde igni admove, &, impuritatibus ſurſum cum ſpuma protruſis, filtra, filtratum in vaſe vitreo, arenæ calidæ imponendo, ad mellis liquidi conſiſtentiam leni evaporatione redige, atque in loco frigidiuſculo colloca, ut partes ſalinæ in cryſtallos congregentur; quibus, ſi prima vice perfectum nitorem nondum adeptæ fuerint, major puritas & albedo, reiterata ſolutione, filtratione, & coagulatione conciliari poterit.

CONVENIT, quoad naturam, vires & uſum medicum, cum cremore & cryſtallis tartari, præterquam, quod promtius in aqua diſſolvatur, & majori virtute temperante, minori autem abſtergente inſtructum ſit. Vulgo ſpecificum creditur in phrenitide & mania, at cremori tartari, pro mea ſententia, in hoc paſſu haud meretur præferri. Simili modo ſalia eſſentialia acidula etiam ex *acetoſa* & reliquis plantis acidis parantur.

PVL-

PVLVIS EPATICVS RVBER DRESDENSIS

REC. Cryſtallorum tartari uncias ſex, ſalis acetoſellæ drachmas duas. Pulveriſata imbuantur ſufficienti quantitate tincturæ ſantali rubri, ſpiritu vini, ſpiritus vitrioli miſcela acidulo reddito, extractæ, ac denuo exſiccentur. In *Diſpenſatorio Brandenburgico*, omiſſa ſalis acetoſellæ additione, ex ſolo cremore aut cryſtallis tartari deſcripta methodo præparatur; quod tamen, me judice, perinde eſt.

In *Pharmacopœa Auguſtana renovata* hic pulvis vocatur *Magiſterium hepaticum rubrum*, & nihil aliud eſt, niſi cremor tartari vel ſolus, vel ſale acetoſellæ remixtus, colore rubro tinctus & vitrioli acido, quod commode exulare poſſet, leviter imprægnatus. Pollet virtute temperante, ſtomachali, digeſtiva, diuretica, & ſic porro. Doſis a granis 5. ad ſcrupulum integrum, immo drachmam dimidiam adſcendit.

VITRIOLVM MARTIS FACTITIVM

REC. Limaturæ martis puræ ac nondum rubiginoſæ unciam unam, eidemque olei vitrioli, cum partibus duabus aquæ pluvialis aut fontanæ mixti, quantitatem ſufficientem adfunde, leni digeſtione limaturam ſolve, &

liquo-

liquorem viridiuſculum, calide filtratum, & ad cuticulam evaporatum, in loco frigidiuſculo colloca, ut cryſtalli vitriolicæ debite concreſcant.

INTER medicamenta interna, ſi *pulverem abſorbentem* WEDELII, quem modica quantitate ingreditur, exceperis, nullum locum invenit, ſed ad externa duntaxat remedia ſtyptica, in vulnerum hæmorrhagiis exorbitantibus, nec minus in ambuſtis & inflammationibus nonnullis adplicanda, refertur.

SAL VITRIOLI VOMITIVVM SIVE GILLA THEOPHRASTI

REC. Colcothar ſive caput mortuum, poſt ſpiritus vitrioli, præſertim venerei, deſtillationem in retorta relictum, vel, hoc deficiente, vitriolum cœruleum Hungaricum, idemque in crucibulo majori igne fortiſſimo calcina, donec in pulverem atro-rubentem redactum ſit. Huic ſufficientem aquæ calidæ quantitatem adfunde, & ſal coctionis & digeſtionis ope extrahe; quo facto, lixivium adhuc calidum filtra, & tamdiu igne leni evapora, donec cuticula adpareat, & ſal cryſtallinum concreſcere incipiat. Si prima vice nondum e capite mortuo vitrioli omne ſal extractum fuerit, aqua recens denuo adfundi, & extractio toties reiterari debet, uſque dum nihil ſalini

ſalini amplius prodeat, ac ſola terra inſipida, quam *terram vitrioli dulcem* vocant, relinquatur. Specificum apoplexiæ & epilepſiæ remedium creditur, & olim in uſu fuit frequenti, noſtra vero ætate, introductis tutioribus atque ſelectioribus emeticis, rarius adhibetur, præſertim, cum leni duntaxat conſtrictione operationem ſuam abſolvat, nec iis, quorum ventriculus acido abundat, conducat. Exhibetur in vino, jure carnis, aut aqua quadam deſtillata, a granis 6. 8. 10., ad integrum ſcrupulum, vel drachmam dimidiam. *Terra vitrioli dulcis*, poſt plenariam capitis mortui edulcorationem relicta, adſtringente, exſiccante atque abſorbente virtute gaudet, & ideo emplaſtris & unguentis ſubinde miſcetur.

* * * * * * * * * * * * * * *

CAPVT II

DE

SALIBVS FIXIS ALCALICIS

§. I

PERFECTA SALIA ALKALIA FIXA, ſive LIXIVIOSA, quæ in officinis proſtant, ſoli arti chymicæ originem debent, & nullibi quoque in triplici naturæ regno, ſi aquas quasdam minerales ſoterias, & montes igni-vomos exceperis, talia concreta ſalina occurrunt;

runt: Quæ enim hinc inde obvia ſunt, & ſalibus alkalicis fixis ſimilia videntur, ordinario mera corpora terrea ſunt, quæ cum adfuſis acidis efferveſcentiæ quidem motum ſubeunt, neutiquam tamen cum illis in perfectum ſal medium coaleſcunt.

§. II

SAL alkali fixum quodcunque ſolius Vulcani ſeverioris, ſeu ignis violenti progenies eſt, & ex *terra ſolubili*, *ſale acido*, & *pauca materia inflammabili*, *unctuoſa*, aut *oleoſa* componitur; quemadmodum hæc alibi *a* pridem obſervationibus & experimentis fuſius demonſtrata fuerunt.

§. III

SVBJECTA uſitatiora mineralis & vegetabilis proſapiæ, e quibus in officinis ſalia alkalia fixa frequentius, *calcinationis*, *detonationis*, *combuſtionis*, aut alterius operationis beneficio, ex principiis terreis, acidis & oleoſo-inflammabilibus producuntur, vel *elixiviationis* ope ſaltem educuntur, ſunt *nitrum*, *tartarus vini*, *plantæ amaræ*, ut & *cineres lignorum*. Eminet tamen inter allegata nitrum, dum ex illo, ſi ſaltem in crucibulo fluenti carbones pulveriſati, tartarus vini pulveriſatus,

a) In Rudimentis mat. med. rat. p. 159. ſeq.

tus, aliaque corpora, inflammabili, oleoſo, unctuoſo, reſinoſo, &c., principio prægnantia, addantur, brevi tempore ac facili negotio alkali fixum acerrimum generatur.

§. IV

NON adeo ſingulare diſcrimen ſalia alcalia fixa, completa tamen atque puriſſima, quoad indolem ac vires, intercedit, ſed alterum alteri, præſertim in praxi medica, tuto ſubſtitui poteſt. Leviſſima enim differentia, quæ ſubinde circa ea, eorumque proprietates & effectus obſervatur, vel ab ad- & inhærentibus materiis heterogeneis, carbonariæ, fuliginoſæ, oleoſæ, &c., naturæ, vel ab imperfecta calcinatione, adeoque integris particulis ſalſis, aliisque relictis derivanda eſt.

§. V

SALIA alkalia fixa non tantum in aqua prompte ſolvuntur, ſed quamcunque etiam humiditatem, ex ipſo etiam aëre ambiente, avidiſſime imbibunt; hinc facillime, niſi in vaſis ficciſſimis ac probe clauſis adſerventur, humida fiunt, & in liquorem aqueo-ſalinum, contactu pinguem, deliqueſcunt; ignis vero ope difficilius longe ad fluorem rediguntur, & ob fixitatem ſuam nullas ſub fluore particulas vere ſalinas amittunt.

§. VI

INTERNE adſumta non tantum in prima culina, ſed in ipſo etiam ſanguine ac lymphâ acidum præternaturaliter adcumulatum deſtruunt, & intimiori ſua unione in ſal neutrum transformant, unde etiam fit, ut in venenis cauſticis mineralibus, quorum principium activum grave acidum eſt, promptum atque certiſſimum auxilium, ſi tempeſtive, antequam venenum tunicas corrodat, exhibeantur, præſtent: Curandum tamen, ut pinguia liquida & potulenta aquea tepida, quæ ſymbolum ſuum ad diluendum & obtundendum venenum conferunt, & ſpaſmos vehementes, forti roſione provocatos, minuunt, largius ſuperingerantur. In reliquis morbis, ab acido præternaturali oriundis, cautius porrigenda, & aliis medicamentis congruis refracta duntaxat doſi miſcenda ſunt.

§. VII

PRÆTER virtutem antacidam complures adhuc alias hæc ſalia poſſident: Abſtergunt nimirum, præſertim ſi ſaponaceam, arctius combinata materia pingui aut temperata oleoſa, conſequantur indolem, ſuperfluas meatuum atque vaſorum mucoſitates, reſolvunt bilem viſcidam & inertem, ut & crudi-

tates acido-viſcidas quascunque, aperiunt viſcera, per acido-pituitoſo-tartaream impuritatem obſtructa, ſtimulant organa ſe- & excretoria, augent calorem ſanguinis, & partes ejus oleoſo-phlogiſtas expandunt, adeoque in principio febris quartanæ, ictero chronico, cachexia, obſtructione hepatis, lienis, renum atque uteri, nephritide pituitoſa, tumoribus glandularum frigidis ac morbis ſimilibus uſum ſubinde inveniunt. Sedulo interim cavendum eſt, ne ea apud ſubjecta ſicca, cholerica, ſanguinea, plethorica, aut in morbis calidis ac putridis adhibeantur. Facile enim ſal urinoſum ex tenerrimo ac naturali ſanguinis ſale ammoniacali, præſertim doſi majori oblata, reſuſcitant,[a] adeoque æſtum præternaturalem intendunt, & putredinoſam humorum diſſolutionem magis magisque promovent, quin ſæpius abſentem iis inducunt.

a) Si ſanguini, e vena extracto aut alio modo extravaſato, aliquid cinerum clavellatorum vel alterius ſalis fixi alcalici miſcetur, teſte JOH. HVMMELIO, α illico lenior odor urinoſus adſurgit; manifeſto documento, ſal illud, quod in naturali cruoris mixtione latet, nullum aliud eſſe, niſi ammoniacale tenerrimum.

α) In Tract. de arthritide p. 54.

§. VIII

QVANDO ſalia fixa alcalia cum oleis unguinoſis recentibus & pinguedinibus dulcibus combinantur, inde *Sapones medici* egregie abſtergentes reſultant: Majorem quoque vim calefaciendi & humores purificandi ſortiuntur, ſi iis ſubſtantiæ ſulphureæ atque bituminoſæ minerales, vel reſinoſæ aut oleoſæ æthereæ vegetabiles arcte uniantur; quemadmodum hæc poſteriora tincturæ antimonii tartariſatæ, & variæ eſſentiæ reſinoſæ ac bituminoſæ, addito ſale quodam alcalico fixo paratæ, ſatis commonſtrant.

SALIA ALKALIA FIXA VSITATIORA

Sal tartari ordinarium.	*Sal fixum abſinthii.*
- *extemporaneum.*	- *centaurii minoris.*
Cineres clavellati depurati.	- *fumariæ.*
Nitrum fixum.	- *trifolii fibrini.*
Oleum tartari per deliquium.	- *cardui benedicti.*
Alkaheſt Glauberi.	- *ſcordii.*

SAL TARTARI ORDINARIVM

HOC duplici modo paratur, nimirum 1., quando tartarus purus, ſplendens, atque albicans, ollæ aut tigillo capaci immiſſus, in furno figulino, vitriario, aut anemio tamdiu calcinatur, donec in ſal candidum, quod poſtea aqua ſolvitur, filtratur, ac denuo coagulatur,

gulatur, redactus ſit, & 2., quando caput mortuum, poſt ſpiritus tartari deſtillationem in retorta relictum, calcinationi ſubjicitur, & deinde æque, ac præcedens, tractatur: Minori tamen quantitate ex memorato capite mortuo, quam ex tartaro integro, impetratur, quoniam prius ſub olei atque ſpiritus deſtillatione multas partes acidas & oleoſas, ad ſalis fixi alcalici compoſitionem neceſſarias, dudum amiſit. Nonnulli ſal alcalicum, e tartaro calcinato elixiviatum, in crucibulo poſt prævium coagulationem fundunt, & deinde ſecunda vice aqua ſolvunt, filtrant atque coagulant; verum, pro mea ſententia, laudata fuſione haud opus eſſe videtur, quum tartarus perfecte calcinatus ſal alcalicum perfectum ſuggerat.

SAL tartari, quum pulveribus additum cito deliqueſcat, ſub forma ſicca nunquam interne adhibetur, ſed ordinario in aqua ſimplici aut quadam deſtillata ſolvitur, vel etiam decoctis atque infuſis parca quantitate additur. Doſis ordinaria a granis duobus ad grana 5. 6. 10. adſcendit. Quando ſal tartari ſiccum in concha vitrea aut marmorea, in cella ſubterranea collocanda, aëri humidiuſculo exponitur, intra breve tempus in liquorem ſalinum, contactu pinguem, qui ideo, quanquam minus recte, *Oleum tartari per deliquium* vocatur, diffluit. Hic liquor ſalino-aqueo-alcalicus, filtratione

depuratus, quoad vires & usum cum ipso sale tartari convenit: Indole quoque atque virtute parum vel nihil ab eodem differunt *cineres clavellati* solutione in aqua, filtratione ac nova coagulatione a quisquiliis inhærentibus penitus liberati, hinc, deficiente sale tartari, commode eidem hi ipsi substitui possunt.

SAL TARTARI EXTEMPORANEVM VT ET NITRVM FIXVM ET ALCAHEST GLAVBERI

REC. Nitri puri, & tartari splendentis ana quantum placet. Probe pulverisata & mixta crucibulo candenti per vices ingerantur, ut cum explosione accendantur; sic confestim, expulsis sub detonatione partibus acidis & inflammabilibus superfluis, ex terra solubili, pauco acido & pauca pariter substantia phlogista sal alcali fixum coalescit, quod *sal tartari extemporaneum*, vel etiam *fluxus albus* vocatur, quoniam scilicet corporum lapideorum ac mineralium metallicorum fusionem facilitat atque promovet, quanquam paullo minus, quam sic dictus *fluxus niger*, der schwarze Fluß, qui simili modo ex nitri parte una & tartari partibus tribus paratur, & proinde multa adhuc materia carbonaria remixtus est. *Nitrum fixum*

fixum sequenti modo præparatur: Rec. nitri puri grossiuscule pulverisati quantum placet, ingere illud crucibulo, inter carbones candentes collocato, & perfecte fluenti successive pulverem carbonum immitte, usque dum penitus fixatum sit. Signa autem, quæ, pulveris carbonum quantitatem sufficientem injectam esse, indicant, sunt sequentia: 1) quando materia pallulum adhuc fluens virideſcentem induit colorem, & maxima ex parte in fundo subsidet, ex parte etiam crucibuli lateribus adhæreſcit, 2) quando coagulari incipit, & sub ebullitione, instar aquæ saponaceæ agitatæ, bullulas viscidas ad superficiem protrudit, & 3) quando pulvis carbonum, ultimo parca admodum manu inspergendus, ulterius pristina promptitudine deflagrare recusat, & nonnullas duntaxat scintillulas eructat. Alii ordine inverso, primo carbones pulverisatos crucibulo immittunt, & candefactis per vices pulverem nitri addunt, donec saturationis signa adpareant: Immo sunt, quorum methodus reliquis certo respectu præferenda est, qui partes tres, vel, quod præstare credidit NEVMANNVS, [a] partes sex aut septem nitri pulverisati uni pulveris carbonum parti miscent, & mixturam successive

a) Vid. EJVSD. Lect. de Nitro p. 98.

in crucibulum candefactum ingerunt. Si nitrum fixum alcalicum, sive hoc, sive alio modo paratum fuerit, conchæ marmoreæ aut vitreæ injectum, in cella humida subterranea collocatur, paullatim ab intrante aëris humiditate solvitur, & in liquorem salino-aqueum, qui a GLAVBERO *alkaheſt*, seu *solvens potentissimum*, vocatur, diffluit.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES
ET VSVM MEDICVM

I. QVANDO mixtura nitri & carbonum detonationi subjicitur, partes acidæ superfluæ e nitro expelluntur, ac multæ pariter partes phlogisticæ carbonum flamma consumuntur, ex residuis vero terreis solubilibus, & moderata acidi & inflammabilis substantiæ quantitate, arctissima interveniente unione, sal alcali fixum generatur.

II. Nitrum fixum & sal tartari extemporaneum plerumque, si illis oleum vitrioli instillatur, fumum acidum, flavum, aut rubescentem nitrosum eructant, præsertim, quando tempore detonationis mixtura nitri & tartari, vel nitri & carbonum una vice nimia quantitate, vel etiam portio alia post aliam nimis cito crucibulo candenti injecta fuit, ut ideo singulæ nitri moleculæ destrui & in sal alkalicum converti nequiverint. Nam fumus memoratus sub olei vitrioli instillatione non adsurgit, si omnia rite peracta fuerint, & perfecta proinde alcalisatio contigerit.

III. Nitrum fixum, sal tartari, & alkaheſt GLAVBERI, licet respectu originis a sale tartari ordinario aliquantulum distincta sint, valde tamen cum eodem, & inde per deliquium spontaneum parato oleo seu liquore aqueo-salino quoad vires medicas & usum conveniunt, præterquam, quod paullo acriora inveniantur, & ideo etiam sulphureis, bituminosis ac resinosis, inflammabili spiritu in tincturas & essentias dissolvendis, frequentius addantur.

SAL FIXVM ABSINTHII

REC. Herbæ absinthii, in loco umbroso leniter exsiccatæ, quantum placet, & illam super area munda, camino subjecta, ita paullatim combure, ut tota in cineres albicantes redigatur. Cineres hosce sponte extinctos postea cum sufficienti aquæ simplicis quantitate coque, lixivium filtra, & aquam recentem cineribus adfunde, idque toties repete, donec substantia salina penitus extracta fuerit, & aqua nullo amplius odore imbuatur. Quo facto, lixivia filtrata & mixta in vase lapideo, aut terreo vitreato ad siccitatem usque incoque, & sal coagulatum ad albedinem leniſſime calcina, calcinatum denuo in aqua pura dissolve,

ſolve, & lixivium poſt filtrationem coagula, donec ſal perfecte ſiccum evadat.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES
ET VSVM MEDICVM

I. HERBA recens paullulum duntaxat exſiccanda eſt, quum, teſte experientia chymica, longe major ſalis fixi quantitas ex leniter ſiccatis, quam nimium aridis, vetuſtis, ac ſemicarioſis herbis obtineatur. Ordinario herbæ abſinthii combuſtæ libræ quatuor, ſi omnia ſcilicet rite peracta fuerint, ſalis fixi uncias duas & ſemiſſem largiuntur. *a*

II. Quoniam hoc & reliqua hujus commatis ſalia fixa alcalia ex terra ſolubili, acido intime ſub combuſtione combinato, & modica ſubſtantiæ pinguis oleoſo-inflammabilis portione componuntur, longe minor ſalis fixi quantitas ex herba abſinthii & ſimilibus impetratur, quando ante combuſtionem cum ſpiritu vini digeruntur, adeoque principio gummeo-reſinoſo plus minusve ſpoliantur. B. NEVMANNVS ex libris quatuor herbæ abſinthii, reiterata cum ſpiritu vini rectificatiſſimo digeſtione & extractione ſubſtantia oleoſo-reſinoſa penitus orbatæ, ſaltem unciam unam, &, cum eam, poſt olei & reſinæ extractionem, cum aqua aliquoties infunderet, & ſic principium ſalino-gummoſum maxima quoque ex parte extraheret, vix grana XIX. vel XX. ſalis fixi alcalici obtinuit. *a*

III. Cineres inter comburendum radicula ſæpius movendi ſunt, ut, herba ſic penitus combuſta, candidiores evadant.

IV. Salia hujus commatis in vitris ac vaſis probe obturatis adſervanda ſunt, ne cito, more aliorum ſalium alcalicorum deliqueſcant, aut tamen humida fiant. Nonnulli quidem ad impediendam ac minuendam deliqueſcendi promtitudinem, & majorem quoque illis albedinem, & figuram aliquantulum cryſtallinam conciliandam, cineres cum pauxillo ſulphuris communis aliquoties calcinant; attamen, cum hac ratione ſalia fixa alcalica maxima ex parte in ſalia media, tartaro vitriolato analoga, transformentur, methodum illam adprobare nequeo.

V. Simili modo ſalia fixa alcalia ex reliquis quoque plantis amaris & amaricantibus, principio oleoſo-reſinoſo-gummeo prægnantibus, v. g. ex *herba fumariæ*, *ſcordii*, *cardui benedicti*, *trifolii fibrini*, *centaurii minoris*, &c., parari poſſunt.

VI. Quanquam ſalia memorata ex plantis, forma externa valde diverſis, præparentur, natura tamen ac viribus medicis plane non differunt, ſed alterum alteri tuto in praxi ſubſtitui poteſt. Vulgo in febribus intermittentibus ſpecifica creduntur remedia; at, nullam ego rationem video, cur ea, ſi alias pura ſint atque perfecta, aliis ſalibus alcalicis fixis in hoc paſſu præferenda ſint.

Præ-

a) Conf. NEVMANN. in Lect. de Salib. alcal. p. 25.

a) NEVMANN. loc. cit.

Præſtant enim, quicquid alia ſalia alcalia fixa præſtare valent, h. e., acidum extinguunt, mucum reſolvunt & abſtergunt, atque urinam & ſudorem pellunt. Dantur a gra.is tribus ad 5. 10. 12., ſi ſcilicet perfecta ſint alcalia; ſin autem hoc vel illo artificio quodammodo in ſalia media mutata fuerint, doſis altius, nimirum ad grana 15. 20., adſcendere poteſt.

* * * * * * * * * * * * * *

CAPVT III

DE

SALIBVS MEDIIS

§. I

SALIA MEDIA, SALSA, NEVTRA, ENIXA, ex *ſale acido* & *alcalico* naſcuntur, & ideo etiam medium quaſi locum inter acida & alcalia, ratione ſaporis, indolis, & operationis, obtinent.

§. II

OB INDOLEM ſuam, certo reſpectu hermaphroditicam, neque cum acidis, neque alcalicis perfectæ effervescentiæ motum ſubeunt: Quæ enim, adfuſo acido liquido, eo, quod in mixtione hæret, ſpecifice graviori, accidit ebullitio, a violenta duntaxat acidi levioris expulſione oritur, & apud ea proinde

proinde ſalia media, quæ graviſſimum acidum vitriolicum continent, nunquam obſervatur. Optime interim hoc experimento ſal inhærens ſpecificum detegere poſſumus: *Acidum vitriolicum* enim acidum nitroſum, culinare & acetoſum vegetabile, *acidum nitroſum* acidum culinare & acetoſum vegetabile, & *acidum culinare* denique acidum acetoſum vegetabile a parte alcalica avellit & exturbat.

§. III

SALIA media, tum ratione elementorum, tum ratione ſaporis naturæ ac virium ſpecificarum, plus minusve differunt. Reſpectu elementorum in *fixiora* & *comparative volatiliora ammoniacalia* dividuntur: Hæc ex acido ſalis culinaris, & alkali urinoſo volatili conſtant, adhibito igne ſufficienti ſublimantur, integra nihiloſecius permanente mixtione, & addito ſale alcalico fixo alcali volatile urinoſum dimittunt; illa autem ex alkali fixo & acido vitriolico, nitroſo, culinari aut acetoſo vegetabili, arctius invicem unitis, componuntur, & ideo etiam in igne fixiora ſunt, nec ullam ab alcali fixo eſſentialem patiuntur mutationem.

§. IV

QVEMADMODVM ſalia enixa reſpectu elementorum diſtincta ſunt, ſic, quoad indolem pariter ac vires ſpecificas, plus minusve, uti pridem dictum fuit, differunt, & commode ad quinque claſſes genericas redigi poſſunt; quarum prima *nitroſa*, v. g. nitrum vulgare crudum, depuratum, tabulatum, lapidem prunellæ, &c., ſecunda *pure ſalſa*, v. g. ſal commune fontanum, foſſile, ſal digeſtivum Sylvii, terram foliatam tartari, tartarum tartariſatum, &c., tertia *ſalſo-amaricantia*, v. g. ſal Ebshamenſe, Sedlizenſe, &c., quarta *terreo-ſalſa*, v. g. boracem Venetam, ſal ammoniacum fixum, &c., & quinta denique *ammoniacalia*, v. g. ſal ammoniacum vulgare, flores ſalis ammoniaci veros, ſal ſecretum Glauberi, &c., complectitur.

§. V

QVÆVIS ſalia media, ſi tartarum tartariſatum & terram tartari foliatam, quæ facile in aëre libero deliqueſcunt, quodammodo exceperis, in cryſtallos diſtinctæ atque ſpecificæ figuræ concreſcunt, & ſpecifica etiam hæc figura in minimis adhuc moleculis, ſi oculo armato ſubjiciantur, conſpicua eſt. Sal gemmæ v. g., ſal culinare, & digeſtivum Sylvii,

Sylvii, rite tamen cryſtalliſata, cryſtallos cubicas, nitrum pyramidales, ſex angulis inſtructas, ſal ammoniacum ramoſas, inſtar frondium, & ſic alia aliter figuratas offerunt.

§. VI

VT CRYSTALLISATIO prompte & ex voto ſuccedat, neceſſe eſt, 1. ut lixivium ſalinum, vel evaporatione in vaſe vitreo aperto, vel leni abſtractione in cucurbita, phlegmate ſuperfluo liberetur, quo ſalinæ moleculæ magis magiſque congregentur, 2. ut evaporatio tamdiu continuetur, leni tamen igne ſubſtrato, donec in ſuperficie cuticula ſalina, aut ſtellulæ micantes adpareant, 3. ut lixivium ſaturatum ac debite filtratum, in loco frigidiuſculo collocetur, & 4. denique, ut cryſtalli ſub temporaria quiete ſucceſſive enatæ, & exemtæ in loco tepido & umbroſo leniter exſiccentur. Admiſſo enim calore majori, & adhuc magis admiſſis radiis ſolaribus cryſtalli iterum corrumpuntur, &, aqua, quæ ad cryſtallorum formationem ſumme neceſſaria eſt, penitus expulſa, in pulverem fatiſcunt.

§. VII

MINIMÆ particulæ in ſalibus mediis diverſis diverſa quoque magnitudine, figura ac

mobilitate, quin ipſæ moleculæ grandiores, diverſa denſitate ac raritate videntur præditæ. Nonnulla enim ſalia enixa, uti v. g. terra foliata tartari, tartarus ſolubilis, ſal Ebshamenſe, &c., cito in aqua, immo in ipſo ſpiritu phlegmatico ſolvuntur, & in aëre humido quoque deliqueſcunt; nonnulla contra, ut tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, &c., tardius ſolvuntur. Intuitu cæteroquin uſus medici notandum eſt, illa ſalia neutra, quæ ſponte in aëre diffluunt, aut ceteris tamen facilius in aqua ſolvuntur, præſtantiora eſſe, quoniam vaſcula corporis promptius tranſeunt, & ſtimulos blandiores ſolidis elaſticis imprimunt.

§. VIII

SALIA neutra a ſuccis corporis, maximam partem aquoſis, facile quidem in moleculas minutiſſimas ſimilares, neutiquam vero in partes conſtitutivas diſſimilares diſſolvuntur; hinc, integra etiam permanente mixtione, denuo per varia corporis filtra, maxime autem in renibus, ſe- & excernuntur, niſi, pravæ & ſemiputridæ colluviei ſubinde implicita, quoad partem in motum putredinoſum incompletum ſimul rapiantur, eodemque transformata, indolem quodammodo urinoſam adquirant.

§. IX

§. IX

QVANQVAM ſalia media rariſſime in animantium corporibus metamorphoſin patiantur, aut in ſua reſolvantur principia conſtitutiva, varios nihilominus atque egregios in tranſitu uſus præſtant, dum fluida craſſa, ſpiſſa, mucida, coagulata, inſtar cuneorum, non tantum prompte incidunt, reſolvunt atque abſtergunt, ſed ſolida nervoſo-muſculoſo-membranacea etiam blandis, quos imprimunt, ſtimulis ad vegetiores contractiones incitant, & hac ratione humorum fluiditatem ac circulum, nec non ſe- & excretiones augent atque promovent. Quibus ſuppoſitis manifeſtum eſt, ſalia media in multis morbis proficua eſſe, & in iis cumprimis egregium ferre auxilium, qui originem ſuam cruditatibus pituitoſis, in prima culina adcumulatis, nec minus viſcerum obſtructionibus ac mucidæ humorum dyſcraſiæ primario debent, cujus cenſus v. g. habentur adpetitus imminutus & proſtratus, chymificatio læſa, gravitas ventriculi poſt paſtum, icterus chronicus, hydrops incipiens, tumor hepatis, lienis & glandularum, diarrhoea mucoſa, fluor albus, obſtructio menſium, lochiorum, urinæ, nephritis pituitoſa, febres intermittentes, aſthma, cachexia, &c. Sæpiſſime

quoque emeticis atque catharticis præmittuntur, vel adduntur, ut ſaburram eliminandam incidendo mobiliorem reddant, & purgantium operationem promoveant. Quum eorum præterea nonnulla adhuc ſpecificas ac plane ſingulares obtineant vires, quas poſtea ſub ſpecierum tractatione fuſius recenſebimus, facile unusquiſque videt, uſum horum ſalium eſſe ampliſſimum, iisdemque nullum medicum diu in praxi carere poſſe.

§. X

EXTERNE uſus eorum tam late quidem haud patet, perſæpe nihilominus injectionibus & gargariſmatibus, in raucedine, angina ſpuria, tumoribus glandularum ſalivalium, laxitate uvulæ, & impuris ulceribus venereis ſubinde adhibendis, nec minus, abſtergendi ac ſtimulandi fine, clyſteribus adduntur.

§. XI

ORDINARIO ſalia media interne ſub pulveris forma exhibentur, aut infuſis, emulſionibus atque potiunculis adduntur, poſſunt amen etiam eorum nonnulla, ut *ſal ſecretum* GLAVBERI, *tartarus ſolubilis*, *terra foliata tartari*, quæ prompte pariter in vino ac ipſo ſpiritu vini ſolvuntur, in liquores ſalino-inflammabiles redigi, & ſub eſſentiæ forma ad

ad guttas 20. 30. 40. 50. 60. propinari; præſertim, cum hac ratione virtus eorundem reſolvens, abſtergens, diuretica & aperitiva valde exaltetur, ac major inſuper virtus diaphoretica accedat.

SALIA MEDIA VSITATIORA

Nitrum depuratum.
- *tabulatum.*
- *antimoniatum.*
- *ammoniacale* WEDELII.

Lapis prunellæ.
Sal digeſtivum SYLVII.
- *mirabile* GLAVBERI.

Arcanum duplicatum.
Tartarus vitriolatus.
Sal polychreſtum.
- *de* SEIGNETTE.
- *ſecretum* GLAVBERI.

Terra foliata tartari.
Tartarus ſolubilis.
Flores ſalis ammoniaci veri.
Sal fontanum Ebshamenſe.
- - *Carolinum.*
- - *Sedlizenſe.*

NITRVM DEPVRATVM

NITRVM crudum multis plerumque partibus terreis calcariis, nec minus ſale culinari, aliisque quisquiliis remixtum eſt, hinc depuratione omnino indiget, quæ nova nitri crudi ſolutione in aqua, ſimplici, pura, ſolutionis reiterata filtratione, evaporatione, & cryſtalliſatione abſolvitur. Partes terreæ enim poſt ſolutionem partim ſubſident, partim in filtro remanent, & ſal culinare, præſertim, ſi nitri ſolutio lente fuerit evaporata, ſeorſim in cryſtallos cubicas, a nitroſis pyramidalibus poſtea ſeparandas, concreſcit.

NOTANDA
CIRCA
NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM NITRI
DEPVRATI

I. NITRVM partium ſubtilitate atque teneritudine reliqua ſalia enixa plus minusve ſuperare videtur. Particulæ hæ, quod ex figura cryſtallorum conjiciendum, ſunt priſmaticæ, ſexangulares, & utrinque, inſtar pyramidis duplicatæ, acuminatæ; hinc facilius etiam, absque ulla humorum expanſione orgaſtica, minutiſſima corporis vaſcula penetrant, mucida, craſſa, viſcida, potenter incidendo, diſſolvunt, humores naturales fluidiores reddunt, meatus ac tubulos non tantum in corpore interiori, ſed in ipſa etiam ſuperficie aperiunt, &, ſolida elaſtica ad contractionem vegetiorem moderatis ſtimulis incitando, circulum liberiorem efficiunt, adeoque etiam ſe- & excretiones, maxime per cribrum cutis ac renes, augent atque promovent.

II. Præter vires medicas incidentes, reſolventes, abſtergentes, aperitivas, diureticas, &c., reliquis ſalibus neutris communes, nitrum ſingulari quoque virtute temperante ac refrigerante pollet, & ideo præſtantiſſimum omnino cenſetur remedium in febribus quibusvis tam continuis, quam intermittentibus, ſi ſaltem lentas & hecticas, in quibus nimia dudum humorum diſſolutio adeſt, quodammodo exceperis, nec minus in inflammationibus,

tionibus, hæmorrhagiis exorbitantibus, adfectibus calidis arthriticis atque rheumaticis, fervore & ebullitione nimia bilis & ſanguinis, doloribus aliisque adfectibus ſpaſmodicis & convulſivis, a ſanguinis congeſtione, orgaſmo, aut ſtagnatione maxime oriundis, ut & in mania, apoplexia ſanguinea, aſthmate ſanguineo-ſpaſmodico, paroxyſmo hypochondriaco & hyſterico, cephalalgia, odontalgia, otalgia calida bilioſa, ictero acuto, cholera, nimio œſtro venereo, & morbis ſimilibus. Cavendum ſaltem, ne uſu, juſto diutius protracto, nimia humoribus diſſolutio, nimiumque refrigerium inducatur, & apud viros adpetitus venereus plane dejiciatur; uti hoc ultimum in Anglia aliquando factum fuiſſe DIPPELIVS, et JOH. HVMMELIVS referunt: *Invaluerat nimirum*, poſterior ſcribit, *a Baconis (Verulamii) ſuaſu & encomiis, nitri uſus medicus in Anglia, adeo, ut pene univerſaliter quivis morbi, unico hoc remedio, ut adparebat, profugarentur; ſed cum aliquot annorum tractu, qui huic medicamini aſſueverant, ſentirent, ſe in dies viribus langueſcere, ſicut & proſtratus vorandi & bibendi appetitus languebat, & ſexus apprime ſequior deprehenderet ingens ſuæ felicitatis ſummæ in re venerea detrimentum, neſciens, quodnam veneficium in Anglia, in hac palæſtra alias admodum ſtrenuos, ligaſſet, & ſatagendo huic negotio ineptos reddidiſſet. Detecta tandem hujus ingentis miſeriæ cauſſa, adeo communi odio & ira, in uſum nitri medicum inſurrexere*

a) Lib. cit. §. 19. pag. 32.

rexere mulieres, æque ac viri, ejusque auctorem Baconem Verulamium maledictis excepere, ut vix a præmeditati in detrimentum gentis veneficii labe & accusatione publica se vindicare potuerit. &c.

III. Singularis hæc nitri virtus refrigerans non derivanda est a frigore actuali, uti nonnulli falso opinantur, sed potius ab insigni ejusdem vi incidente, resolvente atque aperitiva. Dum nitrum enim vasorum & tubulorum capillarium obstructiones blande reserat, fluidis perfectam meandi ac remeandi libertatem reddit, & exhalationem cutaneam largiorem liberioremque procurat, aliter sane fieri nequit, quin intestinus globulorum sanguinis affrictus imminuatur, & copiosior ex adverso, ob poros cutis magis patulos, partium igneſcentium exclusio contingat. *a* Datur nitrum depuratum in pulvere a granis 5. ad 10. 20. 30., & frequentissime pariter emulsionibus & potiunculis admiscetur. Externe gargarismata, in tumore glandularum salivalium, laxitate uvulæ, angina spuria, inflammatione faucium, raucedine, &c., usurpanda, ingreditur.

LAPIS PRVNELLÆ, NITRVM TABVLATVM, ET NITRVM AMMONIACALE FIXVM WEDELII

REC. Nitri crudi uncias quatuor, injice cruci-

a) Plura de hisce videantur in Diss. nostra de Refrigerantium differenti indole ac modo operandi p. 20. it. in Mat. med. rat. p. 216.

crucibulo, et in eo tamdiu relinque, donec, admotis carbonibus candentibus, instar aquæ fluat; quo viso, per vices sulphuris communis pulverisati dimidiam circiter drachmam inspergе, ut cum nitro fluente lenem detonationem subeat, aut lente duntaxat super illud deflagret, posteaque illud in pelvim æneam effunde, sic confestim in massam, vel etiam, si statim post effusionem agitatio pelvis accedat, in crustam salinam, candicantem, lapidiformem concrescit, quæ deinde *Lapis prunellæ* vocatur; Sin vero idem nitrum, cum sulphure fusum, cum minimo cochleari ferreo guttatim in pelvim effunditur, ut inde ideo rotulæ salinæ resultent, *nitri tabulati*, aut *rotulati* nomen accipit, quanquam etiam sint, qui hoc posterius lapidem prunellæ, prius contra nitrum tabulatum adpellant. Parum ab hisce respectu præparationis distinctum est *Nitrum ammoniacale fixum* WEDELII, præterquam, quod unciis quatuor nitri in crucibulo fluentis, loco sulphuris uncia dimidia salis ammoniaci pulverisati per vices injiciatur. Oritur sub quavis salis ammoniaci injectione lenis detonatio, & nitrum deinde, in pelvim effusum, colorem rubescentem induit.

NITRVM tabulatum, sola forma externa a

lapide prunellæ distinctum, non perfecte purum est, sed sale polychresto parcissime remixtum. Nam acidum gravissimum, sub deflagratione sulphuris a phlogistæ substantiæ compedibus liberatum, nitrum ex parte intrat, acidum levius nitrosum expellit, & ejus locum denuo occupat. Contusum pulverem subtiliorem, quam nitrum depuratum, suppeditat, virtute tamen refrigerante eidem aliquantulum postponendum est. Datur eadem dosi, & in morbis iisdem, in quibus nitrum depuratum proficuum censetur. Nonnulli cuivis nitri unciæ drachmam integram sulphuris pulverisati addunt; verum, si hoc factum fuerit, nitrum magis magisque in arcanum duplicatum aut sal polychrestum transformatur, & refrigerandi virtus valde minuitur. *Nitrum ammoniacale* WEDELII virtute refrigerante præcedens longe superat: Constat enim ex *teneriori nitro flammante*, & *nitro fixiori ordinario*. Illud nascitur, quando acidum nitri gravius, sub detonatione partem suam fixiorem alcalicam relinquens, acidum levius e sale ammoniaco extrudit, ac denuo cum sale urinoso volatili in tenerrimum sal medium coalescit, & id quoque causa est, cur hoc nitrum ammoniacale, aëre libero accedente, facilius humidum evadat, immo ex parte diffluat. Purum enim nitrum flammans, de quo alibi sermo erit uberior, difficillime ad consistentiam solidam & siccam redigitur, ac prompte præterea in ipso spiritu vini rectificatissimo solvitur.

NITRVM

NITRVM ANTIMONIATVM

NITRVM antimoniatum, alias etiam *Anodynum minerale* dictum, ex lixivio antimonii diaphoretici evaporando atque crystallisando paratur, & ordinario ex partibus diversis, nimirum *nitrosis integris*, *salsis*, arcano duplicato simillimis, & *regulinis tenerrimis* mixtum est. Sub nitri enim & antimonii detonatione acidum vitriolicum, quod in sulphure antimonii hæret, destructa pristina mixtione, in nitrum penetrat, levius ejusdem acidum e multis moleculis expellit, ac denuo cum parte nitri alcalica in arcanum duplicatum concrescit: Verum, quum singulæ nitri moleculæ sub motu mixturæ explosivo seu detonatione memoratam metamorphosin haud patiantur, multæ particulæ nitri integræ permanent, & ideo etiam haud mirandum est, quod aqua, postea antimonio diaphoretico superfusa, non tantum nitrum, sed etiam arcanum duplicatum, & quasdam partes regulinas solvat, & secum per chartam bibulam traducat.

LOCVM inter resolventia atque temperantia obtinet, & in febribus æque ac morbis reliquis, per temperantia & resolventia curandis, frequentissime a scrupulo dimidio ad drachmam semissem exhibetur, vel potiunculis & emulsionibus additur.

SAL

SAL DIGESTIVVM SYLVII

SAL digeſtivum SYLVII, quod alii etiam *ſal antifebrile*, *febrifugum*, *aperitivum*, *diureticum*, *embryonatum*, &c., adpellare conſueverunt, ex alcali fixo & acido ſalis communis ſub deſtillatione ſpiritus ſalis ammoniaci aquoſi, additis cineribus clavellatis, aut ſale tartari ſuſcepta, naſcitur, &, deſtillatione peracta, e capite mortuo aqua ſimplici extrahitur, poſteaque, præmiſſa lixivii filtratione & evaporatione, in loco frigidiuſculo in cubicas cryſtallos concreſcit. Nam alcali fixum, ſali ammoniaco pulveriſato, aut aliquantulum jam ſoluto mixtum, ſal urinoſum volatile extrudit, &, ejus locum denuo occupans, cum acido in novum ac fixius ſal medium coaleſcit.

HOC SAL nihil aliud eſt, niſi ſal commune generatum; ex ſubtilioribus tamen particulis, quam ordinarium ſal commune, conſtare videtur, quum ex acido ſpecifico, & ſale alcalico completo concreverit. Nam pars alcalica in ordinario ſale communi valde terrea eſt, adeo, ut multi adhuc dubitent, an illa mera ſit terra alcalina, ab acido corrodente ſolubilis reddita, an verum atque completum ſal alcalicum. Quoad naturam ac vires medicas cum reliquis ſalibus enixis convenit, adeoque in morbis variis, præſertim febribus intermittentibus, incidendi, reſolvendi,

ſolvendi, & abſtergendi fine, exhibetur. Doſis ordinaria a ſcrupulo ſemiſſe ad integram drachmam adſcendit.

SAL MIRABILE GLAVBERI

SVB ſpiritus ſalis fumantis deſtillatione e parte alcalica ſalis communis, & acido vitriolico generatur. Nam vitrioli oleum, ſali culinari adfuſum, in mixtionem penetrat, &, acido ſalis communis leviori expulſo, denuo cum parte alcalica in novum ſal medium concreſcit, quod deinde e capite mortuo aqua elixiviandum, &, præmiſſa lixivii filtratione atque ſufficienti evaporatione, in loco frigidiuſculo collocandum eſt, ut in cryſtallos regulares coeat.

FACILE hoc ſal in igne fluit, & facile pariter in aqua ſolvitur; quod autem, uti GLAVBERVS aliique adſerunt, aquam, cereviſiam, vinum, &c., tempore etiam calido æſtivo, in glaciem convertat, falſum eſt. Vſurpatur in morbis iisdem, in quibus reliqua ſalia media proſunt. Datur a ſcrupulo dimidio ad drachmam. ſemiſſem.

TARTARVS VITRIOLATVS

VSITATISSIMVM hoc ſal medium ordinario duplici modo paratur, nimirum ex ſale alcalico puro & ſpiritu vitrioli, vel ex alcali puro & vitriolo martis integro. Si prior

prior placet methodus, oleum tartari per deliquium, aut ſolutio ſalis tartari per oleum aut ſpiritum vitrioli, ſucceſſive inſtillatum, ita ſaturatur, ut inde perfectum ſal medium liquidum reſultet, quod deinceps, præmiſſa lixivii filtratione & evaporatione, in loco frigidiuſculo ad formam ſolidam, ſiccam, cryſtalliformem deducendum erit. Concretæ cryſtalli eximuntur, &, obiter aqua frigida ablutæ, in charta ſiccantur. Quod reſtat lixivium denuo evaporatur, ut aliæ adhuc cryſtalli concreſcant, et hic labor toties reiteratur, donec nullæ amplius cryſtalli ex moleculis ſalinis congregatis naſcantur. Nonnulli lixivium, finita efferveſcentia, & plenaria facta ſaturatione, coagulando ad ſiccitatem redigunt, at methodus hæc merito improbanda eſt, quum hac ratione puro impurum mixtum remaneat, ac raro, ob acidi aut alcalici ſalis prædominium, perfectum ſal neutrum inde prodeat. Secundum methodum poſteriorem, quam TACHENIVS primum communicavit, vitrioli puri martialis Anglicani quantitas in ſufficienti aquæ calidæ quantitate ſolvitur, & huic ſolutioni, debite prius filtratæ & adhuc calidæ, ſolutio ſalis tartari, aut cinerum clavellatorum aquoſa, filtrata, ac pariter calida ſucceſſive infunditur, donec, facta etiam mixturæ cum bacillo agitatione, nulla amplius efferveſcentia oboriatur: Quo facto, lixivium aliquandiu relinquitur in quiete, ut partes martiales metallicæ paullatim præcipitentur, deinde provide decantatur, filtratur, ad tertiæ partis remanentiam evaporatur, & ad cryſtalliſandum reponitur. Cryſtalli enatæ poſt exemtionem aqua frigida paullulum abluuntur, & adſervantur.

TARTARVM vitriolatum *ordinarium* & *Tachenianum*, utraque ſcilicet operatione rite inſtituta, nulla intercedit differentia. In caſu enim priori acidum vitrioli purum cum ſale alcalico puro in ſal neutrum concreſcit; in caſu poſteriori autem alcali purum ac fluidum, ſolutioni vitrioli infuſum, partes acidas e vitrioli mixtione deturbat, &, præcipitatis martialibus, ſibi ob majorem affinitatem tanta copia jungit, ut perfectum quoque ſal medium exſurgat. Quoad vires & uſum medicum uterque cum reliquis ſalibus neutris convenit, & a granis 10. ad 20. 30. exhibetur.

ARCANVM DVPLICATVM

ARCANVM duplicatum, alias etiam *Nitrum vitriolatum*, ut & *Panacea Holſatica* dictum, ordinario e capite mortuo aquæ fortis, ex æqualibus nitri & vitrioli partibus deſtillatæ, aqua extrahitur, lixivium inſpiſſatur,

ſatur, ſal coagulatum aliquandiu calcinatur, poſtea iterum aqua ſolvitur, & ſolutio, poſt decentem filtrationem & evaporationem, in loco frigidiuſculo ad cryſtalliſandum collocatur. Si moleculis ſalſis poſt primam cryſtalliſationem adhuc partes quædam terreo-vitriolicæ adhæreant, labores indicati, ſolutio videlicet, filtratio, evaporatio & cryſtalliſatio, addito tamen ad acidum ſaturandum pauxillo ſalis alcalici, repetendi erunt. Sin forte caput mortuum aquæ fortis deficiat, mixtura ex parte una nitri & partibus duabus vitrioli crudi martialis calcinati, vel etiam ex nitri & vitrioli calcinati partibus anaticis, ſub cœlo libero, in olla aperta, non vitreata, ſucceſſive calcinari, & ſal inde elixiviatum deſcripto modo tractari poterit. Naſcitur etiam arcanum duplicatum ſub ſpiritus nitri fumantis deſtillatione, quod, peracta deſtillatione, aqua tepida e capite mortuo, maximam partem ſolubili, extrahitur, & filtrationis, evaporationis & cryſtalliſationis ope ad debitam formam ac puritatem deducitur: Immo, methodo ſatis pariter compendioſa, componitur, quando liquor nitri fixi ſpiritu vitrioli, ſucceſſive inſtillato, debite & ad ſaturationem uſque imprægnatur.

CONSTAT hoc ſal medium, uti facile e præparatione patet, ex *acido vitrioli* & *parte fixa*

fixa alcalica nitri. Si quævis obſervanda probe ſub præparatione obſervata fuerint, ſal neutrum ſatis purum exiſtit; ſin chymicus autem in operando fuerit negligentior, partes terreæ calcariæ, aut terreo-vitriolicæ auſteriuſculæ puris ſalinis inmixtæ remanent, & quidem calcariæ, quando e capite mortuo ſpiritus nitri fumantis primo extractum fuit, terreo-vitriolicæ autem, quoties e capite mortuo aquæ fortis, vel ex antea quoque deſcripta mixtura nitri & vitrioli calcinata elixiviatur. Natura, ac viribus tartaro vitriolato, præſertim perfecte purum, haud diſſimile eſt, adeoque eidem & ſalibus enixis reliquis in morbis, ubi ſalia media incidentia proſunt, commode ſubſtituitur, & doſi eadem, h. e., a ſcrupulo dimidio ad drachmam dimidiam, imo integram, exhibetur.

SAL POLYCHRESTVM

SPECIES arcani duplicati eſt, & ex *parte alcalica nitri* & *acido ſulphuris* concreſcit, quando nitro in crucibulo fluenti tamdiu ſulphur commune pulveriſatum per vices injicitur, donec materia ſicca ac ſolida evadat, nec ſulphur, ultimo parca manu inſperſum, amplius accendatur. In principio ſulphur injectum blande duntaxat deflagrat, poſtea autem, aliquandiu cumprimis continuata injectione, in vividæ ac valde lucidæ detonationis motum rapitur. Abſoluta detonatione, ſal generatum aqua ſolvitur, ſolutio

filtrata evaporatur, & ad cryſtalliſandum reponitur.

IN GALLIA frequentiſſimi uſus eſt, & ordinario arcano duplicato, quanquam absque ulla ratione, plerumque præfertur. Nam incidendo, reſolvendo, abſtergendo, ſtimulando, &c., præſtat, quod nitrum vitriolatum vulgare, & reliqua ſalia enixa præſtare valent. Datur a granis 10. ad 15. 20. 30.

SAL DE SEIGNETTE

EX *ſale acido teneriori vegetabili*, & *alcali fixo* componitur: Sodæ nimirum Hiſpanicæ vel Alexandrinæ, ſubtiliſſime pulveriſatæ, & per cribrum ſetaceum trajectæ libra una, in vaſe terreo vitreato, aut lebete cupreo, ſtanno intus obducto, probe cum aquæ fontanæ decem vel duodecim libris coquendo, perfecte diſſolvitur, ſolutio per chartam bibulam filtratur, eidemque ſuper igne ebullienti cochleatim & per vices cryſtallorum tartari, tenerrime pulveriſatorum, & per cribrum ſetaceum pariter trajectorum libra una injicitur, donec, facta ſaturatione, lenis effervescentia, quæ ſub quavis injectione oritur, penitus ceſſet. Poſtea, omnibus ſolutis, lixivium calens denuo filtratur, & in prædicto vaſe cupreo mundo, ebulliendo & evaporando, ad eam conſiſtentiam redigitur, ut pauxillum, ſuper globum cucurbitæ vitreæ mundæ effuſum, illico in ſal ſolidum cryſtallinum concreſcat; quo viſo, lixivium ab igne removetur, vaſi terreo vitreato mundo, recenti, conico, infunditur, & in loco frigidiuſculo collocatur; ſic intra viginti quatuor horas cryſtalli ſolidæ cubicæ & rhomboideæ concreſcunt, quæ deinceps eximendæ & ſiccandæ ſunt.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES
ET VSVM MEDICVM

I. HVJVS ſalis inventor fuit chymicus percelebris *Dominus de* SEIGNETTE, qui in *Rupella Galliæ* (Rochelle de France) quondam vixit, & ſalium cumprimis elaborationi, depurationi & ſubtiliſationi multum temporis impendit. Diu hoc præparatum ſalinum *Dominus de* SEIGNETTE, quoad compoſitionem, occultavit, donec tandem *Domino* BOVLDVCCIO & GODOFREDO præparatio innoteſceret, qui eam academiæ Regiæ communicabant. *a*

II. Soda, quæ alias etiam *Rochetta*, *Fritta*, *Soude*, *Salicornia*, *ſalſola*, *alumen catinum*, *ſal herbæ Kali*, &c., vocatur, eſt ſal alkali fixum, non

a) Conf. b. TEICHMEYERI Diſſ. de Sale de Seignette p. 6. it. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences A. 1732.

non perfecte tamen purum, ſed partibus quibusdam ſalſis marinis, dudum herbæ, e cujus cineribus hoc ſal ordinario paratur, inhærentibus, remixtum. Optima cenſetur, quæ inſtar lapidis dura eſt, & colore cinereo, miculis albicantibus minimis, & nigricantibus majoribus undique diſtincto, gaudet. Ordinario ex Ægypto, regno Tripolitano, Syria, & Hiſpania, ubi ex Kali geniculati majoris, in locis maritimis uberrime creſcentis, cineribus conficitur, in noſtras transmittitur regiones, ac vulgo in *Sodam orientalem* Ægyptiacam, Tripolitanam, Syriacam, &c., & *Hiſpanicam* diſtinguitur.

III. Solutio ſodæ, ut & lixivii ſalſi poſtea confecti coctio, evaporatio & cryſtalliſatio in vaſis novis, antea nondum in uſum vocatis, fieri debet. Sæpius enim obſervatum fuit, totum negotium, adhibitis vaſis non perfecte mundis, minus feliciter ſuccedere.

IV. Sal de Seignette, quod ingrata amaritie penitus caret, alvum blande movet, ſi adultis ab uncia dimidia ad integram in aqua quadam deſtillata, aqua ſimplici, juſculo avenaceo, vel etiam brodio laxativo mannato aut rhabarbarino exhibetur, urinam præterea pellit, viſcera obſtructa aperit, cruditates viſcidas reſolvit, atque abſtergit, adeoque in variis morbis, ubi reſolventia, aperitiva & blanda laxantia proſunt, maxime autem in febribus intermittentibus, vires non contemnendas exſerit. Reſolvendi duntaxat fine exhibendum datur a ſcrupulo uno ad drachmam integram:

integram: Addi etiam poteſt, tanquam ſtimulans, clyſteribus a drachmis duabus ad unciam dimidiam.

SAL SECRETVM GLAVBERI

SAL ſecretum ſeu *ſal ammoniacum ſecretum Glauberi* producitur, quando ſpiritui ſalis ammoniaci vinoſo, vel aquoſo in cucurbita vitrea ſucceſſive tantum olei vitrioli inſtillatur, ut alcali urinoſum perfecte ſaturetur, & cum acido in tenerrimum ſal ammoniacale coaleſcat. Phlegma deinde blando igne abſtrahitur, donec ſal generatum ad conſiſtentiam ſiccam redactum ſit. Si ſub finem deſtillationis, ſale jam jam exſiccato, ignis fortior admovetur, tandem ſal ipſum ſublimatur.

FACILLIME hoc concretum ſalinum in aqua ſolvitur, & facile pariter, ſi aëri liberiori acceſſus pateat, deliqueſcit; hinc in vitro etiam probe obturato adſervandum, nec inter pulveres recipiendum eſt. Optime datur ſub forma liquida, poſtquam ſponte in liquorem diffluxit, vel in aqua ſimplici, aut quadam deſtillata, ſolutum fuit. Egregium conſtituit medicamentum reſolvens, abſtergens, aperitivum & diureticum, adeoque cum fructu in febribus intermittentibus, ictero, obſtructione viſcerum & glandularum, ſuppreſſione urinæ, menſium, lochiorum, fluore albo, cachexia, aſthmate pituitoſo, &c., exhibetur. Doſis

ordinaria, ſive ſiccum præſcribatur, ſive in liquore diſſolutum, a ſcrupulo dimidio ad drachmam integram adſcendit. Cum ſale ammoniaco ſecreto GLAVBERI maxima ex parte convenit *Nitrum flammans* ſive *ammoniacale*. Spiritus enim ſalis ammoniaci aquoſus ſpiritu nitri acido, ſucceſſive inſtillato, ſaturatur, mixtum filtratur, aliquantulum poſtea evaporatur, & ad cryſtalliſandum reponitur, vel etiam ad ſiccitatem coagulando perducitur. Hoc ſal medium in ipſo ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvitur, & præcedenti virtute medica æquiparandum eſt. Datur a ſcrupulo uno ad drachmam integram, vel etiam liquor, cum vino aut ſpiritu vini inde paratus, a guttis 30. ad 40. 50. 60. Summam etiam ſimilitudinem, præter nitrum ammoniacale, cum ſale ſecreto GLAVBERI habet *Tartarus ſolubilis*, qui pariter ex ſale urinoſo & acido vegetabili concreſcit, quando ſolutio cryſtallorum aut cremoris tartari filtrata aquoſo ſalis ammoniaci ſpiritui, uſque ad perfectam ſaturationem, inſtillatur, & liquor ſalſus poſt filtrationem in vaſe vitreo, (vaſa terrea enim penetrat,) evaporatur, ut nil remaneat, niſi ſal ſiccum, tenerius, facile in aëre humidiuſculo diffluens, in ipſo ſpiritu vini ſolubile, ac ſemi-volatile in igne: Semivolatile, inquam, in igne; æque enim, ac *ſal ſecretum Glauberi*, *nitrum ammoniacale*, ac ſtatim deſcribenda *terra foliati tartari*, adhibito igne paullo fortiori, circa vaſorum latera altius adſurgit, & in ipſum retortæ collum, ſi illi inditum fuerit, penetrat. Quoad naturam, vires & uſum medicum cum præcedentibus convenit.

TERRA FOLIATA TARTARI

TERRA foliata tartari, alias etiam *Arcanum tartari*, *Tartarus regeneratus*, *Sal vini eſſentiale* dicta, naſcitur, quando ſal tartari fixum aceto vini deſtillato perfecte ſaturatur. Plerumque ad unam ſalis tartari partem quatuordecim vel ſedecim aceti partes requiruntur. Obſervante enim HOMBERGIO [a] uncia una aceti deſtillati vix grana XXVIII., adeoque unciæ ſedecim vix drachmas ſeptem & grana XXVIII. ſalis acidi veri in phlegmate ſuo continent. Certius interim perfecta ſaturatio obtinetur, quando uni parti ſalis tartari primo tres circiter vel quatuor aceti vini deſtillati partes adfunduntur, phlegma inſipidum, finita effervescentia, ad ſalis ſiccitatem, in vaſe vitreo aperto, leni ac lenta evaporatione auffertur, vel in cucurbita deſtillando abſtrahitur, & hic labor, ſemper adfuſo aceto recenti, toties reiteratur, uſque dum acetum adfuſum non amplius inſipidum, ſed æque acidum, ac antea erat, poſt exactiorem miſcelam ſupernatet. Saturatione peracta, ſal

a) Vid. Memoir. de l'Acad. des ſciences A. 1693 p. 69.

enatum, impurum atque ſubnigricans eximitur, in vini ſpiritu denuo ſolvitur, ſolutio filtratur, & ſpiritus vini in cucurbita igne moderato evocatur, ut ſal in fundo ſiccum, purum, albicans, evadat, & foliorum inſtar concreſcat. Sin terra foliata tartari, poſt primam hanc ſpiritus vini abſtractionem, fortaſſis decentem albedinem ac puritatem nondum adepta fuerit, ſolutio in ſpiritu vini, ut & filtratio atque abſtractio repetenda erit.

SI CONCRETVM hoc ſalinum igni intenſiori in retorta committitur, deſtruitur iterum, vapores tranſeunt nebuloſi, qui in recipiente collecti tartari ſpiritum æmulantur, immo tandem, adhibito ſummo igne, oleum verum, quanquam exigua quantitate, flavum, grati odoris, expellitur: Subſtrato igne moderato inſtar ceræ funditur, in aëre facile deliqueſcit, & in aqua, vino & ſpiritu vini promptiſſime ſolvitur, hinc nullum etiam in pulveribus locum invenit, ſed ordinario ſub forma liquoris, quem *Liquorem terræ foliatæ tartari* vocant, a guttis 20. ad 30. 40. 50. 60., laxandi, abſtergendi, aperiendi, &c., fine, in variis morbis propinatur. Liquor terræ foliatæ tartari pro differenti atque ſpecifica ſolventis indole vel *aquoſus*, vel *vinoſus*, vel *ſpirituoſus* eſt, prærogativam tamen præ ceteris vinoſus meretur, quum temperatior ſit ſpirituoſo, & durabilior aquoſo. Noſtra quoque ætate ſæpiſſime in liquore terræ foliatæ tartari cum vino parato extracta

extracta ſolvuntur, & ſic tincturæ & eſſentiæ efficaciſſimæ ex tempore parantur.

TARTARVS TARTARISATVS

PARVM vel nihil a terra foliata tartari diſtinctus eſt Tartarus tartariſatus, qui ſequenti modo paratur: Solvuntur ſcilicet in ſufficienti aquæ ebullientis quantitate aliquot unciæ cryſtallorum tartari, & huic ſolutioni poſtea, ſub continuata ebullitione leniori, ſolutio ſalis tartari ſaturata per vices infunditur, donec efferveſcentia, poſt mixturæ etiam cum bacillo ligneo agitationem, perfecte ceſſet. Quo facto, liquor ſalſus filtratur, & uſque ad ſalis ſicci remanentiam evaporatur. Alii ordine inverſo ſolutioni ſalis tartari calidæ pulverem cryſtallorum tartari ſucceſſive, ad perfectam ſaturationem uſque, inſpergunt, & liquidum deinde filtratum & aliquantulum evaporatum ad cryſtalliſandum reponunt: Prius perinde eſt; intuitu cryſtalliſationis autem fine ſuo neutiquam potiuntur. Quævis enim ſalia enixa, ex acido vegetabili teneriori & ſale alcalico fixo, aut volatili urinoſo compoſita, ob inſignem partium teneritudinem, & ſolubilitatem promptiſſimam, perfectam cryſtalliſationem reſpuunt, & ideo etiam coagulando, h. e., plenaria duntaxat phlegmatis evaporatione, ad conſi-

ſtentiam ſiccam ac ſolidam deducenda ſunt. Cum eam quoque facile iterum amittant, in vitris probe clauſis adſervanda, nec unquam pulveribus, niſi illi confeſtim adſumantur, addenda erunt. Accedente enim aere humidiuſculo humida fiunt, & paullatim in liquorem reſolvuntur, immo, prompte in ſpiritu vini, etiam rectificatiſſimo, liquescunt, ſi ſaltem exceperis ſal ſecretum ammoniacale Glauberi, ex ſale urinoſo & acido vitriolico graviori concretum, quippe quod ſolutionem in ſpiritu vini rectificatiſſimo reſpuit.

TARTARVS tartariſatus ac reliqua hujus commatis ſalia enixa teneriora, præſertim in aqua, vino aut ſpiritu vini ſoluta, ſalia media craſſiora virtute incidente, reſolvente, abſtergente, aperitiva & diuretica ſuperant, & illis proinde in febribus intermittentibus, ictero, obſtructione viſcerum, malo hypochondriaco, nephritide pituitoſa, &c., longe præferenda ſunt. Liquores eorum aquoſi aut vinoſi a guttis 20. ad 40. 50. 60., ſpirituoſi autem ſaltem a guttis 20. ad 30. 40., reſolvendi & aperiendi fine, exhibentur: Sin alvum vero blande movere velimus, doſis ad guttas 70. 80. 100. & ultra adſcendere debet.

FLORES SALIS AMMONIACI

REC. Salis ammoniaci pulveriſati & exſiccati libram unam, eamque cucurbitæ terreæ aut vitreæ immitte, poſtea cucurbitam, capitello ſuo

ſuo inſtructam, in arenæ balneo colloca, & lutatis commiſſuris, parvuloque adplicato recipiente, ignem, per gradus magis magiſque augendum, ſubſterne; ſic primo pauxillum phlegmatis per roſtrum alembici, pauliſper ad inferiora declinatum, in receptaculum deſtillat, deinde flores nivei, ſub nebulæ albicantis forma evecti, in alembicum ſublimantur, ac totum ſal ammoniacum, in fundo ſaltem relictis partibus impuris nigricantibus, adſcendit, & partim in alembico floſculos niveos tenerrimos format, partim etiam ſub cruſtæ ſalinæ ſplendentis forma lateribus cucurbitæ in parte ſuprema adponitur. Expulſo phlegmate, ignis gradus notabiliter augendus, & ita, circumjecta prius majori arenæ calidæ copia, per octo vel decem horas conſervandus eſt, donec ſublimatio penitus peracta ſit. Flores deinde, vaſe perfecte refrigerato, & alembico provide remoto, eximuntur, & in vaſe optime clauſo adſervantur; non miſcendi tamen ſunt flores nivei cum ſale compactiori cucurbitæ lateribus adpoſito, ſed concretum utrumque ſeorſim cuſtodiri debet.

SVBLIMATA pars compactior nihil aliud eſt, niſi ordinarium ſal ammoniacum, ſublimatione depuratum; quod flores niveos & teneriores autem attinet, illi ſemivolatile & ſingulare ſal medium ſiſtunt, quod virtute incidente, reſol-

reſolvente, abſtergente, aperitiva, reliqua omnia ſuperat, iisdemque proinde in febre quartana rebelli, & inveteratis viſcerum obſtructionibus, ceterisque morbis, a muco tenaciſſimo præcipue oriundis, longe præferri meretur. Datur a granis 5. ad 10. 15. 20.

SAL EBSHAMENSE

SAL iſtud, quod ſub *Salis Anglicani Epſomienſis*, ſeu rectius *Ebshamenſis*, nomine venditur, vel *nativum* eſt, vel *factitium*, & prius iterum vel *verum* ac *genuinum*, vel *putatitium:* Verum ex aqua ſcaturiginis ſoteriæ, quæ in Angliæ pago Epſon ſive Ebsham reperitur, evaporando atque cryſtalliſando paratur; nativum ſpurium ſive putatitium autem partim ex aliis fontibus Angliæ medicatis, nimirum *Barnetinis*, *Northallenſibus*, *Strettamenſibus*, *Dulechenſibus*, aliiſque, ſimili methodo conficitur, partim etiam, referente D. MENDEZIO, [a] *Limingtonii* in *Comitatu Hamp*, ut & *Portſea-Islandiæ* prope *Portsmouth* ſingulari modo a ſale marino ſeparatur. Ibi ſcilicet locorum ſal quoddam foſſile in acervos congeritur: Ex acervis hiſce liquor ſalſus, amarus, acris, ſtillat, qui per canales quosdam in foveas deducitur, ubi

a) Vid. Hiſt. de l'Acad. Royal. des ſciences ann. 1718. p. 47.

ubi in ſal ſiccum ſucceſſive coagulatur, quod in aqua dulci, coctionis ope in ahenis, denuo diſſolvitur, & ita aliquot dies poſt coctionem relinquitur, ut refrigeretur, & aqua gravior, ſale marino imprægnata, a leviori, adeoque ſupernatante, lixivio amaro ad partem vaſis inferiorem ſecedat. Quo facto, operarii lixivium ſuperius amaricans exhauriunt, denuo in ahenis coquunt, & tandem, facta evaporatione ſufficienti, ad cryſtalliſandum reponunt. Quod factitium attinet, illud duplici modo præparatur, nimirum primo ex muria, poſt ſalis marini depurationem & cryſtalliſationem reſidua, cui caput mortuum vitrioli, aut vitriolum calcinatum certa quantitate miſcent, enatum ſal medium coquendo extrahunt, liquorem filtratum coagulant, ſal ſiccum calcinant, calcinatum denuo aqua ſolvunt, filtrant, & poſt evaporationem ad cryſtalliſandum in loco frigidiuſculo collocant. Hæc methodus ſal Ebshamenſe ſpurium conficiendi in Anglia valde ſolennis eſt, & alibi quoque locorum, ubi ſal culinare excoquitur, commode adhiberi poteſt. Alterum ſal Ebshamenſe ſpurium ex ſolutione aluminis aquoſa paratur, quando eidem, antea probe filtratæ, oleum tartari per deliquium, vel ſaltem ſaturata ſalis tartari ſolutio, usque ad punctum ſaturationis, infunditur, ut terra alumi-

aluminoſa ad fundum deturbetur, & acidum cum alcali puro iterum in ſal medium concreſcat, quod deinde, præmiſſa liquoris filtratione iterata, & evaporatione, in loco frigidiuſculo cryſtallos format. Hoc ſal magis cum ordinario tartaro vitriolato, quam vero ſale Ebshamenſi convenit, & ideo etiam remiſſiori amaritie pollet.

NOTANDA CIRCA NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM

I. VNA aquæ ſoteriæ fontis Ebshamenſis libra civilis vix drachmam ſalis amari continet: Vnde ſatis clare conſtat, ſal iſtud, quod ſub ſalis Ebshamenſis Anglicani nomine tranſmittitur, maxima ex parte factitium, aut nativum ſpurium eſſe.

II. Sal Ebshamenſe verum a ſpurio, ob ſummam utriusque quoad principia, proprietates ac vires ſimilitudinem, difficillime diſcernitur. Opinantur quidem nonnulli, ſal Ebshamenſe ſpurium ſemper ſale marino remixtum, verum autem purum ac homogeneum eſſe: At nondum hoc criterium ſufficit. Spurium enim, tum nativum, tum mere factitium, a ſale culinari, ſub ſeparatione prioris, & præparatione poſteriorис diligentia adhibeatur, perfecte liberari poteſt, & quis etiam cum fundamento negabit, vero & nativo ſali Ebshamenſi pauxillum ſalis culinaris, quod

quod in multis tractibus ſubterraneis obvium eſt, perſæpe ad- & inmixtum eſſe? Parum cæteroquin refert, an ita dictum ſal Ebshamenſe verum ſit, an vero ſpurium, dummodo poſterius cum priori ratione naturæ ac virium medicarum conveniat.

III. Sal Ebshamenſe verum ac ſpurium *ſali mirabili* GLAVBERI analogum eſt, & ex acido vitriolico & alcali fixo ſalis communis componitur. Acidum autem vitriolicum huic ſali re vera ineſſe, non tantum ex artificiis ſupra deſcriptis, quorum ope ſal quoddam, ordinario ac genuino ſali Ebshamenſi ſimillimum producitur, ſed clare etiam ex ejusdem ſulphurificatione cum carbonibus eluceſcit. Quando iſtud enim cum decenti pulveris carbonum & ſalis tartari quantitate miſcetur, forti etiam adhibito igne, fuſionem quidem reſpuit, at totum tamen cum ingenti ſulphuris fœtore in auras evolat, adeo, ut nil, niſi maſſa dura ac nigra, in fundo crucibuli relinquatur.

IV. Sapore gaudet amaricante, ex moleculis valde ſubtilibus conſtat, & prompte in exigua aquæ quantitate diſſolvitur. Vna enim aquæ uncia, obſervante b. HOFFMANNO, *a* integram hujus ſalis unciam recipit; unde etiam fit, ut ſpiritus vini, ſaturatæ ejusmodi ſolutioni infuſus, eam protinus in maſſam ſtabilem & inſtar glaciei, firmam coagulet.

V. Vires poſſidet reſolventes, aperitivas, abſtergentes, atque purgantes, & ideo etiam hypochon-

a) In Obſervat. Phyſico-chym. ſelect. p. 125.

pochondriacis, qui viſcerum obſtructione, & frequenti alvi obſtipatione laborant, egregie conducit. Abſtergendi, incidendi atque aperiendi fine, a ſcrupulo uno ad drachmam integram, exhibetur; ſin alvum vero validius ſubducere velimus, adultis uncia dimidia, drachmæ ſex, imo uncia integra in aqua ſimplici aut quadam deſtillata, in qua ante exhibitionem ſolvitur, propinandæ erunt. Clyſteribus denique ad aliquot drachmas ſubinde additur.

SAL CAROLINARVM

SAL medicinale Carolinarum non adeo diu in uſu fuit, ſed undecim circiter abhinc annis, ſuaſu b. HOFFMANNI, tanta illud copia ex thermis Carolinis demum excoquere coeperunt, ut ad exteros transmitti potuerit. Sequenti autem modo ibidem præparatur: a) Pro una ſcilicet vice mille circiter libræ vulgares aquæ fervidæ, ex ſcaturigine illa, quam, ob furioſam aquæ proruptionem, den Prudel vocant, hauſtæ, in catina ferrea, ſuper igne poſita, usque ad cuticulæ apparentiam, inſpiſſantur, &, præmiſſa filtratione, aeri frigidiuſculo exponuntur, ut cryſtalli in muria inſpiſſata concreſcant. Liquor, a prima cryſtalliſatione remanens, de novo inſpiſſatur,

a) Conf. D. NICOLAI BORRIES Differt. de Sale Medicinali Carolinarum, ſub b. Hoffmanni præſidio A. 1734. Halæ habita p. 11.

tur, & ad cryſtalliſandum reponitur, atque toties hic labor reiteratur, donec ſal in fundo amplius coire renuat. Cryſtalli priores majori ordinario albedine, quam ultimæ, gaudent, et ex indicata aquæ quantitate plerumque tres ſalis ficci libræ colliguntur: Vnde conſtat, unam aquæ libram circiter dimidiam ſalis drachmam continere. Muria, ſaponacea & contactu pinguis, cryſtalliſatione penitus peracta, in fundo relicta, aurantium colorem & ſaporem ſaturate lixivioſum obtinet, cum acido tamen minime efferveſcit, ſpiritum vini autem, in quo ex parte ſolvitur, ſapore cauſtico imbuit.

NOTANDA CIRCA NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM

I. SAL Carolinarum ex cryſtallis oblongis, pellucidis, nivei coloris conſtat, & linguæ, ſive ſiccum, ſive in aqua ſolutum deguſtetur, ſaporem mixtum, h. e., lixivioſum, amaricantem, & paullſper quoque refrigerantem nitroſum, imprimit: Cryſtalli tamen non adeo durabiles ſunt, ſed ſucceſſive, præſertim aëre liberiori ſæpius admiſſo, in pulverem albiſſimum atque tenerrimum, absque ullo tamen deliquio, fatiſcunt. Ob partium ſubtilitatem facile admoto igne fluit, ac prompte pariter ac magna quantitate in aqua ſolvitur

vitur. Vnica enim aquæ calidæ uncia drachmas decem & ſcrupulos duos, & æqualis aquæ frigidæ quantitas ſex drachmas & ſcrupulum unum prompte diſſolvit.

II. Ex ſale enixo, & ſale fixo alcalico, quod poſterius plus, quam dimidiam partem conſtituere creditur, mixtum eſt. Nam 1. ſolutio hujus ſalis aquoſa, addito ſyrupo violarum, viridem colorem induit, 2. ſal ipſum cum oleo tartari per deliquium nullum plane, cum adfuſis vero acidis, tam fortioribus, quam mitioribus, fortem efferveſcentiæ motum ſubit, & 3. cum ſale ammoniaco triturationis ope probe ſubactum, non tantum ſponte liqueſcit, ſed mixtura etiam odorem volatilem penetrantiſſimum, a ſale urinoſo, per alcali fixum ſub triturationę expulſo, prodeuntem, ſpargit. Partes falſæ compoſitæ ſunt ex ſale fixo alcalico, & acido vitriolico: Si laudatum enim ſal cum ſexta pulveris carbonum parte miſcetur, & crucibulo funditur, maſſa, hepati ſulphuris æmula, inde reſultat.

III. Blanda virtute purgante & egregia quoque antacida, incidente, abſtergente, aperitiva, diuretica atque diaphoretica pollet, adeoque etiam in multis morbis, ex mucida & acido-tartarea colluvie, ſpiſſitudine humorum, nec non viſcerum atque glandularum obſtructionibus maxime oriundis, v. g. adfectibus ventriculi & inteſtinorum flatulentis, febribus intermittentibus, ictero, paſſione hypochondriaca, hydrope aſcite, anaſarca, obſtructione hepatis, lienis, glandularum

rum meſeraicarum, ſuppreſſione urinæ, menſium, hæmorrhoidum, aſthmate pituitoſo, cachexia, hemicrania & compluribus hujus commatis aliis, uſum præſtat egregium; quemadmodum de hiſce & uſu hujus ſalis ſpecialiori plura in Diſſertatione ſupra allegata videri poſſunt. Alterandi fine, a drachma dimidia ad integram, purgandi vero ſcopo, apud adultos ab uncia dimidia ad drachmas ſex, imo ad unciam unam, prius tamen in ſufficienti aquæ ſimplicis quantitate ſolutum, exhibetur.

SAL AMARVM SEIDLIZENSE ET SEIDSCHVZENSE

EX AQVA amara, quæ in Bohemiæ pagis *Seidliz* & *Seidſchütz* ſcaturit, & magna copia ad exteros, partim in doliis, partim lagenis, evehitur, evaporando & cryſtalliſando paratur. Quævis aquæ libra binas ſalis drachmas continet, &, præter iſtud, nullum aliud principium activum minerale in ſinu fovet reconditum. Cryſtalli albicantes ac parvulæ ſunt, ſapore pollent amaro, nonnihil tamen nauſeoſo, nullam a calido aut frigido aere patiuntur mutationem, in igne difficilius, quam ſal Carolinarum, fluunt, et paullo tardius quoque atque minori quantitate in aqua calida ac frigida ſolvuntur. Nam uncia una aquæ puræ calefactæ duntaxat unciam unam, & aquæ frigidæ quantitas æqualis drachmas quinque & ſcrupulos duos hujus ſalis recipit.

NOTANDA CIRCA NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM

I. EX ACIDO vitriolico & alkali fixo ſalis communis completum hoc ſal enixum componitur, & ſali mirabili Glauberi ea propter maxime analogum exiſtit. Syrupus enim violarum, ut & acida fortiora & mitiora nullam eidem inducunt mutationem, & nullus quoque odor urinoſus, commixto ſale ammoniaco pulveriſato, adſurgit: Sin aquoſæ autem ejuſdem ſolutioni oleum tartari per deliquium inſtillatur, illa in ſpiſſum coagulum lactei coloris convertitur, & maſſa pariter, hepati ſulphuris ſimillima, naſcitur, quando hoc ſal cum ſufficienti pulveris carbonum & ſalis tartari quantitate in crucibulo colliquatur. Pars alcalina in hoc ſale non perfecte ſalina, ſed valde ſimul terrea eſſe videtur, & acidum quoque paullo levius atque ſubtilius, quam oleum vitrioli, deprehenditur. Prius non tantum ex prædicto ſolutionis coagulo, quod addito ſale tartari liquido naſcitur, ſed etiam ex ſedimento terreo, quod poſt ſolutionem huius ſalis in aqua pura fontana remanet, ut & ex productione ſalis amari purgantis e magneſia Romana & ſpiritu vitrioli, ſatis innoteſcit; poſterius autem per deſtillationem hujus ſalis cum vitriolo ad rubedinem calcinato manifeſtatur. In principio enim ſpiritus tranſit, qui cum ſpiritu ſalis multa habet communia, deinde autem ſpiritus vitrioli portio expellitur. Citius hoc experimentum

mentum & minori labore abſolvitur, quando ſalis & vitrioli rubri mixtura in crucibulo candente & aperto ſaltem calcinatur. Hoc ſal, quod adhuc adjiciendum eſt, per ſe e retorta deſtillatum, primo aquam inſipidam, poſtea phlegma aciduſum, nullum vero ſpiritum acidum tranſmittit, & in retorta terra ſpongioſa calcarea nivei coloris relinquitur, quæ, inſtar calcis vivæ, in adfuſa aqua frigida incaleſcentiam & fortem ebullitionem provocat.

II. Quoad naturam & vires medicas valde quidem cum ſale Anglicano Ebshamenſi convenit, gravitate tamen, amaritie & virtute cathartica illud ſuperat. Laudatur in omnibus morbis, ſub ſimilis naturæ ſalium deſcriptione recenſitis, &, tanquam merum alterans atque reſolvens, a drachma dimidia ad integram, tanquam purgans autem, apud adultos a tribus ad ſex drachmas, in ſufficienti aquæ quantitate prius ſolutum, propinatur. Externe, æque ac ſal Carolinarum & Ebshamenſe, clyſteribus, abſtergendi ac ſtimulandi fine, ad aliquot drachmas miſcetur. Salibus acidis, alcalicis ac mediis, comparative purioribus, hoc loco adhuc ſubjungenda erunt *Salia acidulo-ſulphurea*, uti v. g. *tartarus emeticus*, ut & *concreta* quædam *unguinoſo-ſalina dulcia*, ut *ſacharum lactis*, *ſacharum penidium*, & ſimilia. Singula tamen hac vice non attingam, ſed nominatorum duntaxat, quæ ſelectiora, vel tamen uſitatiora ſunt, deſcriptionem tradam.

TARTARVS EMETICVS

REC. Croci metallorum Rulandi, vel hujus loco hepatis antimonii aut vitri antimonii, ex calcinato antimonio crudo parati, cryſtallorum aut cremoris tartari ana unciam unam. Subtiliſſime pulveriſata ac mixta cum dimidia vel etiam integra aquæ ſimplicis libra primo per biduum leni calore digerantur, poſtea in olla vitreata, ſæpius mixturam ſpatula lignea agitando, coquantur, donec in ſuperficie liquoris cuticula ſalina tenerior adpareat: Qua viſa, liquor adhuc calidus per chartam bibulam filtretur, ut ab impuritatibus craſſioribus probe liberetur, & ad cryſtalliſandum deinde in loco frigidiuſculo collocetur, vel, quod præſtat, leni evaporatione ad ſiccitatem, ſub frequenti tamen cum ſpatula agitatione, redigatur, ut nil, niſi concretum ſulphureo-regulino-ſalinum remaneat, quod poſtea ſiccandum, in pulverem ſubtilem tritura redigendum, & in vaſe clauſo adſervandum eſt. Methodus poſterior, quæ plenaria liquoris filtrati evaporatione nititur, priori, cryſtalliſatione poſt evaporationem aliqualem abſolvendæ, longe præferri meretur. Ea enim adhibita, tartarum emeticum nanciſcimur, per totam ſuam molem partibus ſulphureo-regulinis æqualiter imprægnatum; quod tamen, advocata priori præparandi methodo,

thodo, ſperare haud poſſumus, dum aliis cryſtallis major, aliis minor ſubſtantiæ ſulphureo-regulinæ emeticæ portio in- & adhæret, & aliæ proinde majorem, aliæ minorem, aliæ fere nullam, ſub eadem etiam doſi datæ, vim emeticam exſerunt.

TARTARVS emeticus, rite præparatus, inter vomitoria completa & ſelectiora primum locum ſibi jure vindicat, & in noſtris regionibus ordinario adultis a grano uno & ſemiſſe ad grana 2. 3. 4.; infantibus autem, pro ætatis differentia, ab octava grani parte ad granum dimidium, imo integrum exhibetur, vel per ſe, vel, quod frequentius fieri conſuevit, cum aliquot ſachari granis in pulverem redactus.

SACHARVM LACTIS

SACHARVM, ſeu eſſentiale ac dulce ſal lactis, ſequenti modo, a LVDOVICO TESTI *Regienſi*, medico Veneto celeberrimo, in peculiari de hoc ſacharo & arthritide tractatu, anno 1709. primum communicato, paratur: Lacti nimirum vaccino, menſe Junio vel Julio collecto, ac modo vulgari cocto, tot ova recentia adduntur, ut abeat in coagulum, (auf die Art, wie hier zu Lande die Eyer-Käſe gemachet werden); Serum ab hoc coagulo deinde ſeparatur, ac ſtatim coquitur, ne aceſcat, ac leni hac coctione aliquantulum inſpiſſatur, illud tamen ſæpius per linteamina munda

munda filtrando, quo omnis viſcoſitas hac ratione a ſero ſeparetur. Lenis coctio & evaporatio autem tamdiu continuanda eſt, donec cuticula in ſuperficie liquoris concreſcat; qua viſa, ab igne removetur, & in loco frigidiuſculo collocatur; ſic intra breve tempus cryſtalli ſalinæ, dulciſſimi & gratiſſimi ſaporis, naſcuntur, quæ eximendæ, ac, leni præmiſſa exſiccatione, adſervandæ ſunt. Præter deſcriptum ſal lactis eſſentiale ſacharinum adhuc aliud ex ſero lactis, poſt præviam leniorem fermentationem cremore oleoſo jam maxima ex parte orbati, itemque ex ſero, per lactis præcipitationem cum acidis producto, coctionis, filtrationis, evaporationis atque cryſtalliſationis ope, poteſt parari: Verum, cum illud acidulo polleat ſapore, priori neutiquam æquiparandum eſt.

SAL lactis eſſentiale acidulum, inſtar aliorum ſalium acidulorum, duntaxat humores calidos, commotos, & orgaſtice expanſos temperat, perfecte autem dulce ſive ſacharinum non tantum temperat, ſed, ob partes oleoſas temperatiſſimas atque tenerrimas, acidulis, quas involvunt, firmiter unitas, humores acres egregie edulcorat, ac blandam diureſin provocat; hinc ſpecificum etiam in arthritide vaga atque fixa, podagra, ſcorbuto, etc. creditur remedium, & arthritidem certiſſime profligare dicitur, ſi quotidie per menſem & ultra drachma una

una adſumatur. Doſis ordinaria a drachma dimidia ad integram adſcendit.

SACHARVM PENIDIVM

SACHARVM, ad juſtam conſiſtentiam coctum, ſuper tabula marmorea, oleo amygdalarum dulcium imbuta, effunditur, & tamdiu ibi relinquitur, donec eatenus refrigeſcat, ut, terebinthinæ denſæ inſtar, manibus terſis, & amylo ſæpius aſperſis, ſuper unco ferreo iterato et operoſe tractari, ac filorum inſtar craſſorum aut funium duci, tandemque, poſtequam ſufficienter refrigeratum candorem contraxit, in bacillos oblongos, digitum circiter craſſos, contorqueri atque efformari poſſit.

SACHARVM hoc, ob intermixtas partes unguinoſo-oleoſas, & mucilagineas farinaceas, longe majori, quam ſacharum ſimplex ac purum, virtute demulcente pollet, & majus ideo auxilium in eroſione partium, raucedine, & & tuſſi acri falſa præſtat.

SECTIO VII
DE
SVBLIMATIS, FLORIBVS ET SALIBVS SICCIS VOLATILIBVS

CAPVT I
DE
SVBLIMATIS STRICTE ITA DICTIS

§. I

MEDICAMENTA, ſublimatione paranda, ſunt vel *ſublimata ſtricte ſic dicta*, vel *flores*, vel *ſalia ſicca volatilia*. Sublimata ſtricte ſic dicta, de quibus in hoc capite ſermo erit, ſunt concreta ſicca, ponderoſa, compacta, plus minuſve ſplendentia, ſalino- aut ſulphureo- mercurialia.

§. II

SVBLIMATA *ſalino- mercurialia*, quibus *mercurius corroſivus ſublimatus*, & *mercurius dulcis* præcipue adnumerantur, ex *argento vivo* ſeu *mercurio currente*, & huic, interveniente corroſione, firmiter unito *ſale acido cauſtico* componuntur; ſublimata vero *ſulphureo-mercurialia*, cujus cenſus ſunt *cinnabaris factitia vulgaris* & *cinnabaris antimonii*, *argentum vivum* & *ſulphur commune minerale* ad ſui compoſitionem poſtulant.

§. III

PRIORA æque, atque poſteriora, uti antea pridem dictum fuit, *ſublimatione*, & quidem in *cucurbitis* aut *retortis* vitreis, terreis, vel ſibi relictis vel loricatis, adeoque nunc immediate carbonibus candentibus, nunc arenæ imponendis, parantur; quemadmodum de hiſce ſub ſpecierum tractatione plura dicenda erunt.

§. IV

VSVS medicus ſublimatorum in genere non adeo commode traditur, quoniam illa ipſa indole, modo operandi ac viribus valde differunt, & unumquodque peculiaribus virtutibus inſtructum reperitur, vel iis tamen inſtructum creditur; uti iſtud ſequentes paginæ pariter docebunt.

SVBLIMATA STRICTE SIC DICTA VSITATIORA

Mercurius ſublimatus corroſivus.
- dulcis.
Cinnabaris factitia vulgaris.
- antimonii.

MERCVRIVS SVBLIMATVS CORROSIVVS

REC. Mercurii vivi, ſale communi & aceto, aut vini etiam ſpiritu debite loti atque purgati, vitrioli ad rubedinem calcinati, ſalis decre-

decrepitati ana libram dimidiam, vel etiam mercurii vivi uncias octo, salis decrepitati, & vitrioli ad rubedinem calcinati ana uncias duodecim. Mediante tritura in ampliori mortario vitreo aut marmoreo, identidem pauxillum aceti, sale imprægnati, ad promovendam miscelam inspergendo, probe misceantur, & mixtura deinde in cucurbita terrea loricata, vel etiam vitrea, inferne solummodo luto obducta, & cupellæ ferreæ, arena repletæ, imponenda, igne caute & gradatim aucto, sublimetur. Initio sublimationis halitus aqueo-acetosus adsurgit, hinc cucurbitæ etiam orificium tamdiu relinquitur apertum, donec humidum, (quod cultro polito, cucurbitæ orificio per intervalla admoto, explorari potest,) penitus expulsum sit; quo facto, orificium firmiter clauditur, &, substrato igne intensiori, mercurius siccus corrosivus, qui sub nebulæ albissimæ forma adscendit, in sublime pellitur. Adhærescit cucurbitæ lateribus, & postea igitur, vase scilicet refrigerato, caute a recrementis, partim in fundo relictis, partim vitri lateribus pariter hinc inde adpositis, separandus, eximendus, & per se adhuc semel sublimandus est, ut debitam puritatem, & perfectum nitorem consequatur. Alii argentum vivum in modica aquæ fortis quantitate aliquantisper, vel etiam, majori

majori aquæ fortis quantitate adhibita, perfecte solvunt, solutionem leni evaporatione in massam siccam inspissant, & tunc demum cum sale decrepitato & vitriolo, ad rubedinem aut albedinem calcinato, antea dudum seorsim pulverisatis, miscent, posteaque sublimationem descripto modo instituunt.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM

I. MERCVRIVS sublimatus concretum sistit albissimum, splendens, crystallinum, ponderosum, ac summe corrosivum *salino mercuriale*, ex globulis argenti vivi ponderosissimis, spiculis acutis, rigidis, salino-acidis circumquaque armatis, arctiori interveniente aggregatione, compositum.

II. Notabilis differentia respectu elementorum intercedit mercurium sublimatum, ex argenti vivi, vitrioli calcinati & salis decrepitati mixtura sublimatione paratum, & mercurium sublimatum, ex sale, vitriolo, & argento vivo, ante miscelam in aqua forti soluto, productum. In priori enim solum acidum salis culinaris, in posteriori autem, tum hoc, tum acidum nitrosum, mercurii vivi globulis corrosionis beneficio unitum fuit.

III. Vitriolum, ad albedinem, flavedinem aut rubedinem calcinatum, ideo mercurio vivo & sali

sali culinari decrepitato additur, ut mediante acido suo specifice graviori, quod solus ignis intensior a parte metallica separare valet, acidum specifice levius e sale culinari extrudat, quo mercurium vivum promptius aggredi, corrodere, & cum eodem post unionem sublimari possit. Credunt nonnulli, sulphur quoddam vitrioli anodynum simul adscendere, & in mercurii sublimati mixtionem recipi; at, me sentiente, valde errant: Nullum enim in vitriolo sulphur reperitur, & tenerrima substantia inflammabilis, quæ forsan in eo demonstrari potest, acidum suum potentissimum, cui tenacius adhæret, neutiquam deserit. Adferunt quidem probandi fine experimenta, a colore niveo, per instillatum oleum tartari per deliquium mutato in aurantium, maxime desumta: Verum, quid facilius in corporibus accidit, quam mutatio coloris, & quis ea sulphuris præsentiam solide demonstrare audebit?

IV. Quum quævis mercurii sublimati molecula corpusculum sistat sphæricum ponderosissimum, spinis acutissimis circumquaque horridum, neutiquam mirandum est, quod ille ipse summa vi corrodente, quam sub provolutione, seu motu partium leniissimo confestim exserere valet, instructus sit, quodque solidas corporis humani partes internas & externas non tantum horrendis stimulis ad contractiones convulsivas, quibus ordinario gravissimæ junguntur inflammationes, inciter, sed earum quoque compagem scindendo intra breve tempus dissolvat.

V. Ob

V. Ob indicatam actionem perniciosissimam mercurius sublimatus inter venena mineralia fortissima militat, & solummodo externe, vel in pulverem redactus, vel in liquorem resolutus, vel etiam unguentis mixtus, absumendi fine, verrucis, glandulis induratis, callis ulcerum pertinacissimis, &c., maxima tamen circumspectione, adplicatur. Sunt quidem, qui illum in multa aqua solutum, aut syrupo quodam mitificatum, in variis morbis rebellibus, ut & ad salivationem in lue venerea excitandam, interne commendant: Verum, unumquemque hortor medicum, ut ab usu hujus concreti corrosivi interno semper abstineat, si alias conscientiam salvam & famam illibatam servare velit. Noxæ enim, quas productum hoc, interne usurpatum, infert, non semper post primam statim adsumtionem, sed persæpe post notabile demum tempus sentiuntur.

MERCVRIVS DVLCIS

REC. Mercurii sublimati quantum placet, eidemque in mortario vitreo aut marmoreo mercurium vivum depuratum successive adde, & utrumque ita protracta tritura misce, ut inde pulvis nigricans resultet, cui sub tritura continuata tamdiu novus mercurius vivus additur, donec mercurius sublimatus perfecte saturatus sit, nec ullos globulos mercuriales amplius adsumat. Hisce peractis, pulvis nigricans cucurbitæ vitreæ angustioris colli inferne loricatæ, aut sibi relictæ, injicitur,

injicitur, cucurbita loricata inter carbones candentes, ſimplex vero in cupella ferrea, arena repleta, altius collocatur, & mercurius dulcis eodem modo, quo ſublimatus corroſivus, adhibito tamen paullo majori ignis gradu, ſublimatur; ſic in principio pauxillum mercurii vivi ſub fumi nigricantis forma, & deinde nebulæ albicantes, quæ, colli lateribus adhærentes, albam, ſplendentem & compactam materiam, ſeu mercurium dulcem, conſtituunt, ſucceſſive adſcendunt. Finita ſublimatione, vitrum mediante annulo ferreo ignito frangitur, & corpus albicans, ſplendens, compactum, ponderoſum, a mercurio vivo ſuperius adhæreſcente, nec minus a parte flaveſcente rariori provide ſeparatum, eximitur, ac denuo, vel per ſe, vel addito, ac prius terendo mixto, mercurii vivi pauxillo, ſublimatur, ut, purius hac ratione & ſaturatius redditum, meliorem mercurium dulcem ſuppeditet.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES
ET VSVM MEDICVM

I. PLERIQVE ad mercurii dulcis præparationem partes argenti vivi & mercurii ſublimati anaticas recipiunt, & mercurium dulcem quoque ter

ter ad minimum ſublimare jubent: Attamen, pro mea ſententia, præſtat, mercurio ſublimato tamdiu argentum vivum ſub continuata tritura addere, donec illud amplius adſumere, ac ſibi adunare renuat. Quod ſublimationem quoque rectificatoriam attinet, unicam ſufficere arbitror: Sæpius enim obſervatum fuit, mercurium dulcem, ter vel quater ſublimatum, ob ſpicula ſalina nimium fortaſſis confracta, in operando fuiſſe torpidiorem.

II. Si cucurbita vitrea non loricata ad ſublimationem eligitur, illa arenæ altius imponenda eſt, ut mercurius vivus in principio evectus ſupremæ colli parti adponatur, deinde arena ad trium vel quatuor digitorum tranſverſalium latitudinem removenda eſt, ut pars denudata aliquantulum refrigeretur, & mercurius dulcis purus locum, priori inferiorem, occupet. In principio quoque, per unam alteramve horam, ignis lenior admovendus eſt, ut melior mercurii vivi ac ſublimati unio contingat.

III. Mercurius vivus ideo mercurio ſublimato additur, ut globuli recentes, prominentibus ſpiculis rigidis ſalinis quaſi affixi, ac firmius, accedente ſublimatione, uniti, vim cauſticam, aciem hebetando, minuant, et moleculas antea fortiter ſcindentes, rodentes, corrodentes, in moderate ſtimulantes & incidentes transforment.

IV. Inter terendum ſedulo cavendum eſt, ne pulviſculus tenerrimus, e mortario adſurgens, nares atque pulmones ingrediatur, & periculoſas ſternutationes & tuſſes excitet. Non-

nulli igitur inter terendum pauxillum aquæ adſpergere jubent mixturæ, partim, ut noxa, a pulvere adſurgente metuenda, præcaveatur, partim etiam, ut mercurius ſublimatus aliquantiſper ſolutus promptius argenti vivi globulos recipiat.

V. Mercurius dulcis rite præparatus valide incidendo & vivide ſtimulando in corpore agit, & jure inter activa & ſelecta medicamenta reſolventia, aperitiva, abſtergentia, laxantia, anthelmintica, & antivenerea ſibi locum vindicat. Specifice igitur commendatur & frequentiſſime pariter cum fructu inſigni exhibetur in cruditatibus primæ culinæ tenaciſſimis, febre quartana, ictero chronico, vermibus inteſtinorum, obſtructione hepatis, lienis, glandularum meſeraicarum, aliarumque, & inde promanantibus morbis variis, itemque in aſthmate pituitoſo, nephritide mucidoſabuloſa, cachexia, fluore albo mulierum, gonorrhœa virulenta, lue venerea completa, & quibuſvis pathematibus, ex impura venere ortis, nec minus in adfectibus ſcabioſis & ſic porro. Perſæpe etiam purgantibus, adjuvantis loco, additur. Apud adultos, inter pillulas, bolos, electuaria ſpiſſiora, & pulveres receptus, datur a grano uno ad grana 2. 3. 4. 5. 6. 8. 10., immo, ſi completam ſalivationem excitare velimus, doſis a granis quinque paullatim ad drachmam dimidiam adſcendit.

VI. Præter ordinarium hunc mercurium dulcem, alius adhuc, a LEMERY *a* communicatus, & ex *mercurio præcipitato albo coſmetico* probe aqua edulcorato, adeoque ex mercurio vivo & aqua regia parandus, innotuit. Semel illum confeci, & inſipidum quidem ac valde compactum inveni, at hactenus eundem ægris porrigere nondum auſus ſum, & ideo etiam de ejus bonitate certum teſtimonium adferre nequeo. LEMERY cæteroquin eum laudat, & ordinario quoad vires ſimillimum eſſe adſerit, ſi aliquoties ſcilicet ſublimatus fuerit.

a) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences A. 1709. p. 50. ſequ.

CINNABARIS FACTITIA VVLGARIS ET CINNABARIS ANTIMONII

TRIPLEX in officinis cinnabaris ſpecies proſtat, nimirum *nativa*, *factitia vulgaris*, & *factitia antimonii*. Cinnabaris nativa in Carinthia, Styria, Carniola, Bohemia, Andaluſia & Biſcaja, Hiſpaniæ provinciis, nec minus in Hungaria & Peruano novi orbis regno e terræ viſceribus eruitur, vel fruſta majora, minora, puriora, impuriora, per aquas ſubterraneas abraſa, & ad telluris ſuperficiem abrepta, ex rivulorum ac fluminum ſabulo colliguntur, poſteaque, a partibus heterogeneis lotura debite purgata, venduntur. Cinnabaris factitia vulgaris ſequenti modo paratur: Rec. Mercurii vivi depurati uncias octo, florum ſulphuris, vel ſaltem ſulphuris communis citrini uncias duas. Sulphur pulveriſatum in tigillo lato argilla-

argillaceo, carbonibus impoſito, leniſſime fluat, fluenti ſucceſſive mercurius vivus ingeratur, & cum ſulphure agitationis beneficio cum bacillo ligneo probe miſceatur, donec maſſa nigricans ponderoſa, quam *æthiopem mineralem* vocant, inde reſultet. Succedit etiam, quando argentum vivum, abſque ignis adjumento, ſola tritura in mortario vitreo aut marmoreo cum ſulphure combinatur, & ſic *æthiops mineralis ſine igne*, ſeu ἄπυρος producitur. Maſſa pulveriſata, vel pulvis nigricans poſterior cucurbitæ parvæ anguſtioris colli, vel ſibi relictæ, vel inferne loricatæ injicitur, & prior altius arenæ in cupella ferrea, poſterior carbonibus candentibus immediate imponitur, poſteaque, orificio cucurbitæ piſtillo argillaceo prius obturato, igne primum leniori, deinde autem, poſtquam cucurbita debite incaluit, intenſiori, ad ſummum ſucceſſive gradum augendo, ſublimatio inſtituitur, & per quatuor aut quinque circiter horas continuatur. Peracta ſublimatione & vaſe refrigerato, cinnabaris, cucurbita annulo ferreo ignito prius fracta, eximitur, ab impuritatibus nigricantibus, colli lateribus in parte ſuprema adpoſitis, quantum fieri poteſt, liberatur, & ita, pulveriſatus tamen, aqua lotus, ac denuo exſiccatus, adſervatur, vel adhuc ſemel, ſi non-

nondum ſatis pura videatur, poſt trituram ſublimatur, ſublimata & exemta teritur, lavatur, exſiccatur & adſervatur. A cinnabaris factitiæ vulgaris præparatione paullulum diſtincta eſt præparatio *cinnabaris antimonii*, quæ ſeſe ita habet: Rec. Antimonii crudi Hungarici optime pulveriſati, mercurii ſublimati corroſivi ana uncias ſex. Terendo in mortario vitreo aut marmareo probe miſceantur, deinde retortæ terreæ loricatæ, aut vitreæ ſimplici immittantur, retorta terrea loricata carbonibus candentibus, vitrea ſimplex autem cupellæ ferreæ, arena repletæ, altius imponatur, &, adplicato recipiente, clauſisque commiſſuris, igne per gradus aucto, ſublimatio inſtituatur; ſic primo butyrum antimonii, quod partim in receptaculum defluit, partim in retortæ collo remanet coagulatum, adſcendit, deinde globuli nonnulli mercurii regenerati ſeu reſuſcitati, cum materia nigricante, ſequuntur, tandemque ipſa cinnabaris adſurgit, & circa latera colli in maſſam compactam, rubram, ſplendentem concreſcit. Abſoluta ſublimatione, collo retortæ carbones candentes provide admoventur, ut butyrum antimonii coagulatum liqueſcat, ac totum in recipiens defluat, deinde autem, fracta retorta refrigerata, cinnabaris eximitur, & æque, ac præcedens,

tritura prius atque lotura purgata, denuo in cucurbita ſublimatur, ut perfectam puritatem, & elegantiorem rubedinem conſequatur.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES
ET VSVM MEDICVM CINNABARIS
VTRIVSQVE

I. CINNABARIS eſt ſiccum ac ponderoſum concretum *ſulphureo-mercuriale*, gratiſſima quidem poſt perfectam trituram rubedine, nullo autem ſapore, nullo odore præditum.

II. Sulphuris quantitas ad quantitatem mercurii in cinnabari, ſecundum LEMERIVM *a* ſeſe habet ut 1. ad 7., ſecundum meam obſervationem ut 1. ad $7\frac{2}{5}$, & ſecundum MEVDERVM *b* ut 1. ad 30. Valde poſtrema hæc proportionis ſupputatio a prioribus differt, & vero vix ſimilis eſſe videtur: Quomodo enim tam exigua trigeſima ſcilicet ſulphuris pars tantam mercurii currentis molem ligare, & in maſſam ſolidam compingere valet?

III. Partes ſulphureæ, igne liquatæ, mercurii interjecti globulos disjungunt, eoſdemque, ceu cortex nucleum, ambiunt, & hi ſulphuri, tanquam mel cellulis ceraceis, hærent immerſi, ut ideo

a) Vid. EJVSD. Materialien-Lexicon p. 313.
b) Vid. EJVSD. Analys. antimonii phyſico-chymica. p. 16.

ideo in unam coire neſciant molem, nec quidquam ab extra illos adgredi, corrodere, aut alio modo ſolvere valeat, niſi, fracto prius atque remoto cortice ſulphureo, viam ſibi paraverit. Sub liquefactione ſulphuris leniſſimus ignis adhibendus eſt, ne accendatur; ſin nihiloſecius caſu flammam concipiat, illa orbe ligneo ſtatim tigillo impoſito iterum extinguenda eſt.

IV. Cinnabaris antimonii ex *ſulphure antimonii*, ſulphuri communi minerali per omnia ſimillimo, & *mercurio currente*, æque ac factitia vulgaris, naſcitur. Facta enim antimonii pulveriſati & mercurii ſublimati miſcela, ſal acidum mercurium deſerit, & partem regulinam antimonii corrodit, mercurius contra cum ſulphure antimonii in cinnabarim combinatur. Quærunt nonnulli in antimonio, & per conſequens etiam in cinnabari, ſulphur quoddam purius atque ſolare, ſed ubinam iſtud lateat, mihi ſane aliiſque, qui alchymicorum commenta rident, ignotum eſt. Simile quid etiam de putatitio ſulphure anodyno vitrioli in antimonii cinnabari dicendum eſt.

V. Cinnabari factitiæ vulgari & antimoniali nonnulli etiam *cinnabarim lunæ* jungunt, imo concretum tale cinnabarinum ex omnibus metallis eadem methodo, mutatis tamen pro metallorum diverſitate mutandis, præparari poſſe perhibent: *a* Attamen hæc ac reliquæ, ex mercurio & putatitio

a) Conf. D. D. POTTII Diſſ. de Sulphuribus metallorum p. 9. ſeq. it. Alchym. denud. c. 2. p. 16.

tio metallorum ſulphure parandæ, cinnabaris ſpecies veris concretis cinnabarinis neutiquam adnumerandæ ſunt. Metalla pura enim nullum ſulphur completum, cum vulgari comparandum, ſed longe ſubtiliorem atque ſimpliciorem duntaxat ſubſtantiam phlogiſtam in ſua mixtione fovent, quæ cum mercurio vivo in veram cinnabarim combinari nequit. Memorata igitur producta nihil ſane aliud ſiſtunt, niſi mercurium, poſt ſolutionem & præcipitationem igne fortiſſimo ſublimatum, ideoque rubedinem ſuam & habitum externum cinnabarinum minime unito ſulphuri metallico, ſed unice acidis ſpiritus nitri particulis, cum mercurii globulis ſimul evectis, iiſdemque firmiter adhærentibus, debent. *a*

VI. Cinnabaris, in ſubtiliſſimum etiam pulverem redacta, neque cum aqua frigida & tepida, neque cum ſalſis, lixivioſis, acidis temperatioribus et inflammabilibus ſpirituoſis liquoribus, licet centies, leni etiam filtri ſuccuſſione in auxilium vocata, reaffundantur, chartam bibulam tranſit, ſed citra ponderis decrementum, citra ullam coloris, formæ atque indolis metamorphoſin, in eadem remanet. Obſequium quoque, ob refractariam ſuam indolem, menſtruis aqueis, ſalſis, ſpirituoſis inflammabilibus, quid? quod, acidis corroſivis fortiſſimis denegat, neque in partes ſimilares, neque diſſimilares, etſi injecta diu in iisdem relinquatur, diſſolvitur. Non ſperanda pariter ſingularis ſolutio in lixiviis aqueo-alcalicis, niſi

a) Vid. Annales Wratislavienſes ann. 1720. p. 102.

niſi ea concentrata ſint, & ipſa coctio completa, & ad notabile tempus protracta, accedat. Per ſe in mortario lapideo trita, nullas particulas odoratas emittit; per ignem quidem in halitus reſolvitur, at intenſior Vulcani tortura, quæ gradum, ad aquæ ebullitionem neceſſarium, longe ſuperat, requiritur; a blando autem corporis calore talis reſolutio halituoſa nunquam exſpectanda eſt.

VII. Cinnabari per longam annorum ſeriem a medicis pleriſque ſingulares virtutes anodynæ, antiſpaſmodicæ, antepilepticæ, cephalicæ, cardiacæ, &c., adſcriptæ fuerunt: Verum, cum illa neque a menſtruis aqueis, ſalſis, acidis, &c., ſolvi, neque blando calore in halitus mutari, neque etiam per chartam bibulam cum liquoribus tranſire poſſit, nulla pariter ejusdem in prima culina a temperato liquore gaſtrico aqueo-ſalſo ſolutio, nulla per humidum atque mitiſſimum corporis calorem reſolutio halituoſa, nulla translatio ad ſanguinem, adeoque nulla plane ſalutaris in corpore actio ab ea ſperanda eſt; quemadmodum hæc fuſius in *Diſſertatione* de *Cinnabaris inertia medica* demonſtravi.

VIII. *Butyrum antimonii*, quod ſub cinnabaris antimonialis ſublimatione adſurgit, nihil aliud eſt, niſi pars antimonii regulina, ab acido ſalis communis corroſa; hinc, aqua frigida largius adfuſa, pars regulina denuo præcipitatur, & aqua acidula redditur. Pertinet ad corroſiva fortiſſima, externe, abſumendi fine, nonnunquam, aſt provide, adplicanda.

CAPVT II

DE

FLORIBVS ET SALIBVS VOLATILIBVS SICCIS

§. I

FLORES recte in *veros* & *ſpurios* diſtinguuntur: Veri, quibus flores ſulphuris, antimonii, arſenici, biſmuthi, cinci, &c., adnumerantur, ſunt pulveres ſicciſſimi atque tenerrimi, albi, flaveſcentes, flavi, rubelli, rubri, &c., vel *ſulphurei*, vel *arſenicales*, vel *ſulphureo-arſenicales*; ſpurii autem, qui alembici, cuculli pyramidalis, vel ipſius etiam vaſis ſublimatorii lateribus in parte ſuperiori, ſub forma floſculorum nivalium, aut cruſtæ terreo-ſalinæ rarioris, vel ex parte etiam ſub pulveris tenerioris forma, adponuntur, vel concreta *mere ſalina*, ut flores ſalis ammoniaci ſimplices, vel *ſalino-oleoſa*, ut flores benzoes, vel *terreo-* aut *metallico-ſalina*, ut flores ſalis ammoniaci martiales, ens veneris Boylæi, ac reliqui flores metallici, ſiſtunt.

§. II

FLORES quicunque vel in retortis, vel frequentius in capitellis, ſibi mutuo impoſitis, quæ vulgo *Aludel* vocant, vel in cucurbitis

bitis humilioribus, alembico coeco aut roſtrato inſtructis, immo ſubinde in ollis vulgaribus, cucullo pyramidali chartaceo tectis, vel cum, vel ſine additamentis, ſublimationis beneficio parantur. *Additamenta* ita comparata ſunt, ut alia, v. g. *arena*, *vitrum contuſum*, *caput mortuum vitrioli* &c., materiæ ſublimandæ colliquationem impediant, alia partium, per ſe nimis gravium, adſcenſum promoveant atque facilitent, uti *flores ſalis ammoniaci ſimplices*. Priora plerumque ſulphuri contuſo, arſenico, gummi benzoino &c., poſteriora autem metallis adduntur.

§. III

CVM graviora etiam, fixiora atque compactiora corpora metallica, licet in ſubtiliorem redacta fuerint limaturam, cum floribus ſalis ammoniaci, qui ipſis ordinario adduntur, adſcendere adhuc renuant, prius ope ſolutionis in menſtruis variis, maxime acidis adpropriatis, ut aqua forti, aqua regia, oleo vitrioli &c., in calces teneriores ac volatiliores redigenda, & hæ demum cum floribus ſalis ammoniaci ſublimandæ ſunt; quemadmodum hæc ex ſingulorum contemplatione ſpecialiori melius cognoſcuntur.

§. IV

§. IV

PAVCISSIMI flores, hactenus a chymicis ex antimonio, arsenico, bismutho, cinco, metallis perfectioribus & imperfectioribus, sulphure, sale ammoniaco, gummi benzoino, aliisque regni mineralis ac vegetabilis concretis confecti, singularem in medicina usum præstiterunt, & plerique proinde, immo, si flores sulphuris, salis ammoniaci simplices & martiales, nec non flores benzoinos exceperis, propemodum omnes vix digni sunt, ut iis inter tuta & selecta remedia amplius locus concedatur.

§. V

SALIA SICCA VOLATILIA, quæ alterum in hoc capite tractationis objectum constituunt, vel *mere urinosa* sunt, vel *urinoso-oleosa balsamica*, vel *oleoso-acidula*, ut sal succini volatile. Mere urinosa vel statim sub spirituum urinosorum destillatione impetrantur, & deinde solummodo, additis *cineribus vulgaribus cribratis*, *cineribus clavellatis*, *cornu cervi usto*, aut *calce viva* & *extincta*, sublimationis beneficio, in cucurbitis alembico instructis, depurantur, vel demum ex sale ammoniaco, cum puris cineribus clavellatis, aut sale tartari, anatica quantitate mixto, resuscitantur, ac sublimatione separantur.

§. VI

§. VI

SI LAVDATÆ autem mixturæ ex sale alcalico fixo & sale ammoniaco olea destillata, aut species aromaticæ & balsamicæ siccæ addantur, *salia oleosa balsamica* inde resultant. Possunt tamen etiam similia salia absque sublimatione nova parari, si saltem sufficiens olei destillati ætherei quantitas sali urinoso salis ammoniaci puro instilletur, & probe cum eodem mediante agitatione vasis misceatur. Locum cæteroquin hæc æque, ac præcedentia pure urinosa, merentur inter medicamenta commoventia, discutientia, excitantia, ac sudorifera efficaciſſima, &, longe minori etiam dosi interne exhibita, vires atque virtutes easdem exserunt, quas spiritus urinosi & salia volatilia oleosa liquida, cum quibus quoad naturam & usum conveniunt, exserere consueverunt. Aliter paullo de oleoso-acidulis, quorum speciem præcipuam *sal volatile succini* constituit, judicandum est: Hæc enim, licet discutientem quoque & aperitivam virtutem possideant, ob temperatiorem tamen indolem, longe blandiorem operationem exercent.

FLORES ET SALIA VOLATILIA VSITATIORA

Flores sulphuris.	*Sal volatile salis ammoniaci.*
- *salis ammoniaci martiales.*	- *cornu cervi.*
- *benzoes.*	- *succini depuratum.*

FLORES SVLPHVRIS

OPTIME ex solo sulphure communi minerali, vel sabulo etiam remixto, in capitellis terreis (Aludel), quorum quinque, sex, imo plura sibi mutuo imponuntur, igne tamen moderato, ne sulphur accendatur, & loco florum spiritum acidum suppeditet, sublimantur. Carbones candentes ollæ infimæ, superne duntaxat apertæ, cui sulphur pulverisatum injicitur, admoventur, in superioribus autem florum collectio fit. Absoluta sublimatione, pulvis flavus tenerrimus, penna anserina abstersus, & in molem redactus, eximitur. Nonnulli sulphuri myrrham, aloen, crocum & similia addunt, & sic flores compositos præstantiores præparare student: Attamen inutilem, pro mea sententia, & superfluum suscipiunt laborem, & simplices sulphuris flores partibus oleosis empyrevmaticis, quæ in concretis memoratis ab igne sicco producuntur, & tenerrimo sulphuris sublimati pulveri miscentur, non meliores, sed deteriores reddunt.

FLO-

FLORES sulphuris simplices a sulphure puro pulverisato teneritudine quidem, neutiquam vero indole atque virtute, differunt. In ventriculo non solvuntur, tenerrimi tamen halitus sulphurei ex iisdem, caloris, tunicarum, & liquoris gastrici actione, expelluntur, qui, inhalatione ad sanguinem transeuntes, aliquam postea utilitatem præstant. Laudantur inprimis in adfectibus pectoris, aliarumque partium, a sero acri salso maxime oriundis, v. g. in tussi aeri salsa, phthisi, asthmate seroso-convulsivo, asthmate & colica metallicolarum, ardore urinæ, scabie, &c. Exhibentur plerumque cum sacharo mixti a granis 5. ad 10. 20. 30., & aliis quoque pulveribus persæpe adduntur. Externe subinde inter unguenta, ulceribus rebellibus, scabiosis, ichorosis, &c., temperandi ac demulcendi fine, adplicanda, recipiuntur.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES

REC. Limaturæ martis puræ uncias duas, salis ammoniaci pulverisati uncias quatuor. Mixta cucurbitæ vitreæ aut terreæ injiciantur, & sublimatio, imposito alembico rostrato, cui excipulum adplicandum, in arenæ balneo, igne per gradus aucto, instituatur; sic primo liquor flavescens, qui in appenso excipulo colligitur, deinde autem flores, qui alembici & cucurbitæ lateribus adponuntur, adsur-

adſurgunt, in fundo autem maſſa, ex brunno-nigricans, ſaporis ſtyptici vitriolici, remanet. Flores ſuperiores colore flaveſcente, & ſapore ſalſo & ſubadſtringente gaudent, inferiores autem colorem ex luteo-brunnum, & ſaporem magis ſtypticum poſſident, hinc provide etiam a prioribus ſeparandi & ſeorſim adſervandi ſunt. Ex capite mortuo, ut & ex floribus, in parte inferiori cucurbitæ lateribus ſat copioſe adhærentibus, cum ſpiritu vini, modice ſaltem rectificato, *tinctura martis* extrahitur, & totum quoque caput mortuum, ſi aeri liberiori exponatur, ut deliqueſcat, *liquorem brunnum valde ſtypticum*, qui oleum fere refert, largitur.

FLORES ſalis ammoniaci martiales flaveſcentes reſolvendo ac leniter adſtringendo agunt, & ideo etiam in cachexia, œdemate, leucophlegmatia, febre quartana, obſtructionibus viſcerum, aliiſque morbis, a ſolidorum laxitate, & viſcida humorum indole maxime oriundis, non contemnendum auxilium præſtant. Dantur a granis 5. ad 15.

FLORES BENZOES

REC. Gummi benzoini ſplendentis, & fruſtulis albicantibus probe remixti, quantum placet. Contuſum, & cum tribus vel quatuor arenæ puræ partibus mixtum, ollæ minori vitreatæ injiciatur, eademque inter carbones

bones collocata, & impoſito cucullo pyramidali papyraceo, ſublimatio igne leniſſimo peragatur. Primo flores albiſſimi adſurgunt, & cuculli lateribus, inſtar floſculorum nivalium, adhærent, qui, pennæ anſerinæ ope abſterſi, & exemti, ſeorſim adſervandi ſunt, tandem ſuccedunt flaveſcentes, oleo jam jam largius imbuti. Ex capite mortuo, ſi iſtud retortæ immittitur, adhuc oleum benzoes empyrevmaticum deſtillando expelli poteſt. Sublimatio horum florum commode etiam in cucurbita vitrea humiliori, arenæ balneo impoſita, & alembico, non lutata tamen commiſſura, ut pro lubitu aufferri ac denuo imponi poſſit, inſtructa, adornatur; immo, in ipſa retorta ſuccedit, flores tamen oleo nimium imbuuntur, &, peracta ſublimatione ac deſtillatione, demum ab eo per ſolutionem in aqua & filtrationem liberandi ſunt: Flores enim, in aqua calida ſoluti, per filtrum tranſeunt, &, aqua refrigerata, denuo concreſcunt, oleum vero in filtro relinquitur.

FLORES benzoes, qui nihil aliud ſunt, niſi *ſal volatile oleoſum nativum*, a partibus reſinoſis, terreis & oleoſis craſſioribus ſublimatione ſeparatum, egregium conſtituunt medicamentum reſolvens, incidens, abſtergens, & ſpecifice cumprimis in morbis pectoris pituitoſis, lue

lue venerea, obstructione glandularum & morbis similibus commendantur. Dantur, in vino aut essentiis soluti, vel etiam inter pillulas, bolos, electuaria, immo pulveres recepti, a granis 3. ad 5. 8. 10. Externe ad ptarmica & errhina pertinent.

SAL VOLATILE SALIS AMMONIACI

REC. Salis ammoniaci, cinerum clavellatorum aut salis tartari ana uncias quatuor. Pulverisatis, & in cucurbita vitrea mixtis, adfundantur unciæ duæ aquæ simplicis, & uncia una spiritus vini rectificatissimi, posteaque sublimatio salis in arenæ balneo, igne moderato, instituatur, & tamdiu continuetur, donec aqua adsurgere incipiat. Facta vasis refrigeratione, sal ex alembico extrahitur, & in vitro optime clauso adservatur.

EST excitans externum, atque sudoriferum internum valde activum, & saltem a grano uno ad 3. 4. 5. 6. 10., in vehiculo aqueo, exhibetur.

SAL VOLATILE CORNV CERVI COPIA MAJORI PARANDVM

REC. Salis ammoniaci pulverisati uncias tres, cinerum clavellatorum pulverisatorum uncias quinque, olei cornu cervi fœtidi drachmas duas, spiritus vini rectificati uncias duas. Instituatur, post miscelam, in cucurbita & arenæ balneo secundum artem sublimatio, & sal, peracta operatione, eximatur.

HOC sal cornu cervi cum ordinario, quoad naturam, proprietates & vires medicas, perfecte convenit. Datur a granis 2. ad 3. 4. 5. 10. Eadem observata methodo, alia etiam salia urinosa, v. g. *ungulæ alcis*, *eboris*, &c., addito saltem mixturæ salinæ oleo empyreumatico specifico, copia majori, & sumtu nihilominus minori, parari possunt.

SAL SVCCINI VOLATILE DEPVRATVM

IMMITTITVR sal volatile succini, post olei destillationem e collo retortæ & receptaculo collectum, & ab oleo separatum, cucurbitæ vitreæ humiliori, &, impositio pileo coniformi fastigiato, sive cucullo, ex charta bibula, aut alba duplicata facto, sublimatio in arena igne leni instituitur. Pileus per intervalla auffertur, & alius imponitur, ut sal volatile, quod paullulum adcumulatum facile iterum relabitur, tempestive eximi queat. Alii, quorum methodus descriptæ præferri meretur, sal succini, post olei destillationem collectum, eodemque adhuc

conſpurcatum, in aqua calida ſolvunt, ſolutionem per chartam bibulam filtrant, leni igne in vaſe vitreo evaporant, & lixivium concentratum tamdiu in loco frigidiuſculo collocant, donec puræ, ſpongioſæ & flaveſcentes cryſtalli concreverint. Has poſtea eximunt, &, chartæ bibulæ impoſitas, leniter exſiccant, reſiduum vero denuo evaporant, vel penitus, ad ſiccitatem uſque, coagulant, ut adhuc cryſtallos quaſdam obſcurioris coloris, vel ſaltem, adhibita plenaria coagulatione, maſſam ſalinam brunnam impetrent.

EST ſal oleoſo-acidulum ſatis penetrans, quod vires diſcutientes, anthyſtericas, diaphoreticas & diureticas poſſidet. Datur a granis ʒ. ad 10. 15. 20. Cum ſpiritu cornu cervi decenti quantitate combinatum, notiſſimum *liquorem cornu cervi ſuccinatum* conſtituit.

SECTIO

SECTIO VIII

DE PRÆCIPITATIS, MAGISTERIIS, SVLPHVRIBVS, CALCIBVS CROCIS, REGVLIS, ATQVE VITRIS

CAPVT I

DE PRÆCIPITATIS, MAGISTERIIS ATQVE SVLPHVRIBVS

§. I

PRÆCIPITATA, quæ in noſtras officinas ſucceſſive introducta fuerunt, & ex parte etiam *Magiſteria*, ex parte *Sulphura* vocantur, ſunt pulveres chymici, ſolutionis & præcipitationis beneficio, ex variis mineralis, vegetabilis & animalis regni concretis parati, plus tamen minuſve natura ac viribus diſtincti.

§. II

HABITA indolis ratione præcipitata medica uſitatiora vel *ſalino-mercurialia* exiſtunt, ut mercurius præcipitatus ruber, albus, turpethum minerale, &c., vel *ſalino-metallica* aut *ſemimetallica*, ut aurum fulminans, magiſterium

rium ſaturni & bismuthi, vel *terreo-regulina*, ut mercurius vitæ, materia perlata Crugeri, vel *terrea*, ut magiſteria lapidum cancrorum, cornu cervi, coralliorum, &c., vel *ſalino-terrea*, ut magneſia alba, vel *reſinoſa*, ut magiſterium benzoes, laccæ, &c., vel *ſulphurea* & *ſulphureo-regulina*, ut lac ſulphuris & varia antimonii ſulphura.

§. III

SINGVLA hæc, uti antea pridem dictum fuit, *ſolutione* & *præcipitatione* conficiuntur, ita tamen, ut præcipitationem perfecta ſubjectorum in menſtruis congruis ſolutio ſemper præcedat: In congruis, inquam, & adæquatis menſtruis. Ad ſolvenda enim corpora regulina, ſemimetallica, mercurium vivum, & completa metalla ordinario *acida potentiora mineralia*, ut ſpiritus vitrioli, nitri, aqua fortis, aqua regia requiruntur, ad metallica vero, antea igne nonnihil reſoluta, nec minus ad terrea recludenda *acidis mitioribus*, v. g. ſpiritu nitri aut ſalis, aqua ſimplici pura debilitato, aceto deſtillato, &c., ad reſinoſa *menſtruo ſpirituoſo inflammabili concentrato*, v. g. ſpiritu vini rectificatiſſimo, & ad ſulphurea denique atque ſulphureo-regulina *menſtruis aqueo-ſalinis alcalicis fortioribus* opus eſt.

§. IV

§. IV

QVEMADMODVM ſolventia pro differenti ſolvendorum indole valde differunt, ſic magnopere pariter pro ſolventium diſcrepantia variant *præcipitantia*, quorum actio eo in genere redit, ut *naturam ſolventium* aut *partium ſolutarum texturam* invertant, vel *gravitatem* etiam, *potentiam agendi*, ac *motum inteſtinum priorum* plus minuſve minuant.

§. V

AD VSITATIORA præcipitantia ſpectant *aqua ſimplex frigida*, *ſalia alcalia*, præſertim liquida, ut alcaheſt Glauberi, oleum tartari per deliquium, ſolutio cinerum clavellatorum, &c., *liquores acidi* tum *potentiores* tum *debiliores*, ut oleum vitrioli, ſpiritus nitri, ſalis, acetum ſimplex & deſtillatum, ſolutio cryſtallorum tartari, &c., *ſalino-auſtera mineralia*, ut alumen pulveriſatum aut in aqua ſolutum, *ſalina media*, ut ſal culinare, &c., tandemque *metallica*, *ſemimetallica* & *terrea concreta*, ut cuprum, ferrum, cincum, lapides cancrorum, &c. Nonnunquam tamen abſque ullo præcipitante ſpontaneæ accidunt præcipitationes, aut liquor ſolvens, uſque ad ſiccitatem corporis ſoluti ac fixi, abſtractione deſtillatoria, aut evaporatione in vaſe aperto, penitus auffertur.

§. VI

AQVA FRIGIDA SIMPLEX menſtrua plus minuſve debilitando, & ulteriori ſolutioni inepta reddendo, non tantum *oleoſa*, *balſamica*, *reſinoſa* e ſolventibus ſpirituoſis inflammabilibus dephlegmatis, ſed *ſulphurea* etiam atque *ſulphureo-regulina* e lixiviis ſalino-alcalicis concentratis præcipitat: *alcalia fixa* metallica, ſemimetallica, regulina atque terrea, in acidis ſoluta, & *acida* ex adverſo concreta ſulphurea, regulino-ſulphurea aliaque, in lixiviis alcalicis diſſoluta, ad fundum deturbant, dum acidum aut alcali ſolvens particulis ſolutis violenter eripiunt, ac ſibi ob majorem affinitatem adunando ſal medium, quod ſolutionem amplius præſtare nequit, producunt: *Sal medium*, *ejusdemque ſolutio aquoſa* mercurium currentem, argentum & ſimilia corpora metallica atque ſemimetallica ex aqua forti, quam illico in aquam regiam transformant, dejiciunt, & *cuprum* denique argentum, *ferrum* denuo cuprum, *cincum* ferrum, & *lapides cancrorum* cincum ex aqua forti præcipitant. Facilius enim ab ea lapides cancrorum, quam cincum, & cincum iterum facilius, quam ferrum, ferrum facilius, quam cuprum, & cuprum denique facilius, quam argentum ſolvuntur, quoniam corpus alterum

rum altero poroſius atque ſpecifice levius exiſtit.

§. VII

VIRES medicæ, quibus præcipitata pollent, ob valde differentem eorum indolem, adeo diſtinctæ inveniuntur, ut generalis earundem recenſio commode fieri nequeat; præſertim, cum quædam, v. g. magiſteria terreorum, inter illa occurrant, quæ parum vel nihil virtutis poſſident, & ſimplicibus ſuis longe deteriora ſunt.

PRÆCIPITATA, MAGISTERIA ET SVLPHVRA VSITATIORA

Mercurius præcipitatus ruber
– – – *albus.*
Turpethum minerale.
Magiſterium auri fulminans.
– *ſaturni.*
– *bismuthi.*
– *cinci.*
– *antimonii diaphor.*
Magiſterium benzoes.
– *cornu cervi.*
– *coralliorum.*
– *lapidum cancrorum.*
Mercurius vitæ.
Magneſia alba.
Lac ſulphuris.
Sulphur antimonii auratum.

MERCVRIVS PRÆCIPITATVS RVBER, SIVE ARCANVM CORALLINVM

SOLVITVR pars una mercurii vivi in duabus vel tribus aquæ fortis aut ſpiritus nitri partibus, ſolutio in concha vitrea, aut

vitro conſervali, vel etiam cucurbita vitrea humiliori latioris colli, arenæ calidæ impoſitis, uſque ad ſiccitatem evaporatur, & hæc evaporatio ſemel vel bis, ſemper aliqua recentis aquæ fortis portione adfuſa, reiteratur, ut mercurius præcipitatus rubedinem conſequatur. Quo facto, maſſa exemta & pulveriſata in tigillo vulgari latioris fundi, igne ſubſtrato leniſſimo, ſub continua cum rudicula agitatione, aliquantulum calcinatur, ut majorem induat rubedinem, & deinde ſemel vel aliquoties ſpiritus vini portio ſuper ea comburitur, vel, quod præſtat, leniter evaporatur. Alii ſolutionem mercurii vivi retortæ vitreæ immittunt, & aquam fortem, deſtillando evocatam, maſſæ flaveſcenti reaffundunt, vel ſolam, vel recenti nonnihil remixtam, atque bis vel ter abſtractionem repetunt: Deinde maſſam rubeſcentem, fracta retorta, exemtam leniter adhuc in tigillo latiori calcinant, vel, abſque ulla amplius præmiſſa calcinatione aperta, ſpiritum vini ſuper ea accendunt. Sunt quoque, qui mercurium præcipitatum rubrum, poſt aquæ fortis abſtractionem aut evaporationem, a cauſtica falſedine per reiteratam coctionem cum aqua ſimplici pura liberare, vel etiam in mortario lapideo cum oleo tartari per deliquium diu terere, & aqua deinde aut ſpiritu

ritu vini modice rectificato edulcorare jubent, ut uſui interno aptior reddatur. Pro mea ſententia mercurius præcipitatus ruber, qui externo duntaxat uſui deſtinatus eſt, priori modo ſatis commode præparatur; ſin eundem vero ſub *arcani corallini* nomine interne quoque adhibere animus ſit, poſteriores pariter labores, qui majorem illi temperiem conciliant, haud negligendi erunt.

ARCANVM CORALLINVM THEOPHRASTI PARACELSI, quondam valde famoſum, inſignes in lue venerea, aliiſque morbis chronicis rebellibus vires exſeruiſſe, & ad ejus quoque normam præſens confectum eſſe, multi opinantur: Verum, cum Paracelſus arcanum ſuum corallinum ſatis obſcure deſcripſerit, nondum in clara luce poſitum eſt, an deſcriptum cum illo conveniat, nec ne. Quicquid interea ſit, noſtrum arcanum corallinum inter tuta remedia interna neutiquam referendum eſt, etiamſi aqua aut ſpiritu vini aliquoties edulcoratum fuerit. Nonnulla enim ſpicula ſalina, acida, acuta, rigida, mercurii globulis arctiſſime adhærent, & poſt primam ideo exhibitionem medicamentum hoc plerumque aliquam anguſtiam & vomendi conatus provocat. Optime pillulis aut bolis miſcetur, ut particulæ magis disjungantur, & unicum ſaltem vel duo grana una vice porrigenda erunt. Contractionem ſolidorum, valide ſtimulando, fortiorem celerioremque reddit, & ſudorem proinde atque urinam

urinam movet; non citra omnem tamen ſub uſu continuato eroſionis metum, quæ facile contingere poteſt, ſi moleculæ ſalino-mercuriales ſolidis membranaceis pertinacius adhæreant. Externe mercurius præcipitatus ruber, exſiccandi, exedendi, abſumendi fine, ulceribus ſordidis, partibus calloſis, verrucis, carni luxurianti, vel per ſe in & adſpergitur, vel, in aqua quadam deſtillata ſolutus, aut unguentis mixtus, iiſdem adplicatur. Subinde etiam cum aqua calcis vivæ, cui exigua quantitate miſcetur, ad abſumendas carunculas venereas urethræ injicitur.

MERCVRIVS PRÆCIPITATVS ALBVS COSMETICVS

SOLVITVR mercurius vivus depuratus in ſufficienti quantitate aquæ fortis, & ſolutioni deinceps, per aquam ſimplicem prius debiliori redditæ, ſal culinare injicitur, vel, quod præſtat, ejuſdem lixivium cum aqua pura factum, ſucceſſive inſtillatur; ſic pulvis albiſſimus ad fundum præcipitatur, qui poſt plenariam ſubſidentiam, ac providam menſtrui decantationem, filtro chartaceo inmittendus, ac ſæpius adfuſa aqua ſimplici ita edulcorandus eſt, ut plane inſipidus evadat.

NONNVLLI hunc mercurium præcipitatum, æque ac priorem, in lue venerea, aliiſque affectibus ſcabioſis malignis, ad ipſam ſubinde ſaliva-

ſalivationem excitandam, interne commendant: At, hic pariter valent, quæ de interno uſu mercurii præcipitati rubri antea dicta fuerunt, & illi prudentius agunt, qui ab exhibitione illius interna plane abſtinent. Si per ſe in cucurbita ſublimatur, mercurium dulcem, quem LEMERY, uti ſupra pridem dictum fuit, tutum deprædicat, bonum & ordinario ſimilem, conſtituit. Externe uſum inprimis coſmeticum obtinet, & aquæ deſtillatæ roſarum, liliorum alborum, fabarum &c.; quam lacteam reddit, aut unguento pomato, poſt perfectam tamen edulcorationem, modica quantitate mixtus, cuti non tantum conciliat nitorem, ſed varos quoque atque lentigines abigere creditur. Vnguentum magis ſubjectis ſiccis macilentis, aqua lactea vero magis ſucculentis atque ſpongioſis conducit. Sedulo tamen proſpiciendum, ne, uſu juſto diutius continuato, faciei a partibus mercurialibus, edulcoratione nunquam penitus ab acredine liberandis, loco nitoris deturpatio quædam inducatur, aut ſanitas tamen, ob pororum in cute obſtructionem, alio modo lædatur.

TVRBITH SIVE TVRPETHVM MINERALE

OPTIMA præparandi methodus ſequens eſt: Diſſolvitur mercurii ſublimati corroſivi quantum placet in aqua calida, ſolutio filtratur, ut pellucida evadat ac limpida, eidemque

que deinde oleum tartari per deliquium inſtillatur, ſic pulvis præcipitatur, colore præditus obſcure aurantio, qui aqua ſimplici pura tamdiu eluendus eſt, donec acredinem penitus amiſerit. Alii partem unam mercurii vivi depurati in partibus duabus olei vitrioli albi ſolvunt, ſolutionem in concha vitrea aperta, arenæ impoſita, ſubdito igne fortiori & per gradus aucto, evaporant, vel eandem retortæ immittunt, & oleum vitrioli deſtillando ad ſiccitatem uſque abſtrahunt, poſteaque maſſam albicantem, in pulverem redactam, aqua ſimplici, quæ illi confeſtim flavum inducit colorem, perfecte edulcorant, &, aqua filtri ope ſegregata, ſiccant. Quando mercurius præcipitatus ruber antea deſcriptus cum anatica quantitate olei tartari per deliquium blande per unum alterumve diem digeritur, & aqua ſimplici ſæpius adfuſa deinde edulcoratur, edulcoratus leni igne nonnihil calcinatur, tandemque ſpiritus vini rectificatiſſimus deſuper accenditur ac deflagrare permittitur, *Turpethum minerale rubrum* ZWELFFERI inde reſultat.

MVLTVM differentiæ ratione activitatis intercedit turpetha mineralia, præcipitationis aut digeſtionis beneficio cum ſale fixo alcalico parata, & reliqua, abſque ullo ſalis alcalici concurſu producta. In prioribus enim partes ſalinæ

linæ acidæ, ſub corroſione mercurialibus arctius unitæ, valde invertuntur, ac longe redduntur hebetiores, immo, maxima ex parte aufferuntur, hinc turpetha hujuſmodi leniorem paullo emeſin atque catharſin provocant: In poſterioribus ex adverſo longe major acredo latet, eademque proinde, ob violentam operationem, nullum inter emetica & cathartica tuta atque ſelecta locum inveniunt. Nonnulli turpetha etiam ad ſalivationem in lue venerea excitandam adhibent; at proſtant meliora, & practicus rationalis commode iis carere poteſt. Exhibentur plerumque ſub forma pilulari cum theriaca, extracto catholico, aliiſque extractis, tum purgantibus, tum alterantibus, a grano uno ad 2. 3. 4. 5. 6. Subinde etiam cum conſerva quadam in bolum rediguntur.

AVRVM FVLMINANS

REC. Auri puri partem unam, aquæ regiæ partes quatuor: Fiat in phiola aut cucurbita vitrea minori, blando arenæ calore, ſolutio, poſteaque liquori flaveſcenti, aquæ pluvialis aut puræ fontanæ adfuſione antea debiliori reddito, ſucceſſive oleum tartari per deliquium inſtilletur, donec auri crocus penitus ad fundum deturbatus ſit, & menſtruum, amiſſa flavedine, priſtinam limpiditatem recuperaverit. Liquor deinde filtratione ſeparetur a croco, idemque aliquantulum aqua ſimplici edulcoretur, ac blando

aeris

aeris calore in loco umbroſo exſiccetur, ne, accedente intenſiori calore, aut forti etiam ac diuturniori in mortario tritura, cum maximo fragore & vitæ periculo ſubito accendatur.

AVRVM fulminans eſt crocus auri, cujus moleculæ minimæ hinc inde particulis rigidis, acutis, acidis aquæ regiæ corroſione unitis, ac nondum per ſal alcali ſub præcipitatione transformatis, inſtructæ ſunt. Subdito igne cum ingenti fragore & vi exploſiva accenditur, perit tamen hæc fulminandi virtus, quando ſpiritu ſalis humectatur, aut floribus ſulphuris terendo remiſcetur. In corpore, ob partium acredinem & maximam gravitatem, fortiter ſtimulando agit, & ideo alvum valide movet. In epilepſia infantum, a torminibus ventris, & prava in eo impuritatum colluvie excitata, ſpecificum creditur remedium; at, me ſentiente, ab uſu ejus, præſertim apud infantes teneriores, penitus abſtinere præſtabit, quum tragicos effectus ſæpius produxiſſe obſervatum ſit. Non tranſit ad ſanguinem, ſed vires ſuas in ventriculo & inteſtinis ſolummodo exſerit. Datur a grano uno ad grana duo, tria. Ex auri uncia dimidia, quod adhuc addendum eſt, ordinario auri fulminantis uncia dimidia, drachma una & ſcrupulus unus impetrantur; manifeſto documento, multas partes ſalinas ſimilaribus auri diſſoluti moleculis adhæreſcere.

MAGI-

MAGISTERIVM SATVRNI

REC. Minii, ceruſſæ, vel lithargyrii partem unam, aceti deſtillati partes tres vel quatuor. Digerantur in arena calida per aliquot dies, donec minium aut lithargyrium ſolutum, & acetum probe impræg natum atque ſubviridi colore tinctum ſit. Deinde ſolutioni filtratæ oleum tartari per deliquium inſtilletur, liquor cum præcipitato pulvere albicante filtro chartaceo infundatur, magiſterium, in charta bibula relictum, aqua ſimplici probe edulcoretur, poſteaque exſiccetur. Subtilius adhuc ſaturni magiſterium ex ſacharo ſaturni parari poteſt, quando illud in aqua roſarum ſolvitur, & magiſterium deinde oleo vitrioli præcipitatur. Oleum vitrioli tamdiu inſtillandum eſt, donec mixtura colorem lacteum ſaturatiorem adquirat, deinde liquor filtrandus, & remanens calx limoſa candidiſſima aqua ſimplici aut quadam deſtillata edulcoranda eſt.

MAGISTERIVM hoc ex moleculis ſaturninis conſtat, quibus particulæ acidæ, ſub præcipitatione cum liquore alcalico obtuſiores redditæ, firmiter adhæreſcunt. Valide adſtringendo agit, & facile ſpaſmos & viſcerum obſtructiones pertinaces provocat. A medicis non adeo rationalibus interne in gonorrhœa virulenta, diarrhœis, æſtu febrili, & nimio œſtro venereo exhibetur, at

nullum pro meo judicio locum inter tuta medicamenta interna invenit, ſed ad mitiora venena conſtrictoria, quæ vitæ ac ſanitatis fulcimenta lente dejiciunt, relegandum erit; præſertim, cum virtus conſtrictoria, etiamſi optime ante uſum fuerit edulcoratum, denuo in corpore fortior evadat, quando in ventriculo & inteſtinis ægrotantium multum acidi hoſpitatur, quippe quod, moleculis ſaturninis ſociatum, majorem iterum acredinem ipſis conciliat. Tutius externe cum aquis deſtillatis, quas reddit lacteas, aut cum unguentis in ophtalmia, ambuſtis, gutta roſacea, gonorrhoea virulenta, ulceribus laxis, impuris ac nimium humidis, temperandi, roborandi, & ſiccandi fine, adplicatur.

MAGISTERIVM BISMVTHI

REC. Marcaſitæ argenteæ ſive Biſmuthi pulveriſati partem unam, aquæ fortis aut ſpiritus nitri partes tres vel quatuor. Aqua fortis non una vice, ſed ſenſim, ut nimia præcaveatur incaleſcentia, biſmutho in cucurbita ampliori adfundatur, idemque in arena, calore blando, penitus ſolvatur: Quo facto, ſolutioni decantatæ ſaturatum ſalis culinaris lixivium infunditur, ſic pulvis candidus ad fundum cadit, qui poſtea repetita aquæ ſimplicis adfuſione in filtro chartaceo edulcoratur, ac leniter exſiccatur. Si magiſterium hoc copioſa aqua pluviali præcipitatur, minori

nori quidem quantitate deſcendit, aſt priori longe tenerius evadit.

PERTINET ad coſmetica, & cum unguento pomato, præſertim ſi vari, puſtulæ & tubercula roſacea faciem reddant deformem, adplicatur: Quod vero uſum ejus internum in æſtu febrili & orgaſmo ſanguinis attinet, illum adprobare nequeo. Simili modo etiam *Magiſterium Cinci*, quod eundem pariter uſum obtinet, paratur.

MAGISTERIVM ANTIMONII DIAPHORETICI SIVE MATERIA PERLATA CRVGERI

HOC magiſterium obtinetur, quando lixivium, ſub antimonii diaphoretici aut ceruſſæ antimonii ſolutione atque edulcoratione collectum, ad dimidiæ partis remanentiam evaporatur, eidemque poſt filtrationem ſpiritus vitrioli aut acetum deſtillatum infunditur. Pulvis, ad fundum deturbatus, candidiſſimus eſt, &, reiterata aquæ ſimplicis in filtro adfuſione edulcoratus, plane inſipidus. Si ceruſſa aut antimonium diaphoreticum, elixiviatione nondum a ſalibus liberatum, cum aqua aliquandiu coquitur, infuſo ſpiritu vitrioli aut aceto deſtillato, longe major magiſterii quantitas e lixivio filtrato præcipitatur.

MATERIA perlata, quæ nihil aliud eſt, niſi tenerior calx antimonii terreo-regulina, cum antimonio diaphoretico & ceruſſa antimonii natura ac viribus convenit, adeoque etiam virtutem antacidam ac lenem diaphoreticam poſſidet: Quod validas autem vires ſudoriferas, cardiacas, antarthriticas, &c., quas ipſi nonnulli tribuunt, attinet, illas nondum, licet hoc medicamentum ægris plus vice ſimplici exhibuerim, obſervare mihi contigit. Si magiſterium hoc cum ſpiritu vitrioli præcipitatum, ac minus debite edulcoratum fuerit, odorem aquæ fortis eructat, quando cum nitro in mortario teritur; manifeſto documento, ſubſtantiæ terreo-regulinæ adhuc partes acidas vitriolicas adhærere. Exhibetur in pulvere, vel emulſionibus atque potiunculis additur, & a granis quinque ad ſcrupulum ſemiſſem, imo grana quindecim præſcribitur.

MAGISTERIVM BENZOES

ESSENTIÆ ſaturatæ gummi benzoes, cujus præparatio in antecedentibus deſcripta eſt, tantum aquæ roſarum infunditur, ut probe lacteſcat, & magiſterium, ſucceſſive in fundo collectum, provide prius decantato liquore, leniſſimo deinde calore exſiccatur.

TOTVM reſinoſum eſt, & grato odore, nec ingrato pariter ſapore pollet. Commode floribus ſubſtituitur, &, a granis 2. ad 5. 10. 12. inter pillulas, bolos, aut electuaria receptum, vires

vires non contemnendas abſtergentes, reſolventes, atque diſcutientes in febre quartana, obſtructionibus viſcerum, catarrhis, & pectoris, aliarumque partium morbis pituitoſis exſerit.

MAGISTERIVM LAPIDVM CANCRORVM

LAPIDIBVS cancrorum pulveriſatis ſufficiens ſpiritus nitri aut ſalis, aqua pura fontana debilitati, vel aceti vini deſtillati quantitas ſuperfunditur, & vitrum deinde, finita effervescentia, leni digeſtioni in arena calida tamdiu committitur, donec lapides cancrorum penitus diſſoluti ſint. Sin prima vice plenaria ſolutio, ob minus ſufficientem menſtrui quantitatem, forſan nondum inſecuta fuerit, decantato liquore pellucido, reſiduo recens menſtrui portio additur, poſteaque mixtis & filtratis ſolutionibus oleum tartari per deliquium, aut oleum vitrioli album inſtillatur; ſic in caſu priori pulvis candidus paullo rudior, in caſu poſteriori autem longe tenerior, rarior atque plumaceus ad fundum præcipitatur. Pulveres hi aqua edulcorandi & exſiccandi ſunt. Alii totam ſolutionem abſque præcipitatione evaporando ad ſiccitatem redigunt, & magiſterium ſuperſtes, citra prævium edulcorationem leniter exſiccatum, adſervant:

Electa tamen hac methodo, ſolventis loco ſemper acetum vini deſtillatum recipere jubent. Pari modo etiam *Magiſteria lapidum percarum*, *margaritarum*, *matris perlarum*, *cryſtalli montanæ*, *coralliorum*, *cornu cervi*, *ungulæ alcis*, *cranii humani*, &c., parantur, præterquam, quod cryſtallus montana, repetita ignitione & extinctione in aqua frigida, pulveriſationi apta reddita, ante ſolutionem in ſpiritu ſalis aut aceto deſtillato, cum duplo nitri calcinetur, edulcoretur & exſiccetur.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES
ET VSVM MEDICVM

I. ACETVM vini deſtillatum ac concentratum recenſitis concretis animalibus ac mineralibus terreis ac terreo-gelatinoſis diſſolvendis quidem ſufficit, ſi antea in raſuram teneriorem aut pulverem groſſiuſculum redacta fuerint, & decens poſtea digeſtio accedat; promptius tamen ſolutio peragitur, quando raſuræ aut pulveres ante aceti adfuſionem ſpiritu ſalis irrorantur, aut aliqua ejuſdem portio aceto deſtillato admiſcetur. Poſteriora hæc neceſſaria cumprimis inveniuntur apud terreo-gelatinoſa & compactiora mineralia, quippe quæ paullo difficilius, quam mere terrea teneriora, ſolvuntur.

II. Salia

II. Salia magiſteriis hiſce ex parte tam arcte adhærent, ut iisdem, licet etiam centies abluantur aqua, penitus ſpoliari nequeant, quemadmodum hoc ex aucto pondere patet: Ex una enim lapidum cancrorum uncia poſt perfectam edulcorationem novem ad minimum drachmæ magiſterii impetrantur.

III. Magiſteria ſola menſtrui evaporatione, adeoque abſque ulla per liquorem tartari aut ſpiritum vitrioli præcipitatione facta, reliquis activitate longe præferenda ſunt. Magma enim terreo-ſalſum, e ſolutis moleculis terreis & partibus aceti aut ſpiritus ſalis acidis, firmiter prioribus ſub corroſione unitis, prognatum, & citra edulcorationem exſiccatum, cum ſalibus mediis quodammodo convenit, & leniores vires abſtergentes, reſolventes, ſtimulantes, laxantes, diureticas & aperitivas exſerit; quæ virtutes a reliquis, quæ mera cadavera, ſimplicibus ſuis longe deteriora, & virtute antacida vix amplius prædita, exhibent, neutiquam exſpectandæ ſunt. Pro mea igitur ſententia priorum nonnulla in officinis retinenda, poſteriora autem penitus ex iis releganda erunt. Me quidem haud latet, numeroſa proſtare medicamenta prioribus quoque magiſteriis longe meliora, aſt diuturnæ conſuetudini aliquid dandum eſt. Exhibentur a ſcrupulo dimidio ad drachmam ſemiſſem.

MERCVRIVS VITÆ

PRÆCIPITATIONE paratur ex butyro antimonii, quod larga aquæ ſimplicis frigidæ

aut calidæ adfusione adeo debilitatur, ut substantiam regulinam ad fundum sub pulveris candidi forma dimittere cogatur. Pulvis in fundo collectus aqua probe edulcoratur & exsiccatur. Si præcipitantis loco urina humana recens eligatur, pulvis, ob adhærentes partes urinæ oleosas debili rubedine tinctus, cadit. ANGELVS SALA magisterium hoc antimonii regulinum tinctura santali rubri imprægnavit, & *Rosam antimonii mineralem* vocavit. Mitior quoque mercurius vitæ evadit, quando per biduum aut triduum cum spiritu vini rectificatissimo digeritur.

MEDICAMENTVM hoc satis inepte mercurius vitæ adpellatur: Nihil enim mercurii continet, sed pulvis mere regulinus est, cujus moleculæ partibus acidis salis culinaris nonnihil instructæ sunt, quæ etiam in receptaculum sub liquoris acidi corrosivi forma transeunt, quando præcipitatum hoc retortæ immittitur, & destillatio igne forti peragitur. Inde etiam patet, cur vitæ mercurius, aqua calida præcipitatus, ac postea cum spiritu vini rectificatissimo aliquandiu digestus, mitiorem operationem exerceat, quam alter, qui aqua frigida, quæ salia caustica tam prompte eluere nequit, præcipitatus, & sola pariter aqua, absque ulla digestione cum spiritu vini, edulcoratus fuit. VITTORIO ALGEROTTO *Medicus Italus* quondam hoc pulvere frequentissime usus est, hinc etiam *Pulvis*

Pulvis Algerotti, vel etiam *Algeroth* a quibusdam dicitur. Pertinet ad emetica & purgantia vehementissima, & nostro ævo a chirurgis duntaxat, & medicis empiricis, qui tutiora adhibere nesciunt, aut tamen negligunt, in usum vocatur. Plerumque, a granis duobus ad grana tria, quatuor, in pulvere datur; sed præstat, grana decem per aliquot horas duabus vini Rhenani unciis immittere, & solum deinde vinum, viribus emeticis imbutum, ac provide filtratione, percolatione aut decantatione a pulvere, qui sæpius adhuc eidem usui inservire poterit, separatum, propinare.

MAGNESIA ALBA

MAGNESIA nitri alba ex lixivio, a nitri crystallisatione residuo, quod nitri coctores vulgo die Mutter- oder Heck-Lauge vocant, vel *sicca* vel *humida via* paratur. Electa priori methodo, lixivium memoratum in olla non vitreata primum ad siccitatem evaporatur, deinde crucibulo immittitur, & igne, in principio leniori, postea fortiori substrato, perfecte calcinatur. Initio calcinationis massa valde spumescit, postea autem, aucto igne, vaporem rubicundum, fœtidum, qui, instituta calcinatione in retorta, in excipulo collectus, singularem aquam regiam constituit, successive eructat. Spiritum hunc acidum singularem aquam regiam voco, quoniam

niam aurum æque atque argentum adgreditur, neutrum tamen perfecte ſolvit. Peracta calcinatione, maſſa pulverulenta aqua edulcoratur & exſiccatur. Sin methodus poſterior, via ſcilicet humida, chymico placuerit, lixivio prædicto oleum vitrioli, aut oleum tartari per deliquium, vel aquoſa etiam cinerum clavellatorum ſolutio infunditur, & magiſterium, ad fundum deturbatum, decantato liquore ſupernatante, aqua edulcoratur & exſiccatur. Nonnulli pulverem præcipitatum ante edulcorationem paullulum adhuc calcinant; aſt, me ſentiente, abſque prævia calcinatione, aqua illum eluere & exſiccare præſtat, quoniam plura hac ratione ſalia retinet, & certiorem proinde effectum laxantem ſpondet.

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES
ET VSVM MEDICVM MAGNESIÆ
ALBÆ

I. MAGNESIA nitri alba, quæ a nonnullis etiam *Pulvis comitis de Palma*, *Panacea Anglica*, *Terra foliata nitri*, *Magiſterium* ſive *fecula alcalina*, *Magneſia alba Romanorum*, &c., dicitur, Romæ ab ignoto quodam chymico inventa, indeque ſub initium hujus ſeculi per archiatrum cæſareum D. CÖFERLE Viennam translata traditur. Probabile tamen eſt, medicamentum hoc jam diutius chymicis quibusdam notum fuiſſe: B. enim HOFFMANNVS refert, [a] JOHANNEM SIBOLDVM, epiſcopi Magdeburgenſis archiatrum, & HELLWIGIVM præterito pridem ſeculo magneſiam nitri præparaſſe.

II. Triplex lixivium in officinis nitrariis occurrit. *Primum*, quod a nitri coctoribus Erdlauge vocatur, e terris, nitro embryonato prægnantibus, aqua extrahitur, *alterum*, geläuterte Lauge dictum, poſt lixivii alcalici, e calce viva & cineribus lignorum parati, cum priori miſcelam, naſcitur, & *tertium* denique, quod *mater nitri*, *nitro-mitra* Mutterlauge, Hecklauge, Salpetermutter audit, poſt nitri cryſtalliſationem remanet. Hoc ultimum, e quo magneſia evaporando ac calcinando, vel præcipitando producitur, ſapore valde amaro ac ſalſo pollet, & partes varias, videlicet terreas calcareas, ſalſas nitroſas, & culinares, ut & unguinoſo-alcalinas continet. Adfuſo acido vitrioli, quod oleum vocant, vapor rubicundus, partim ex nitro partim ex ſale culinari expulſus, adſurgit, & ſatis fortem mixtura efferveſcentiam ſubit; infuſo autem ſpiritu nitri, aut alio acido leviori, nullus efferveſcentiæ motus ſequitur. Nulla pariter ebullitio aut mutatio alia, addito liquore alcalico fixo aut volatili urinoſo, ſupervenit, præterquam, quod pulvis albicans terreus copioſe ad fundum præcipitetur.

III.

a) In Obſerv. phyſico-chymicis p. 106.

III. Intuitu habitus externi magnesia nitri pulverem sistit levem, candidum, inodorum & insipidum, ac nihil sane aliud est, nisi terra calcaria tenerior, paucis duntaxat partibus acidis nitri & salis communis, intimius unitis, instructa; quemadmodum hoc posterius singulari magnesiæ ex calce & nitri ac salis spiritu productione probatur. Quando enim calx vulgaris debite extincta, pura, & exsiccata spiritu nitri & salis aliquantulum irroratur, & mixtum deinde methodo descripta calcinatur, edulcoratur, & exsiccatur, vera magnesia alba inde resultat.

IV. Magnesia alba, sive tenerior terra calcaria non tantum prædicto lixivio nitrariorum, sed ipsi etiam nitro crystallisato inhæret, & facile e capite mortuo, post spiritus nitri flammifici cum oleo vitrioli destillationem relicto, educitur, quando illud aqua solvitur, & pars terrea candidissima, quæ solutionem, sæpius etiam adfusa aqua, plane respuit, exsiccatur, calcinatur, & edulcoratur: Imo, magnesia alba, hactenus descriptæ simillima, e lixivio terreo-alcalino-salso non crystallisabili, post salis culinaris coctionem in sartagine ferrea relicto, quod vulgo Mutterlauge dicitur, parari potest, si illud, observata eadem methodo, per oleum vitrioli aut salia alcalica præcipitetur, vel, ad siccitatem prius evaporatione redactum, calcinetur, & massa pulverulenta edulcorata exsiccetur; quemadmodum de hisce plura in B. HOFFMANNI *Observationibus physico-chymicis select. p. 177. sequ.* videnda sunt.

V. Ma-

V. Magnesia alba vires absorbentes, &, præsente in primis viis acido, catharticas quoque possidet, immo, leniorem subinde diuresin atque diaphoresin provocat. Optime in ardore ventriculi, quem Sodam vocant, ut & in malo hypochondriaco, aliisque morbis, in quibus copiosa saburra acida in ventriculo & intestinis hospitatur, conducit: Absente enim omni acido, rarissime effectum laxantem edit, & apud sicciora subjecta alvum subinde magis obstruit. Datur plerumque cum emulsione amygdalina, vel cum sale Anglicano, aut aliquot sulphuris antimonii aurati granis remiscetur, vel aliis etiam purgantibus additur, ut effectus cathartícus certius insequatur. Dosis ordinaria, si per se exhibeatur, apud infantes, qui adhuc lacte nutriuntur, & frequentissime morbis, ex acido oriundis, laborant, a granis 4. 5. 6. ad scrupulum semissem, & apud adultos a drachma dimidia ad drachmas duas, tres, adscendit.

MAGISTERIVM SIVE LAC SVLPHVRIS

SVLPHVR commune pulverisatum in forti lixivio alcalico, ex sale tartari aut cineribus clavellatis, vel hisce etiam & calce viva parato, per aliquot horas, sub continua cum rudicula lignea agitatione, coquitur, donec perfecte solutum, & lixivium rubicundo colore tinctum sit: Huic solutioni postea acetum vini album ac limpidum infunditur; sic

mixtura

mixtura illico lacteſcit, & pulvis albicans ad fundum cadit, qui, decantato liquore, aqua pura fontana aut pluviali probe eluendus & exſiccandus eſt. Citius negotium abſolvitur, quando ex una parte ſulphuris pulveriſati, & partibus duabus ſalis tartari, leni in crucibulo fuſione, notiſſimum hepar ſulphuris paratur, idemque deinceps in aqua ſolvitur coquendo, & ſolutioni acetum vini infunditur. Nonnulli præcipitationem ſolutione aluminis aquoſa inſtituunt, & hac ratione copioſius quidem, aſt impurum, partibus terreis aluminoſis valde remixtum, adeoque nullius uſus interni magiſterium impetrant. Infuſa enim ſolutione aluminis, acidum, in aluminis mixtione hærens, terram ſuam deſerit, & illa proinde ſimul cum reſolutis ſulphuris partibus ad fundum deſcendit. E liquore, poſt præcipitationem relicto atque filtrato, evaporando atque coagulando ſal medium conficitur, quod, facta præcipitatione cum aceto, *terræ foliatæ tartari*, infuſa vero ſolutione aluminis, *tartaro vitriolato* ſimillimum eſt; poſterius quoque, poſt ſufficientem lixivii evaporationem, in loco frigidiuſculo in cryſtallos concreſcit.

MAGISTERIVM ſulphuris, etiamſi cum aceto præcipitatum fuerit, intuitu uſus medici, neque ſulphuri communi ſimpliciter pulveriſato, neque floribus ejusdem præferendum, ſed utrisque potius deterius, adeoque ſuperfluum & inutile præparatum cenſendum eſt. Vulgo in adfectibus pectoris, a ſero ſalſo & acri oriundis, commendatur, & ad grana 5. 6. 8. 10. exhibetur.

SVLPHVRA ANTIMONII VARIA

SVLPHVRA, quæ vario artificio chymico ex antimonio poſſunt parari, vel *pura* ſunt, & ſulphuri communi ſimillima, vel *impura*, eaque vel *mere regulina*, vel *regulino-metallica*. Ad mere regulina ſeu regulino-ſemimetallica *Sulphur antimonii auratum ordinarium*, *Panacea Glauberiana*, *Chermes minerale*, *Sulphur antimonii fixum Stahelii* &c., ad regulino-metallica autem *Sulphur antimonii ſolare*, & *martiale* pertinent; quorum omnium præparatio ſequenti modo inſtituitur: *Sulphur antimonii auratum:* Rec. ſcorias flaveſcentes reguli antimonii ſimplicis, vel hepar antimonii, ex nitri & antimonii partibus anaticis detonatione factum, ſolve hæc concreta alcalico-ſulphureo-ſemimetallica coquendo cum aqua ſimplici, ſolutionem tepidam, poſt croci metallorum impuri ſubſidentiam, filtra, & per unum aut alterum diem repone, ut rudior ſubſtantia, ſive ſulphur antimonii auratum craſſius, quod vehementi vi emetica pollet, ſpontanea præcipitatione ad fundum ſecedat: Poſtea lixivium hoc denuo filtra, eidemque

demque acetum vini aut cereviſiæ deſtillatum aut ſpiritum vitrioli infunde; ſic ſulphur cadit tenerius, aurantii plerumque coloris, quod cum liquore ſupernatante filtro chartaceo infundendum, &, liquore trajecto, exſiccandum eſt. Nonnulli lixivio ſalino-ſulphureo-aquoſo, poſt primam præcipitationem & huic ſuccedentem filtrationem, de novo acetum infundunt, immo hunc laborem tertia vice repetunt, & ſic *ſulphur antimonii primæ, ſecundæ* ac *tertiæ præcipitationis* conficiunt. Sulphuri aurato primæ præcipitationis vim emeticam, ſulphuri ſecundæ præcipitationis virtutem catharticam & ſulphuri tertiæ præcipitationis ſolummodo diaphoreticam tribuunt. Alii ſulphur antimonii crudius, poſt primam lixivii tepidi filtrationem ſpontanea præcipitatione collectum, denuo aqua ſolvunt, & ex hac ſolutione ſulphur antimonii ſecundæ præcipitationis infuſo aceto ad fundum deturbant. Verum, pro mea ſententia, repetitæ hæ ſolutiones atque præcipitationes ad labores ſuperfluos pertinent: Idem enim ſulphur antimonii auratum, e prædicto lixivio puriori, h. e., a partibus craſſioribus per ſpontaneam ſub aliquot dierum quiete ſubſtantiæ rudioris ſubſidentiam liberato, præcipitatum, & majori vel minori doſi ægris oblatum, nunc emeſin, nunc

nunc catharſin, nunc ſaltem diaphoreſin producit; immo, ſæpius obſervavi, unum idemque ſulphur antimonii auratum, & eadem pariter quantitate diverſis hominibus exhibitum, apud teneriores ac ſenſibiliores vomitum, apud robuſtiores vero aut ſegniori natura præditos, ſolummodo blandam alvi ſolutionem, aut ſudorem leniorem provocaſſe. E liquore, poſt ſulphuris antimonii aurati cum aceto præcipitationem relicto, evaporando & coagulando ſingularis *terra foliata tartari*, quæ partibus ſulphureo-reguliniſ tenerrimis remixta eſt, & vulgarem virtute ſuperat, conficitur. Sin loco aceti ſpiritus vitrioli ad præcipitationem adhibitus fuerit, *præſtantior tartarus vitriolatus*, qui ſimul virtute diapnoica pollet, evaporationis & cryſtalliſationis ope producitur. *Panacea Glauberiana* ſive *Konerdingiana:* Ex eodem hepatis antimonii aut ſcoriarum reguli ſimplicis lixivio præcipitatur, quando loco aceti aut ſpiritus vitrioli calida tartari albi aut cremoris tartari ſolutio infunditur. Mitiorem hoc ſulphur antimonii auratum operationem exercere, & ideo etiam frequentius, quam præcedens, a KONERDINGIIS in praxi uſurpatum fuiſſe dicitur: Sed, pro meo judicio, hoc & præcedens non adeo ſingulare reſpectu activitatis diſcrimen intercedit. *Cher-*

mes vinerale, ſeu *Pulvis Carthuſianorum*: Rec. antimonii crudi, in pulverem ſubtilem redacti, liquoris nitri fixi ſive alcaheſt Glauberi ana libram unam. Mixta forti igne per diem & noctem digerantur, deinde, adfuſa prius aquæ fontanæ aut pluvialis fervidæ libra una, adhuc per horam integram, ſub continua cum rudicula lignea agitatione, coquantur, & poſtea calida ſolutio, per filtrum trajecta, vel ſaltem decantata, in vaſe mundo reponatur; ſic intra breve tempus magiſterium rubrum ſulphureo-regulinum ad fundum ſecedit, quod aqua probe eluendum, & ſpiritu vini rectificatiſſimo ſuperfuſo & accenſo depurandum eſt. Præparandi methodum, a recenſita nonnihil diverſam, B. HOFFMANNVS deſcripſit, quæ in ejusdem *Obſervationibus phyſico-chymicis ſelectioribus p. 264.* videnda eſt. Loco liquoris nitri fixi etiam oleum tartari per deliquium, aut ſolutio cinerum clavellatorum, ſpontanea pariter deliqueſcentia producta, adhiberi poteſt. Soluto enim ſub digeſtione & coctione per alcali concentratum ſulphure antimonii, partes regulinæ paullulum quoque reſolvuntur, atque earum nonnullæ poſtea cum ſulphureis ad fundum cadunt. *Sulphur antimonii fixum Stabelii.* Hoc cum præcedente, quoad naturam ac præparationem, maxima ex parte conve-

convenit, & præparatio ejus ita a STABELIO deſcribitur: [a] Rec. calcis vivæ libram unam, cinerum clavellatorum libras duas. Pulveriſata & mixta vaſi ferreo immittantur, & per quatuordecim dies aeri libero exponantur, deinde maſſa hæc cum aquæ menſuris ſex coquatur, lixivium colatum & filtratum inſpiſſetur, ſal inſpiſſatum in tigillo ignis ope fundatur, ac poſtea in conum infundatur. Hiſce peractis, recipiantur hujus ſalis contuſi libræ duæ, reguli antimonii medicinalis libra dimidia, coquantur cum quatuor aquæ menſuris in vaſe vitreo per ſex horas, ſolutio calidiſſime filtretur, & liquori filtrato ferventi tres menſuræ aquæ puræ pluvialis frigidæ infundantur; ſic ad fundum pulvis rubicundus ſulphureo-regulinus, poſtea per filtrationem a reſiduo lixivio ſeparandus & exſiccandus, ſucceſſive præcipitabitur. *Sulphur antimonii martiale & ſolare:* Vtriuſque præparationi idem lixivium, e quo ſulphur antimonii auratum vulgare præcipitatur, inſervit, & alia duntaxat præcipitantia adhibentur, quæ novi plane ſulphuris geneſi partium quarundam miſcela anſam præbent. Si enim prædicto lixivio ſolutio vitrioli martis aquoſa infunditur, acidum vitrioli partes mar-

a) In Chymia dogmatico-experimentali p. 315.

martiales, quas antea ſolutas tenebat, deſerit, & cum moleculis alcalicis lixivii concreſcens, tartarum vitriolatum format, martiales vero partes cum ſulphureis, ſolvente ſuo alcalico nunc pariter deſtitutis, ad fundum deſcendunt, & *ſulphur antimonii martiale* primo nigricans, poſt liquoris autem in filtro receſſum & exſiccationem ex flavo-brunnum, conſtituunt: Sin eidem vero lixivio, loco ſolutionis vitriolicæ, ſolutio auri, cum aqua regia more conſueto facta, infundatur, ſulphur, auri moleculis mixtum, adeoque *ſolare verum* cadit, quod pariter in filtro aqua edulcorandum ac poſtea exſiccandum eſt.

SVLPHVR *antimonii auratum vulgare* rite præparatum vires emeticas, catharticas, diaphoreticas & anodynas poſſidet. Apud adultos ad emeſin provocandam ordinario grana 2. 4. 6., ad alvum ſubducendam grana 1. 2. 3., & denique ad ſudorem eliciendum granum dimidium, granum unum ſufficiunt. Rariſſime per ſe datur, ſed aliis catharticis, laxantibus, diaphoreticis, ſanguinem purificantibus, v. g. ſali Ebshamenſi, tartaro ſolubili, extracto rhabarbari, extr. catholico, antimonio diaphoretico, ceruſſæ antimonii, materiæ perlatæ, mercurio dulci, ſacharo, &c., admiſcetur. Specificos & ſingulares effectus edit in febribus exanthematicis, quando exanthemata prodire renuunt, aut retroceſſerunt, nec non in adfectibus

bus ſcabioſis, lue venerea, lepra, ſcorbuto, ulceribus cancroſis, fluore albo, cachexia, ſpaſmis, epilepſia, obſtructionibus glandularum, &c. *a* Quando cum æquali mercurii dulcis rite præparati quantitate combinatur, ſic dicta *Panacea Edinburgenſis*, maximæ cumprimis efficaciæ in adfectibus ſcabioſis & lue venerea, inde reſultat. *Arcanum tartari*, ut &, ſpiritu vitrioli ad præcipitationem adhibito, *tartarus vitriolatus*, quæ ex lixivio relicto parantur, præter vires incidentes, reſolventes, abſtergentes, etiam virtutem laxantem, diureticam, diapnoicam & anodynam, ob mixtas partes ſulphureas tenerrimas, poſſident. Dantur a granis 5. ad 10. 12. 15. *Panacea Glauberiana*, quoad naturam, vires & uſum, cum ſulphure antimonii aurato vulgari convenit, præterquam, quod, ob magis fixatam ſubſtantiam regulinam, paullo mitior ſit, & ideo apud ſubjecta robuſta aut torpida ad plura nonnunquam grana exhiberi queat. *Chermes minerale*, quod in Gallia *Pulvis Carthuſianorum* vocatur, maximis quidem laudibus a LEMERY *juniore* ornatur, *b* & reliquis antimonii ſulphuribus impuris præfertur; aſt nullam, me ſentiente, prærogativam meretur. Datur a grano uno ad grana duo, tria Simile judicium de *Sulphure antimonii*

a) Plura de uſu videantur in Diſſ. D. D. REGENHERTZ de Vſu ſulphuris antimonii aurati medico &c. anno 1737. Halæ habita.

b) Vid. Hiſt. de l' Academ. Royal. des Sciences anno 1720.

monii fixo STABELII, quod cum præcedente pulvere Carthusianorum intuitu naturæ & usus convenit, ferendum est. Valdopere illud Stabelius laudat in morbis chronicis ac refractariis, v. g. in lue venerea, scorbuto, scabie, arthritide, rhevmatismo, cephalæa, hemicrania, asthmate convulsivo, contracturis & ulceribus inveteratis, ut & in rebellibus cutis defœdationibus, quæ mitioribus remediis cedere nolunt, & sic porro. Dosis a grano uno ad tria adscendit. *Sulphur antimonii solare* vulgari antimonii sulphure aurato quidem pretiosius, ast nullo plane modo præstantius est. Exhibetur a grano dimidio ad grana 2. 3. 6. *Martiale* denique *sulphur antimonii* aurato simplici longe remissius deprehenditur, &, ob mixtas partes martiales tenerrimas, subinde, acido videlicet in primis viis hospitante, leniter adstringendo roborat; hinc magis quoque in cachexia, hydrope humido, febre quartana, ac chronicis viscerum obstructionibus conducere creditur. Dosis a grano uno usque ad grana octo adscendere potest. *Sal*, e lixivio post præcipitationem eductum, leniter resolvit ac roborat. Singula hactenus descripta sulphura antimonii, quod adhuc subjungendum est, præter partes sulphureas, etiam regulinas, quibus virtus emetica, cathartica, & ex parte quoque sudorifera in acceptis ferenda, continent. Quando enim sulphur antimonii cum mercurio currente miscetur, & mixtura deinde consueta methodo sublimatur, perfecta cinnabaris adscendit, & in

in fundo retortæ partes quædam regulino-terreæ remanent: Immo, si chermes minerale aut sulphur antimonii fixum Stabelii, & hujus commatis reliqua, cum pulvere carbonum atque nitro contuso funduntur, antimonii regulus prompte regeneratur. De *Sulphuribus antimonii puris*, vel solutione ac præcipitatione vel sublimatione parandis, *a* multa hoc loco addere, plane supervacaneum duco, quoniam ea communi sulphuri minerali, quoad principia, indolem, vires atque virtutes medicas, simillima inveniuntur.

CAPVT II

DE

CALCIBVS, CROCIS, REGVLIS ATQVE VITRIS

§. I

PRÆPARATA illa, quæ a chymicis *Calcium* nomine designantur, varii generis existunt, & ratione originis in calces *animales* & *minerales*, respectu autem formæ externæ in *proprie tales*, & *improprie tales* recte distinguuntur. Calces proprie tales pulveres sunt, aut massæ, friabiles, pulverulentæ, candidæ, inodoræ, terreæ, calci vulgari, quoad habitum externum, simillimæ; improprie tales autem pulveres quidem sistunt, terram forma

a) Vid. B. HOFFMANN. Obs. physico chym. p. 246.

externa plus minusve referentes, aut colore cinereo, flavescente, brunno, rubescente &c. tinctos.

§. II

CALCES proprie tales iterum vel *perfectæ* inveniuntur vel *imperfectæ*. Illæ, quæ sola exustione violenta ex aptis corporibus producuntur, ob penitus amissum materiale cohæsionis principium, pulveres albicantes, vel *mere terreos*, vel *terreo-semimetallicos* exhibent; hæ contra, corrosione humida aut sicca parandæ, materiale cohæsionis principium maxima ex parte retinuerunt, & ordinario ex moleculis albicantibus terreo-salino-metallicis, nunc facilius, nunc difficilius, ablatis scilicet partibus terreo-salinis, pertinacius adhærentibus, in pristinam massam metallicam fusione reducendis, constant.

§. III

CALCIBVS proprie talibus & quidem *mere terreis* quævis terræ, albæ, insipidæ, alcalinæ, ex ossibus, dentibus, cornibus, ungulis animantium, conchyliis &c. violenta ustione paratæ, v. g. spodium, cornu cervi ustum &c.; *terreo-semimetallicis* vero antimonium diaphoreticum, cerussa antimonii, bezoardicum minerale, antihecticum Poterii atque præparata

rata similia, & *terreo-salino-metallicis* denique calces lunæ, cerussa plumbi &c. adnumerantur; imo nonnulla, uti v. g. vix memoratum antihecticum Poterii sive bezoardicum joviale, inter calces terreo-semimetallicas æque ac terreo-metallicas locum inveniunt.

§. IV

CALCINATIO *perfecta* ac proprie ita dicta ordinario igne sicco ac violento, qui materiale cohæsionis principium, in animalium partibus *gelatinosum*, in mineralibus vero *sulphureum*, aut *tenerius inflammabile*, destruit, consumit, expellit, perficitur, ita tamen, ut vel solus accedat, vel salina præter eum aut sulphurea concreta, v. g. nitrum, sulphur commune &c., concurrant, & dissolutionem sub *detonatione* aut *cæmentatione* adjuvent: Ad calcinationem *imperfectam* ex adverso menstrua fluida, humida aut sicca, vel corrosivi saltem vapores requiruntur, & illa proinde sæpius *corrosio* vocatur, atque in *humidam* & *siccam*, & prior iterum in *immersivam*, *illitoriam*, ac *vaporosam*, posterior autem in *fumigationem* & *amalgamationem* discernitur; quemadmodum de hisce plura in libris chemicis ordinariis seu proprie ita dictis videnda sunt.

§. V

VIRTVTES medicæ, quibus calces, ſpecialius poſtea deſcribendæ, pollent, valde diverſæ inveniuntur. Aliæ enim, uti v. g. *terræ alcalinæ animalis proſapiæ*, ſolam poſſident virtutem antacidam & abſorbentem, adeoque in morbis, ab acido primarum viarum exſuperante primario oriundis, duntaxat auxilium ferunt: Aliæ, cujus cenſus *antimonium diaphoreticum*, *ceruſſa antimonii* & *bezoardicum minerale* exiſtunt, non tantum antacida, ſed leni etiam virtute diaphoretica inſtructæ creduntur: Et aliæ denique, v. g. *ceruſſa plumbi*, viribus ad- & conſtrictoriis fortioribus gaudent, ac nullum proinde uſum internum inveniunt, ſed externe ſolummodo, exſiccandi & adſtringendi fine, nonnunquam adhibentur.

§. VI

AD CALCES improprie tales etiam ſic dicti CROCI tum *metallici*, tum *ſulphureo-ſemimetallici* referri merentur. Hi ex antimonio, illi vero ex metallis coloratis, v. g. auro, cupro, atque ferro, *via ſicca* aut *humida*, adeoque vel *fuſionis*, *detonationis*, *cæmentationis*, *reverberationis*, vel *corroſionis* aut *ſolutionis* ac *præcipitationis* beneficio, nunc ſolo advocato igne, nunc additis pulveribus ſiccis ſalinis

linis aut ſulphureis, nunc adhibitis menſtruis liquidis corroſivis, conficiuntur, & ordinario rubeſcente, flavo, brunno, ex brunno-nigricante aut flaveſcente colore gaudent.

§. VII

AVRVM, ob perfectionem ſuam ac ſummam fixitatem, nihil de materiali cohæſionis principio ſub temporaria, ſimplici ac ſolo igne inſtituta calcinatione amittit, metalla imperfecta autem, ut cuprum & ferrum, nec minus concreta ſemimetallica, ut antimonium, notabilem ejuſdem jacturam faciunt, & in priſtinam maſſam metallicam aut ſemimetallicam reduci nequeunt, niſi ipſis amiſſum phlogiſton per additamenta, eodem principio prægnantia, reſtituatur.

§. VIII

IN CROCIS inſipidis, & abſque menſtruo aut alio additamento corroſivo paratis, parum plerumque virtutis medicæ latet, iidemque fatui pulveres ac mera cadavera eſſe videntur, niſi acido corrodente, largius in prima culina adcumulato, aliquantulum ſubinde animentur: Quod acres vero ac leniter ſtypticos attinet, iis rodendi, vellicandi, aut adſtringendi virtus haud deneganda erit.

§. IX

§. IX

REGVLI, quorum mentio in capitis frontiſpicio pariter injecta fuit, ſunt maſſæ ponderoſæ, ſplendentes, vel *metallicæ*, vel *ſemimetallicæ:* Priores ex metallis tam perfectis, quam imperfectis, aut mineris eorum; poſteriores autem ex antimonio, minera cinci, biſmuthi &c., fuſione ac præcipitatione parantur.

§. X

PRÆCIPITATIO ſola tigilli aut coni fuſorii concuſſione, adeoque citra ulla præcipitantia, peragitur; ad promovendam vero fuſionem varia corpora ſalina, aut phlogiſto-ſalina, v. g. nitrum, borax Veneta, cineres clavellati, ſal tartari vulgare & extemporaneum tam album, quam nigrum &c., itemque adauru m depurandum, & inmixta metalla imperfectiora deſtruenda, antimonium adhibentur.

§. XI

REGVLI mere metallici per ſe nullum in medicina uſum inveniunt, ſed eorundem nonnulli aliorum duntaxat medicaminum præparationi impenduntur; antimoniales ſemimetallici autem locum ſibi inter ſatis activa pharmaca, emetica, ſanguinem purificantia, & dia-

diaphoretica vindicant, & multis præterea præparatis aliis præcipuam materiam ſuppeditant.

§. XII

VITRA, quæ generalius conſideranda reſtant, ſunt vel *mechanica*, vel *medica*. De illis hoc loco nihil dicendum eſt, quum medici iiſdem uti nequeant; hæc autem, quæ ex ſolo antimonio leniter calcinato, aut mercurio vitæ fuſione ſolitaria parantur, & plerumque flavedine aut rubedine tincta ſunt, vel hyacinthum etiam colore æmulantur, ſatis activa emetica fiſtunt, & variis aliis, tum vomitoriis, tum ſudoriferis, medicamentis, præcipuum ingrediens ſuggerunt.

CALCES, CROCI, REGVLI, AC VITRA VSITATIORA

Antimonium diaphoreticum.
Ceruſſa antimonii.
Bezoardicum minerale.
- *martiale.*
- *joviale.*
- *ſolare.*

Regulus antimonii ſimplex.
- - *medicinalis.*
- - *martialis.*
Regulus antimonii jovialis.
Croci martis vulgares varii.
Crocus martis aperitivus STAHLII.
Hepar antimonii & crocus metallorum.
Vitrum antimonii hyacynthinum.
- - *ſuccineum.*

ANTIMONIVM DIAPHORETICVM VVLGARE ET REGVLINVM

ANTIMONIVM *diaphoreticum vulgare:* Rec. Antimonii crudi partem unam, nitri puri

puri partes tres. Probe pulverisata, ac mixta per vices cum cochleari ferreo crucibulo candenti injiciantur, ut detonationem subeant, & pars antimonii regulina in calcem albicantem mutetur. Quo facto, crucibulum, frusto lapidis tegularis obiter tectum, adhuc per semihorium in igne relinquatur, ut perfecta contingat calcinatio, deinde materia, post aliquam refrigerationem, vel etiam, quod præstare videtur, adhuc calida, eximatur, & patinæ, aqua tepida vel frigida repletæ, injiciatur, ut tota, exceptis moleculis quibusdam durioribus, fundum cito petentibus, dissolvatur. Massa soluta, relictis duntaxat moleculis durioribus ac grandioribus, cum aqua filtro chartaceo infunditur, &, aqua per filtrum trajecta, siccatur, vel amplius adhuc aqua pura ante siccationem edulcoratur. Ex aqua, sub reiterata filtratione & edulcoratione collecta, *nitrum antimoniatum*, cujus supra pridem mentio facta fuit, evaporando & crystallisando paratur. *Cerussa antimonii*, sive *antimonium diaphoreticum regulinum* eadem plane methodo conficitur, præterquam, quod loco antimonii crudi tribus nitri partibus una reguli antimonii simplicis pulverisati pars misceatur.

NOTAN-

NOTANDA
CIRCA
NATVRAM, PRÆPARATIONEM, VIRES
ET VSVM MEDICVM

I. ANTIMONIVM diaphoreticum vulgare & regulinum natura ac viribus perfecte conveniunt, & calx posterior priorem partium teneritudine aliquantulum duntaxat superare videtur, quæ differentia levissima tamen nullam meretur attentionem.

II. Præstat sub mixturæ detonatione totum crucibulum successive replere, ut flores antimonii, tigilli lateribus in parte vacua adhærentes, hac ratione pariter comburantur: Sin hoc autem ob materiæ calcinandæ defectum fieri nequeat, pulviculus albus emeticus, crucibuli lateribus adpositus, penna anserina abstergendus est. Aliqui etiam spiritum vini rectificatissimum super antimonio diaphoretico jam edulcorato accendere jubent; qui labor tamen, si omnia rite peracta fuerint, mihi superfluus videtur.

III. Nonnulli antimonii diaphoretici solutionem & edulcorationem cum aqua plane dissuadent, & massam albicantem & salibus remixtam post detonationem solummodo tritura in pulverem redigere & sic adservare jubent. Opinantur enim, antimonium ejusmodi diaphoreticum, quod *Stibium diaphoreticum nitratum* vocant, certiores, quam ordinarium mere terreum, in corpore effectus edere, & illi proinde longe præferendum esse.

IV.

IV. Quando nitrum perfecte purum est, duæ ejus partes ad unam antimonii partem sufficiunt. Nitrum sub detonatione cum sulphure antimonii quoad partem aliquam consumitur, quoad partem, & quidem maximam, remanet, & terra sua fixa ipsius antimonii diaphoretici, aqua fervida soluti & edulcorati, pondus notabiliter auget. Annotante enim MEVDERO, *a* ex antimonii unciis quatuor & nitri unciis duodecim post detonationem, ac fortem calcinationem unciæ duodecim cum drachma una massæ fixæ salino-terreæ prodeunt, quæ contusa, & aqua feruente edulcorata, uncias quinque & dimidiam antimonii diaphoretici puri, albi, insipidi, suppeditat.

V. Antimonium diaphoreticum utrumque, tam vulgare, quam regulinum, calcem subtilem, albam, insipidam, terreo-regulinam sistit, quæ, addita substantia phlogista, fusionis beneficio, ad pristinam reguli, tandemque ipsius antimonii, formam ac consistentiam reduci potest. Possidet vires antacidas & leniores diaphoreticas, & ideo frequentissime, vel per se in pulvere, a granis 5. ad scrupulum unum, immo drachmam semissem, vel potiunculis, emulsionibus aut aliis pulverulentis. dosi refracta additum, a medicis in febribus continuis, inflammationibus, adfectibus catarrhalibus, rhevmaticis, arthriticis, scabiosis, &c., ad lenem diaphoresin provocandam, præscribitur. BOERHAAVIVS illi, si perfecte edulcoratum fuerit, nullas, præter antacidas, tribuit virtutes

a) Vid. EJVSD. Analysin antimonii p. 122.

virtutes medicas, idemque inter medicamenta fatua & inertia relegat: *Iners*, scribit, *a noxia calx est, carens omni actuoso deprehendendo per observationes, carens omni bono, quod prius adhærescebat. Solum agit sensibiliter, quando duplata parte purgantibus miscetur, revera horum vires acuens, ut in pulvere Cornachino certissimis exemplis constat. Aliter usum ejus dissuadeo*, &c. Pluris ex adverso æstimat *Stibium diaphoreticum nitratum*, h. e. nitro & aliis salibus, sub detonatione enatis, adhuc remixtum: *Materies hæc*, loco eodem *p. 451.* inquit, *ita rite parata, semidrachmæ copia hausta, vix aliquid sensibilis mutationis adfert, nisi, quod, respectu nitri fixantis adhærescentis, moderate aperit, hinc in acutis boni quid præstat. Tum solent chemici vocare diaphoretica, putantque, tum venenum arsenicale antimonii fixatum esse ope pluris nitri. Sed jam in Stibio nihil emetici erat, licet ad plures drachmas ingereretur simul absque ulla præparatione, absque ullo omnino nitro; quum æqualis pars nitri excitaverat illam vomendi vim excitantem: ne igitur nimis, ratiocinemur, experimento tuti. Discat Basilius Valentinus & cum eo Chemici, non opus tanta cura, ut sollicite liberetur nitro fixante hoc stibium diaphoreticum: non facit anxietates, nauseas, vel vomitus, sed benignam stimulationem. Plus mali a calce abluta*, &c. Quod me attinet, cum Boerhaavio penitus in hoc passu consentire nequeo: Edulcoratum enim antimonium diaphoreticum vulgare & regulinum non mera

a) In Chemiæ Tomo II. p. m. 452.

mera calx terrea est, sed potius terreo-regulina, quæ non solum in regulum, uti antea pridem dictum, reduci potest, sed, quoad notabilem quoque partem, post coctionem cum aqua, per filtrum chartaceum transit, quod a meris terris haud exspectandum erit: Vnde etiam recte concluditur, aliquam ejus portionem e ventriculo pariter per vasa bibula & lactea ad sanguinem deferri, & leniſſimam postea diaphoresin, præsertim si salina media resolventia actionem ejus adjuvent, ob naturam regulinam, subinde provocare posse. Non adeo insuper mihi stibium diaphoreticum nitratum placet, quum antimonium diaphoreticum vulgare edulcoratum, posteaque iterum cum nitro aliisque salibus neutris mixtum, tutius omnino remedium, quam confusa & simpliciter saltem post detonationem & calcinationem pulverisata massa salino-terreo-regulina, cujus ingredientia seu partes constitutivæ medico quoad quantitatem minus exacte patent, suppeditare videatur.

BEZOARDICVM MINERALE MARTIALE, JOVIALE ET SOLARE

BEZOARDICVM *minerale* sive *antimoniale*, quoad naturam ac vires medicas, cum antimonio diaphoretico perfecte convenit, & itidem ex regulina antimonii parte, vario tamen modo, præparatur: Alii enim, quorum methodus mihi præ reliquis arridet, mix-

mixturam ex mercurii vitæ pulverisati parte una & nitri contusi partibus duabus vel tribus in candens immittunt crucibulum, &, peracta detonatione leniſſima atque calcinatione, albicantem massam, æque ac antimonium diaphoreticum vulgare, aqua edulcorant, & calcem postea siccant: Alii spiritum nitri butyro antimonii tamdiu instillant, donec posterius nullos amplius fumos, qui valde noxii exiſtunt, eructet, postea mixturam retortæ vitreæ infundunt, & liquidum ad siccitatem usque abstrahunt; sic massa pulverulenta remanet, quæ, præmissa ac semel vel bis reiterata spiritus nitri recentis adfusione, & abstractione, eximitur, in crucibulo leniter calcinatur, tandemque aqua edulcoratur & exsiccatur. *Bezoardicum martiale*, quod alias etiam *antimonium martiale cachecticum*, *ſpecificum ſtomachicum Poterii*, *crocus martis antimoniatus* &c. vocatur, eadem pariter methodo conficitur, si saltem solutio ferri, loco spiritus nitri puri, antimonii butyro instilletur. Potest tamen etiam modo sequenti elaborari: Rec. limaturæ martis puræ & antimonii pulverisati ana uncias quatuor, mixturam in crucibulo, admoto igne forti ac vegeto, funde, & massæ fluenti nitri pulverisati ac probe siccati libras duas medicas successive adde, tandemque calcem ex flavo-brunnam,

ex ferro & antimonio detonationis beneficio enatam, aqua edulcora, ſicca & adſerva. Citius totum præparationis negotium abſolvitur, quando reguli antimonii martialis contuſi pars una cum nitri pulveriſati partibus tribus miſcetur, mixtura in crucibulo detonationi ac calcinationi ſubjicitur, & maſſa hepatica deinde contunditur, aqua edulcoratur, & pars ſubtilior, a craſſiori lavando ſeparata, ſiccatur: Immo, ex tempore paratur, ſi crocus martis tenerior cum antimonio diaphoretico modica quantitate, exacta tamen interveniente tritura, miſcetur. *Bezoardicum joviale*, ſive *Antihecticum Poterii:* Rec. reguli antimonii jovialis, infra deſcribendi, partem unam, nitri puri partes tres. Pulveriſata & mixta injiciantur crucibulo candenti, & ignis in principio remiſſior per gradus poſtea augeatur, ut mixtura, in principio ſaltem abſque incendio liqueſcens, tandem ebulliat, ſcintillas eructet, & ultimo cum flamma ac ſtrepitu in crucibulo, quod in principio ultra partem dimidiam mixtura haud replendum eſt, adſurgat. Materia hæc, finito incendio ac ſtrepitu, paullulum adhuc calcinatur, deinde, ſpatula ferrea e crucibulo extracta, aquæ tepidæ injicitur, ut in pulverem ſubtilem cœruleo-gryſeum reſolvatur, qui aqua edulcorandus, &, ſeparatis partibus craſſioribus,

ribus, exſiccandus eſt. Alii hoc, ut & *Bezoardicum antimonii ſolare*, itidem ex butyro antimonii, methodo ſupra deſcripta, præparant. Loco ſpiritus nitri puri enim butyro antimonii in caſu priori ſolutionem ſtanni, in caſu poſteriori ſolutionem auri, cum aqua regia factam, quantitate ſufficienti infundunt, liquidum deſtillando evocant, ſpiritum nitri purum bis a calce relicta abſtrahunt, & maſſam, poſtea e retorta exemtam, in crucibulo leniter calcinando, edulcorando & exſiccando ad deſideratam perfectionem deducunt.

BEZOARDICVM *minerale ſimplex* ab antimonio diaphoretico, cujus ſpecies eſt, neque natura, neque viribus medicis diſtinctum eſt, & ideo in morbis iisdem, eademque doſi exhibetur. *Antimonium diaphoreticum martiale* ſive *bezoardicum martiale* eadem in corpore præſtat, &, ob mixtas particulas martiales tenerrimas, præſertim, ſi acidum in ventriculo inveniat, aliquam quoque virtutem tonicam & adſtringentem exſerit. *Bezoardicum joviale* ſive *antihecticum Poterii* inſigne quidem hepaticum & uterinum eſſe, & in paſſione hyſterica & ſudoribus hecticorum colliquativis ſpecifice prodeſſe creditur; verum, cum, teſte experientia, nil ſingulare in corpore efficere valeat, & vaſcula conſtringendo magis obſtruat, vulgari antimonio diaphoretico deterius æſtimandum erit: Et ſimile propemodum judicium de *Bezoardico ſolari*

ſolari ferendum eſt, etiamſi eidem a medicis quibuſdam, qui pharmacis prætioſioribus majores etiam virtutes adſcribere conſueverunt, ſingulares vires cardiacæ & confortantes, &c. tribuantur. Datur hoc & præcedens joviale a granis 5. ad gr. 10. 15. 20.

REGVLVS ANTIMONII SIMPLEX

REC. Antimonii, tartari crudi ana uncias ſex, nitri uncias quatuor. Pulveriſata & mixta crucibulo candenti per vices cum cochleari ingerantur, ut detonationem ſubeant, poſtea mixtura igne auctiori probe fundatur, tandemque cono fuſorio metallico, intus ſevo aliquantulum illito, infundatur; ſic, accedente marginis concuſſione, regulus ad fundum deturbatur, ac paullo poſt ſoliditatem & conſiſtentiam ſemimetallicam adquirit. Scoriis refrigeratis atque remotis, regulus eximitur, & ita adſervatur, vel pulveriſatus denuo cum quarta nitri contuſi parte funditur, ut majorem puritatem & nitorem conſequatur. Alii regulum hunc reducendo ex antimonio, leni igne in cinerem redacto, quem oleo, ſevo, butyro, aut pinguedine impræg-nant, & cum carbonum pulvere miſcent, in crucibulo candente præparant. Superveniente enim ſubſtantiæ inflammabilis combuſtione, regulus

regulus ex cinere antimonii, & addito phlogiſto ſatis notabili quantitate renaſcitur, & debite quoque, ſi cuivis antimonii calcinati libræ, adparente tamen prius regulo renaſcente, uncia una nitri pulveriſati ſucceſſive ſuperingeratur, in crucibulo in unam maſſam colliqueſcit, ita, ut commode deinceps in conum fuſorium infundi queat.

NOTANDA CIRCA NATVRAM, PRÆPARATIONEM, VIRES ET VSVM MEDICVM

I. REGVLI antimoniales in *Simplices* & *Compoſitos* dividuntur. Simplices ex ſingulari terra metallica vitreſcibili, cui pauxillum ſubſtantiæ arſenicalis tenaciſſime adhæret, & pauco ſulphure, vulgari minerali per omnia ſimili, conſtant, ac triplici modo, nimirum *præcipitatione*, *calcinatione* & *ſolutione* parantur. Binos priores modos, qui uſitatiores, meliores, ac minus ſumtuoſi exiſtunt, præmiſſi proceſſus jam ſpecialius oſtendunt: Quod ſolutionem vero attinet, illa vel *humida* vel *ſicca via* peragitur. In caſu priori antimonium pulveriſatum in liquore acido potentiori, v. g. ſpiritu ſalis concentrato, aut aqua regia digeſtionis beneficio ſolvitur, & ſolutio deinde multa aqua debilitatur, ut acidum, quod ſolam ſubſtantiam regulinam, intacta ſulphurea corrodit, hac ratione impotens redditum, partes

regulinas ſub pulveris albicantis ſeu calcis forma ad fundum dimittat. In caſu poſteriori antimonio pulveriſato mercurius ſublimatus anatica quantitate additur, & ſic dictum butyrum antimonii in receptaculum & collum retortæ pellitur, uti pridem ſub cinnabaris deſcripta ſublimatione plura de hiſce dicta fuerunt. Ex hoc butyro deinde mercurius vitæ, ſeu corroſa ſubſtantia regulina larga aquæ adfuſione præcipitatur. Rarius cæteroquin ultima hæc methodus, quæ ſicca vel humida nititur ſolutione, adhibetur, quoniam pars antimonii regulina, ſub calcis duntaxat forma cadens, conſiſtentia ſemimetallica deſtituitur, & pauca præterea quantitate, licet labor diuturnior ac plures ſumtus impendi debeant, colligitur.

II. Si prima, eaque optima & uſitatiſſima, methodus, quæ detonatione, fuſione ac præcipitatione abſolvitur, chymico placet, antimonio ſalia alcalia fixa, vel ejuſmodi tamen concreta, quæ ſub fuſione naturam ſalino-alcalicam adquirunt, v. g. ſal tartari, cineres clavellati, nitrum fixum, tartarus crudus, nitrum, &c., adduntur. Salia enim alcalia ſulphur in antimonio adgrediuntur, illud ſub fuſione ſolvunt, & cum maxima ejus parte in ſic dictum hepar ſulphuris, quod poſtea ſcorias conſtituit, coaleſcunt, ita tamen, ut multæ partes regulinæ, quæ tam cito a ſulphure ſuo ſuperfluo ſeparari nequibant, ſcoriis immiſceantur, iiſdemque fortem vim emeticam concilient. Nunquam enim pars antimonii regulina penitus, quocunque etiam advocato artificio,

ficio, a ſulphurea ſubſtantia ſeparatur, & id quoque cauſſa exiſtit, cur ex ſat magna antimonii quantitate modicam ſaltem reguli quantitatem, v. g. ex libra medica antimonii vix uncias duas cum dimidia, vel uncias tres reguli obtineamus.

III. Quando maſſa igne fortiori funditur, adeo, ut tenuiter in fine fluat, poſt effuſionem in conum, ita plerumque reguli partes ſub refrigeratione diſponuntur, ut elegans ſtella poſtea in eo adpareat. Alias quidem nonnulli ſtellæ enatæ cauſſas allegant; at ſola recenſita, perfecta ſcilicet ac vivida maſſæ ante effuſionem liquefactio in hoc paſſu ſufficit, & reliquarum plurimæ commentis adnumerandæ ſunt.

IV. Per ſe hic regulus a medicis non adhibetur, ſed aliorum duntaxat medicaminum, v. g. *tincturæ antimonii*, *ceruſſæ*, &c., præparationi impenditur, & ſubinde etiam ex eo & ſtanno Anglicano *pocula*, *annuli* ac *pillulæ* conficiuntur, quorum prima vino, ad uncias duas per noctem infuſo, poſteriores autem, eidem injectæ, vim emeticam communicant.

REGVLVS ANTIMONII MEDICINALIS SIVE FEBRIFVGVM CRAANII

REC. Antimonii crudi optimi uncias quinque, ſalis communis ſiccati uncias quatuor, ſalis tartari unciam unam. Pulveriſata & probe mixta in crucibulo igne, primum mitiori,

postea fortiori, fundantur, ut mixtura aquæ instar fluat. Quo viso, massa liquescens cono infundatur, & scoriæ post refrigerationem a regulo, in parte inferiori hærente, separentur. Regulus hic metallicum habitum atque splendorem habet, & chalybem nondum politum colore ac forma externa refert, pulverisatus autem & aqua elotus colorem obscure rubrum, instar lapidis hæmathitæ, adquirit. Alii hunc regulum, rejecto sale culinari, ex partibus quinque antimonii, & parte una salis tartari, vel etiam ex partibus octo antimonii & una parte nitri fusione descripta conficiunt: Verum, prior modus posterioribus usitatior est, & iis ordinario præfertur.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM

I. REGVLVS antimonii medicinalis inter veros atque completos regulos antimoniales locum tueri nequit, quum saltem *antimonium fusum* existat, per modicam additi salis alcalici quantitatem exigua sulphuris parte spoliatum, vel etiam *hepar antimonii compactum*, quod neque in aqua dissolvitur, neque in aere humido diffluit: Et inde etiam mitior ejus indoles derivanda est. Ex quinque unciis antimonii, adhibita scilicet methodo prima, quatuor propemodum unciæ reguli impetrantur; sin vero, rejecto sale culinari, cum solo tartari sale aut nitro, quod posterius sub fusione alcalisatur, processus instituatur, ex unciis quinque antimonii totidem fere reguli unciæ prodeunt.

II. Concretum hoc, in pulverem subtilem redactum, ac probe edulcoratum, egregium creditur resolvens, diaphoreticum & sanguinem purificans, adeoque etiam valde laudatur in morbis, a lymphæ visciditate & impuritate oriundis, v. g. in tumoribus glandularum, cachexia, hydrope anasarca, scorbuto, scabie, lue venerea, nec minus in febre quartana, obstructionibus viscerum, immo ipsis febribus exanthematicis: Verum, fateri cogor, me in hoc passu nondum plenam encomiis fidem adhibere posse, quum justas adhuc de solubilitate ejus in ventriculo dubitandi causas habeam. Datur in pulvere a granis 6. ad 10. 12. 15. 20.

REGVLI ANTIMONIALES COMPOSITI

REGVLVS *antimonii martialis:* Rec. limaturæ martis puræ ac nondum rubiginosæ unciam unam, antimonii pulverisati uncias duas, nitri contusi unciam dimidiam, vel etiam unciam integram. Limatura ferri primum crucibulo inmittatur, ibidemque sola relinquatur, donec candeat, deinde antimonium, tandemque per vices nitrum injiciatur,

tur, &, tecto crucibulo, ita ignis augeatur, ut mixtura probe liqueſcat: Quo facto, maſſa liqueſcens abſque mora in conum fuſorium calefactum transfunditur, & regulus poſt refrigerationem a ſcoriis nigricantibus ſeparatur. Ex indicata mixturæ quantitate plerumque ſeptem reguli drachmæ prodeunt. Hic regulus, etiamſi martialis vocetur, nullum tamen ferrum continet, ſed illud ſolummodo additur antimonio, ut ſulphur ejusdem, cum quo majorem, quam regulus, affinitatem habet, ſibi jungat, adeoque ſubſtantiæ regulinæ ſeparationem adjuvet. Quod nitrum vero attinet, illud duntaxat ad fuſionem promovendam ſucceſſive inſpergitur, quanquam negari nequeat, quod illud quoque, ſub fuſione quodammodo alcaliſatum, parum ſulphuris antimonio eripiat, & in ſcorias hepaticas redigat. Quando hic regulus pulveriſatur, ac ſemel vel aliquoties cum quarta circiter nitri parte in crucibulo mundo funditur, *regulus antimonii martialis ſtellatus* inde naſcitur. Notabile quoque eſt, nitrum contuſum, pulveriſato huic regulo anatica portione additum, forti in crucibulo calcinatione ac cæmentatione in *Nitrum cauſticum*, ſive alcali fixum acerrimum transmutari, quod calcem vivam extreme uſtam acrimonia & ignea indole longe ſuperat. Quando enim, referente B. HOFFMANNO, aliquot grana hujus maſſæ, etiam frigefactæ, volæ manus imponuntur, tartarus, inſperſis aliquot guttulis aquæ, ardor oritur, ut cutem ignis adurere videatur; Sin linguæ vero particula admoveatur, eam tam vehementer combuſtionis quodam ſenſu corrodit, ut ingens inde ſequatur dolor: Immo, hujus maſſæ pulvere fonticuli celerius, quam ullo alio cauſtico, excitari poſſunt. Quo purius hoc ſal evadat, maſſa cauſtica in aqua calida ſolvenda, ſolutio filtranda, ac inſpiſſanda eſt, ut nil, niſi ſal albicans, remaneat. *Regulus antimonii jovialis:* Rec. reguli antimonii martialis unciam unam, ſtanni Anglicani uncias duas. Primo regulus pulveriſatus paullulum in crucibulo fundatur, & deinde ſtannum adjiciatur, ut debite colliqueſcant: Quo facto, maſſa fluens in conum transfunditur. *Regulus metallorum:* Eodem modo, quo jovialis, ex partibus duabus reguli antimonii martialis, & parte una ſtanni, ut & ex parte una cupri paratur; uti de hiſce ſupra pridem ſub tincturæ metallorum deſcriptione nonnulla dicta fuerunt. Cuprum ac ſtannum in hoc paſſu æque ac ferrum antimonio maximam ſulphuris partem eripiunt, quum ſulphur & ferrum, nec minus cuprum, ſtannum, plumbum atque argentum major affi-

nitas,

nitas, quam ſulphur & regulum antimoniale, intercedat.

REGVLVS antimonii martialis, ut & reliqui hactenus deſcripti compoſiti, per ſe nullum in medicina locum inveniunt, ſed aliorum duntaxat medicaminum, v. g. *antimonii martialis diaphoretici*, *antihectici Poterii*, *tincturæ metallorum*, &c., præparationi impenduntur.

CROCI MARTIALES VARII

CROCVS *martis ſulphuratus:* Rec. limaturæ martis, & ſulphuris communis pulveriſati ana quantum placet. Mixta inmittantur crucibulo, idemque inter carbones candentes collocatum, & lapide tegulari obiter tectum, tamdiu relinquatur in igne, donec ſulphur paullatina deflagratione conſumtum ſit. Si ferrum ſub prima hac cæmentatione ab acido ſulphuris accenſi nondum perfecte corroſum inveniatur, cæmentatio cum novo ſulphure repetenda eſt, donec ita reſolutum ſit, ut in pulverem tritura redigi queat, qui poſtea aqua lavandus, exſiccandus & adſervandus eſt. *Crocus martis ſaccharinus:* Rec. laminas ferreas latas ac tenues, iiſdemque, vitro latioris aperturæ, v. g. vitro conſervali, impoſitis, oleum vitrioli circumquaque illine; ſic intra breve tempus acidum vitrioli martem in ſuperficie corrodit, & crocus, vel rectius

rectius vitriolum martiale tenerius, efflorescit. Hoc abraditur, & laminis de novo oleum vitrioli illinitur, donec repetito hoc labore in ſubſtantiam vitriolicam penitus mutatæ ſint. Concretum hoc minus recte crocus dicitur, quoniam colore albicante pollet, ac verum vitriolum martiale tenerius exiſtit. *Crocus martis vitriolatus.* Hic facili negotio ex vitriolo martiali, methodo notiſſima ex limatura ferri pura & ſpiritu vitrioli parato, conficitur, quando illud in patina ferrea non vitreata, igne primum leni, poſtea auctiori, interveniente agitatione cum rudicula, tamdiu calcinatur, donec in pulverem rubicundum fatiſcat. Simili quoque methodo crocus martis, deſcripto valde analogus, ex capite mortuo, quod poſt florum ſalis ammoniaci martialium ſublimationem in cucurbitæ fundo remanet, parari poteſt. *Crocus martis antimoniatus* ſive *aperitivus Stahlii:* Rec. limaturæ martis puriſſimæ, vel etiam clavorum ferreorum uncias duas, antimonii pulveriſati uncias quatuor, ſalis tartari, aut cinerum clavellatorum depuratorum drachmas duas. Crucibulo, cui fortis ſubſternitur ignis, primum limatura martis, aut clavi ferrei immittuntur, deinde, poſtquam extreme cernuntur candere, antimonium ſuperingeritur, ut cum ferro colliqueſcat, tandemque ſal

tartari

tartari aut cineres clavellati adduntur, & ignis intenſior tamdiu admovetur, donec mixtura probe fluat: Quo viſo, in conum effunditur, & ſcoriæ a regulo ſeparantur. Scoriæ groſſiuſcule contuſæ & patinæ latioris fundi injectæ, in cella ſubterranea, aut alio loco umbroſo aëri aliquandiu exponuntur, ut in pulverem fatiſcant. Pulvis hic aqua tepida lavatur, liquor, agitatione turbidus redditus, a partibus gravioribus, fundum cito petentibus, decantatur, & labor hic, nova aquæ adfuſione, agitatione, ac decantatione peragendus, tamdiu reiteratur, donec aqua adfuſa, poſt agitationem cum ſpatula, non amplius turbida evadat, ſed limpida permaneat. Liquores decantati poſtea confunduntur, pulvis, poſt aliquam moram ſponte præcipitatus, colligitur, & debite exſiccatus cum tribus nitri partibus in crucibulo detonationi ſubjicitur, ac denuo lavatur, edulcoratur & exſiccatur. Hic crocus valde ſubtilis eſt, poteſt tamen craſſior ac rudior ex parte graviori, ſub lotura ſponte ac citius ſubſidente, parari, quando illa cum triplo nitri contuſi detonatur, edulcoratur & exſiccatur.

NOTAN-

NOTANDA
CIRCA
PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES
ET VSVM MEDICVM

I. APVD ſcriptores chemicos & pharmaceuticos ingens crocorum martialium numerus occurrit, qui natura & præparatione ab invicem diſtincti ſunt. Alii enim *reverberando*, alii *ſolvendo* ac *præcipitando*, & alii denique *calcinando* cum concretis ſulphureis, aut ſalinis acidæ, alcalicæ, urinoſæ, atque mediæ naturæ, conficiuntur: Hinc nonnulli etiam fere inſipidi deprehenduntur, nonnulli contra ſenſibiliorem ſaporem auſterum guſtus organo imprimunt. Illi meræ terræ martiales ſunt, phlogiſto ſuo, quod ipſis fuſibilitatem, ductilitatem, malleabilitatem, nitorem ac conſiſtentiam metallicam conciliat, plus minuſve ſpoliatæ, adeoque etiam eorum aliqui difficile ab acidis corroduntur, aliqui vero, præſertim illi, qui ſola violenta calcinatione & reverberatione parati fuerunt, omnem ſolutionem reſpuunt, & ideo etiam in ventriculo, licet acido largius ſit refertus, diſſolvi, & in vitriola teneriora mutari nequeunt. Poſteriores, h. e., ſenſibili ſapore ſtyptico præditi, indolem nonnihil vitriolicam, quam ipſis additamenta, ſale acido inſtructa, induxerunt, poſſident, & proinde etiam virtutem ſuam adſtrictoriam illico in lingua manifeſtant, ac quoad partem aliquam certiſſime in ventriculo ſolvuntur.

II. Diſtinctio crocorum martialium in *aperitivos* & *adſtringentes* nullius momenti eſt. *Inſipidi* enim

enim, forti reverberatione & abſque additamentis parati, adeoque principio ſuo inflammabili penitus ſpoliati, ſolutionem in liquoribus acidis debilioribus plane reſpuunt, & nullam ideo in corpore utilitatem præſtant: Inſipidi reliqui, qui nondum phlogiſton, ob præparationis diverſitatem, prorſus amiſerunt, virtute antacida pollent, &, debite tamen ab acido corrodente, largius ſubinde in prima culina adcumulato, in concreta vitriolica teneriora, vel quoad totam molem, vel quoad partem, transformati, partes ſolidas ad. & conſtringunt; & *auſteriuſculi* denique atque *auſteri*, qui pridem ſub præparatione, ob unita ſalia acida, naturam nonnihil vitriolicam ſortiti fuerunt, certiſſime poſt adſumtionem adſtringunt, & acidum in ventriculo præſens aliquantulum quoque deſtruunt. Virtus aperitiva, ceu accidentalis, ex adſtrictione fluit, & tunc demum obſervatur, quando viſcerum obſtructiones partium ſolidarum laxitati & atoniæ, eamque excipienti humorum adcumulationi, ſpiſſitudini, circulo languido, ſtagnationi ac ſtaſi præcipuam debent originem. Præſente ex adverſo forti ſolidorum contractione ſpaſmodica, croci martiales, ſive aperitivi ſive adſtringentes audiant, obſtructiones magis augent, quam minuunt, adeoque plus nocent, quam proſunt; quemadmodum hoc manifeſte obſervare licet, quando croci martiales ab imprudentibus medicis in malo hypochondriaco intempeſtive, h. e., vigentibus ſpaſmis, &c., largius præſcribuntur. Creſcit enim viſcerum infimi ventris obſtructio, motus humorum progreſſivus magis

magis ſufflaminatur, & morbus facile in hydropem, &c., degenerat.

III. Ob virtutem antacidam, adſtringentem, & inde nonnunquam reſultantem aperitivam, croci martiales, in ventriculo quodammodo ſolubiles, ſubinde in morbis, ab acido & partium ſolidarum laxitate primario oriundis, v. g. in cruditatibus ventriculi acidis, cachexia, anaſarca, œdemate pedum ac manuum, incipiente hydrope aſcite, fluore albo, fluxionibus ſeroſis ac ſanguineis præternaturalibus, diabete, malo hypochondriaco & febre quartana rebelli locum inveniunt, poſtquam in aliis plethora imminuta, in aliis vero ſpaſmi ablati, humores viſcidi reſoluti, & impuritates eductæ fuerunt. A rationali enim medico ideo duntaxat præſcribuntur ac præſcribendi ſunt, ut tonum ſolidorum leni ad- & conſtrictione reducant, & acidum quoque, largius ſubinde in prima culina adcumulatum, extinguant. Dantur a granis 8. ad 10. 15. 20.

HEPAR ANTIMONII ET CROCVS METALLORVM RVLANDI

REC. Nitri & antimonii partes anaticas, pulveriſata & mixta per vices in crucibulum candens immitte, ut detonationem ſubeant, poſteaque, finita ſcilicet detonatione, maſſam inferiorem compactiorem, atque ſplendentem, quæ hepar colore æmulatur, a ſcoriis ſepara & ſub *Hepatis antimonii* nomine adſerva. Si maſſa hæc hepatica in pulverem

ſubtilem tritura redigitur, & aqua probe edulcoratur, pulvis exſiccatus *Crocus metallorum* vocatur. Alii hepar antimonii ex partibus duabus ſalis tartari aut cinerum clavellatorum, & parte una antimonii crudi pulveriſati fuſione conficiunt, & maſſam obſcure rubentem atque priori compactiorem longe majori quantitate impetrant. Adhibita enim methodo priori, maxima mixturæ pars ſub detonatione in auras diſſipatur, & ex unciis octo nitri & antimonii vix undecim drachmæ maſſæ hepaticæ prodeunt: Sin vero, ſecundum methodum poſteriorem, duæ ſalis fixi alcalici partes cum una parte antimonii fundantur, mixtura parum amittit, & ex unciis quatuor antimonii, & unciis octo ſalis tartari decem maſſæ hepaticæ unciæ obtinentur.

PER ſe hepar antimonii ob ſummam vim emeticam nunquam ægris exhibetur, ſed aliorum duntaxat medicaminum, v. g. *tartari emetici*, *oxyſachari emetici Ludovici*, *ſulphuris antimonii aurati*, &c., præparationi impenditur.

VITRVM ANTIMONII HYACINTHINVM ET SVCCINEVM

VITRVM *antimonii Hyacinthinum* naſcitur, quando cinis antimonii, lenta in tigillo latioris fundi calcinatione, & continua, ne con-

creſcat iterum, cum rudicula agitatione ex antimonio crudo pulveriſato paratus, in crucibulo tecto forti igne funditur, & maſſa tenuiter fluens deinde in tabulam marmoream aut æneam, leniter prius calefactam, effunditur. Si tempore fuſionis pauxillum florum ſulphuris aut antimonii crudi maſſæ fluenti additur, vitrum deinde gratum colorem rubrum conſequitur. *Vitrum ſuccineum* eodem quidem modo, h. e., ſimplici ac ſolitaria fuſione præparatur, aſt, loco cineris ſeu calcis antimonii vulgaris, mercurius vitæ recipitur.

NOTANDA CIRCA PRÆPARATIONEM, NATVRAM, VIRES ET VSVM MEDICVM

I. ANTIMONIVM crudum pulveriſatum ſub lenta calcinatione in aere aperto non ferrea, ſed vitrea rudicula conſtanter agitandum eſt, ne denuo in grumos concreſcat, & grumi forſan enati tritura ad pulveris formam illico reducendi ſunt. Calcinatio quoque tamdiu protrahitur, donec antimonium in pulverem gryſeum redactum ſit, & pauxillum adhuc calidum, e patina aut tigillo lato exemtum, nullum amplius odorem ſulphureum ſpiret. Ordinario ex tribus antimonii unciis binæ calcis ſeu cineris unciæ obtinentur. Nonnulli ad præcavendam ſub calcinatione concretionem ali-

quid ſalis communis antimonio pulveriſato miſcent, & calcem poſtea aqua edulcorant. Hæc calx nihil aliud eſt, niſi pars antimonii terrea vitreſcibilis, dum ſub calcinatione non tantum ſulphur antimonii, ſed pars quoque inflammabilis reguli auffertur. Ante fuſionem in vitrum, teſte HOFFMANNO, *a* omnis vehementiæ expers eſt, ita, ut ſine vehementis operationis metu ſanis & ægris offerri queat. Acidum enim ſulphuris, ſub calcinatione quoad partem a ſubſtantia inflammabili liberatum, terræ fixæ vitreſcibili tenacius adhæret, eandemque magis figendo mitiorem reddit.

II. Vitra antimonii, ob vim draſticam, quæ ſub fuſione, ob acidum figens procul dubio iterum ablatum, redit, a medicis rationalibus nunquam per ſe in uſum vocantur, ſed *aquæ benedictæ Rulandi*, *ſapæ vomitoriæ Sylvii*, *ſyrupi*, *oxyſacchari* atque *tartari emetici*, ſimiliumque præparationi inſerviunt, vel pocula etiam aliaque vaſcula, quæ vino infuſo virtutem emeticam intra breve tempus communicant, ex iis fuſionis ope parantur.

a) In Obſ. ſæpius citat. p. 247.

SECTIO IX

DE EXTRACTIS, SVCCIS INSPISSATIS, RESINIS, ROB, GELATINIS ATQVE MVCILAGINIBVS NEC MINVS DE PVLVERIBVS COMPOSITIS, SPECIEBVS ATQVE FÆCVLIS

CAPVT I

DE EXTRACTIS, SVCCIS INSPISSATIS ROB, RESINIS, GELATINIS, ATQVE MVCILAGINIBVS

§. I

EXTRACTA vulgaria, ordinaria, & κατ' ἐξοχὴν ita dicta, ſunt ſubſtantiæ ſpiſſæ ac molliuſculæ, vel reſinoſæ, vel gummoſæ, vel gummeo-reſinoſæ, digeſtionis, coctionis & evaporationis beneficio ex plantis & plantarum partibus paratæ; adeoque etiam ſpiſſiori duntaxat conſiſtentia ab oſſentiis, tincturis, & elixiriis differunt.

§. II

IN OFFICINIS *ſimplicia* æque ac *compoſita* extracta occurrunt, quæ denuo 1. reſpectu ſaporis in *dulcia*, *ſubdulcia*, *amara*, *amaricantia*, *auſtera*, *auſteriuſcula*, *acria*, *aromatica*, *balſamica* atque *mixta*, 2. reſpectu indolis in *reſinoſa*, *gummoſa*, ac *gummeo-reſinoſa*, aut *reſinoſo-gummea*, & denique 3. reſpectu virtutis generalioris in *evacuantia* & *alterantia* dividenda ſunt.

§. III

EXTRACTA DVLCIA, v. g. extr. glycyrrhizæ, polypodii, &c., nec minus *auſtera*, v. g. extract. tormentillæ, biſtortæ, &c., ut & nonnulla *amara*, v. g. extr. rhabarbari orientalis, rad. ſcillæ marinæ, &c., ordinario natura mere gummoſa, *aromatica* vero *balſamica*, & multa pariter *acria, amara & purgantia*, v. g. extractum angelicæ, gentianæ, helenii, trifolii fibrini, pimpinellæ albæ, hb. abſinthii, ſcordii, millefolii, chamomillæ, fol. ſennæ, myrrhæ, aloes hepaticæ, rad. mechoacannæ albæ, jalappæ, ellebori nigri, ipecacoanhæ, aloes hepaticæ, &c., indole mixta, h. e. reſinoſo-gummea pollent, ita tamen, ut pars gummoſa reſinoſam quantitate longe ſuperet.

§. IV

§. IV

SVBSTANTIAM mere gummoſam menſtrua aquea, v. g. *aqua ſimplex*, *aquæ deſtillatæ*, &c., mere reſinoſam vero menſtrua inflammabilia ſpirituoſa concentrata, v. g. *ſpiritus vini rectificatiſſimus*, aliique hujus commatis ſpiritus inflammabiles, & gummeo-reſinoſam denique, ac reſinoſo-gummeam menſtrua mixta, v. g. *ſpiritus vini phlegmaticus*, *vinum*, *acetum ſimplex*, & *aqua*, *ſale quodam alcalico fixo acuata*, ſolvunt, & e conciſis, aut contuſis ſpeciebus ſucceſſive extrahunt.

§. V

EXTRACTIO apud illa ſubjecta, quæ ſimul volatilibus principiis oleoſis aut oleoſo-ſpirituoſo-balſamicis, &c., inſtructa ſunt, *ſola digeſtione in vitro clauſo*, vel *coctione in cucurbita*, alembico ſuo munita, & receptaculo inſtructa, apud alia vero, quæ nullas, vel non adeo tamen ſingulares particulas volatiles poſſident, *coctione in vaſe aperto* peragitur. Extractum liquidum poſtea per linteum aut chartam bibulam trajicitur, & leni evaporatione in vaſe aperto, primo carbonibus, deinde autem, extracto videlicet jam ſpiſſiori reddito, arenæ calidæ impoſito, vel blanda etiam in cucurbita deſtillatione ad juſtam conſiſtentiam deducitur. Monendum

tamen, extractum, in cucurbita jam ſpiſſiuſculum factum, in concham vitream effundendum, & in ea demum perfecte inſpiſſandum eſſe.

§. VI

EXTRACTA gummoſa pura, vel paucis ſaltem atque tenerioribus moleculis reſinoſis remixta, facillime, mere reſinoſa autem longe difficilius a liquore gaſtrico ſolvuntur, hinc citius etiam priora ad humores circulantes tranſeunt, & promptam operationem exercent, quæ valde tamen pro differenti atque ſpecifica eorum indole differt, & quodammodo ex virtute ſimplicium, e quibus ſeparata fuerunt, determinanda erit. *Dulcia* enim partes eroſas demulcent, meatus lubricant, acrimoniam ſalinam temperant, & ſingulare proinde in morbis pectoris auxilium ferunt; *auſtera* adſtringunt; *amara*, quæ ſapones naturales vocari merentur, abſtergunt, roborant, vermes necant, urinam & ſudorem pellunt, atque ſanguinem purificant, *aromatica* & *balſamica* eadem præſtant, ac ſimul ulcerum atque vulnerum conſolidationem promovent, & alia denique alias virtutes, ex ſimplicium viribus, uti dictum, dijudicandas, & ex parte etiam in ſequentibus ſub quorundam deſcriptione ſpecialiſſima recenſendas, poſſident. §. VII

§. VII

AD EXTRACTA, tanquam ſpecies, etiam *Succi inſpiſſati*, *Rob*, *Sapæ*, *Reſinæ* ſtricte ſic dictæ, *Mucilagines* ac *Gelatinæ*, referuntur. *Succi inſpiſſati* expreſſione & coctione parantur. Ex ſubjectis ſucculentis enim, v. g. berberibus, ceraſis, moris, baccis ſambuci & ebuli recentibus, &c., ſuccus, citra præviam coctionem, exprimitur, &, colatione depuratus, coquendo ad juſtam redigitur conſiſtentiam: Minus ſucculenta autem, vel integra, uti pruna ſylveſtria, vel conſciſa aliquantulum, aut groſſiuſcule contuſa, uti baccæ juniperi, &c., cum aqua prius ad mollitiem coquuntur, & ſuccus pulpoſus deinde, poſt expreſſionem per ſataceum & percolationem, inſpiſſatur. Si dimidia duntaxat liquoris expreſſi portio coquendo & evaporando conſumitur, remanens pars ſemiliquida *Sapæ* nomen obtinet; ſin vero ad tantum ſpiſſitudinis gradum coctione & evaporatione redactus fuerit, ut ſyrupum conſiſtentia notabiliter ſuperet, *Rob* ſive *Robob* vocatur. Subinde, quod adhuc addendum eſt, ſuccis inſpiſſandis, uti hoc fieri ſolet ſub præparatione Rob mororum, atque nucum, mel deſpumatum aut ſacharum certa quantitate additur, ut ſuccus inſpiſſandus eo

citius

citius juſtam conſiſtentiam & gratiorem quoque ſaporem adquirat.

§. VIII

RESINÆ *ſtricte ita dictæ* neutiquam natura, ſed externo ſaltem habitu, & quodammodo etiam præparatione, ab extractis reſinoſis ordinariis differunt. Duriuſcula enim, ſicca, fragilia, & nonnihil ſplendentia concreta ſiſtunt, & poſt extractionem a menſtruo ſpirituoſo inflammabili non evaporatione, ſed præcipitatione, aqua ſimplici frigida largius adfuſa peragenda, ſeparantur. Copioſa quippe aqua frigida, tepidæ ſolutioni infuſa, menſtruum inflammabile adeo debilitatur, ut partes reſinoſas ſolutas, quæ ſub filorum albicantium forma deſcendunt, ad fundum dimittere cogatur, ubi deinde in maſſam compactiorem, flaveſcentem, aut brunnam concreſcunt, quæ, decantato liquore, eximitur, ac debite exſiccatur.

§. IX

DE GELATINIS & extractis gummoſis magis lubricis & unguinoſis, ſeu *Mucilaginibus proprie talibus* in genere nil ſingulare reſtat dicendum. Illæ enim ex raſuris oſſium, cornuum, dentium atque ungularum; hæ autem, mucilagines ſcilicet, ex plantarum partibus, ſubdulci, temperata, lubrica, ſubſtantia mucida prægnantibus, v. g. ex radice altheæ, liliorum alborum, ſymphyti, ſemine pſyllii, cydoniorum, hordeo mundo & ſimilibus, coctione vel digeſtione cum aqua, extrahuntur, & plerumque ad tremulam duntaxat conſiſtentiam inſpiſſando deducuntur. Ob indolem temperatiſſimam virtute demulcente, lubricante, humectante, emolliente, ac temperante pollent.

EXTRACTA DIVERSI GENERIS VSITATIORA

Extractum abſinthii.
- *ſcordii.*
- *cardui benedicti.*
- *herb. trifolii fibrini.*
- *ſummitatum fumariæ.*
- *centaurii minoris.*
- *rad. gentianæ rubræ.*
- - *diptamni albi.*
- - *enulæ.*
- - *pimpinellæ albæ.*
- - *ſcorzoneræ.*
- - *angelicæ.*
- *herb. meliſſæ.*
- *flor. chamomillæ.*
- - *millefolii.*
- *croci.*
- *opii.*
- *myrrhæ.*
- *rad. tormentillæ.*
- - *biſtortæ.*
- - *glycyrrhizæ.*
- *ligni Guajaci.*

Extractum gum. aloes.
- *foliorum ſennæ.*
- *rhabarbari.*
- *catholicum.*
- *panchymagogum.*
- *cholagogum.*
- *ſolutivum.*
- *diacarthami comp.*
- *epilepticum.*
- *theriacale.*
- *ſpecierum arom. roſat.*

Rob ſambuci.
- *ebuli.*
- *baccarum juniperi.*
- *ceraſorum.*
- *ribium.*
- *mororum.*

Miva cydoniorum ſimplex.
Fermentum anodynum.
Reſina jalappæ.
- *ſcammonii.*
- *ligni Guajaci.*

EXTRA-

EXTRACTVM ABSINTHII

REC. Summitatum abſinthii, in umbra ſiccatarum, libram unam, conciſis & conquaſſatis in vaſe vitreo libras quatuor aquæ deſtillatæ abſinthii, cui ſalis tartari uncia una addita fuit, adfunde, per octiduum in loco calido digere, & liquorem, inde expreſſum ac percolatione depuratum, igne lento ad juſtam extracti conſiſtentiam coquendo redige. Purius pro mea ſententia fit, & nativam, quam in planta habebat, indolem magis retinet, quando, omiſſa ſalis alcalici additione, herbæ ſiccatæ libræ ſolummodo aquæ fontanæ libræ quatuor & vini Gallici ordinarii, aut Rhenani unciæ quatuor adfunduntur, & coctio poſt viginti quatuor horarum digeſtionem in cucurbita vitrea, alembico munita ac recipiente inſtructa, liquoris vero poſtea expreſſi atque percolati evaporatio in olla aut concha vitrea aperta inſtituitur. Curandum tamen, ut in fine ignis admoveatur leniſſimus, ne, adhibito majori gradu, extractum, jam ſpiſſiuſculum factum, empyrevma contrahat. Eadem obſervata methodo, etiam *extracta ſcordii*, *cardui benedicti*, *trifolii fibrini*, *ſummitatum fumariæ*, *centaurii minoris*, *rad. gentianæ rubræ*, *diptamni albi*, *enulæ*, *pimpinellæ albæ*, *ſcorzoneræ*,

neræ, *angelicæ*, *leviſtici*, *imperatoriæ*, *mei*, *herbæ meliſſæ*, *millefolii*, *chamomillæ ſimplicis & Romanæ*, &c., parantur. Nonnulli quidem extractum radicis angelicæ, & extracta balſamica & aromatica reliqua partim ſpiritu vini tartariſato, partim aqua conficere, & ſpeciebus conciſis primo ſpiritum vini tartariſatum, deinde vero, peracta prius digeſtione, & ſolutione reſinoſo-ſpirituoſa decantata, aquam ſuperfundere, & poſteriorem hanc ſolutionem magis gummoſam cum priori poſtea miſcere, & utramque conjunctim ad extracti conſiſtentiam evaporando redigere jubent: Attamen, pro meo judicio, operoſius hoc negotium minus videtur neceſſarium, quum aqua ſimplex, vino generoſo modice remixta, uno actu, præſertim ſi coctio accedat, ſubſtantiam gummoſam, & reſinoſam teneriorem, relicta craſſiori, quæ, ob indolem calidiorem, deterior æſtimatur, ſolvat, & extrahat. Facile tamen hanc methodum admittere poſſum, ſi quis omnem ſubſtantiam ſolubilem ſeparare, & extractum valde ſimul reſinoſum parare intendat.

EXTRACTVM abſinthii non minus, quam reliqua omnia, hoc loco recenſita, in forma pillulari, a granis quinque ad 10. 20. imo 30., exhibentur, vel bolos & electuaria ingrediuntur,

tur, vel ex iis etiam cum liquoris terræ foliatæ tartari, cum vino parati, ſufficienti quantitate, tincturæ magnarum virium, extemporanea miſcela & ſolutione conficiuntur, quæ a guttis 20. ad 40. 50. 60. propinantur, excepta tinctura extracti pimpinellæ albæ, cujus doſis, ob eminentem acredinem, ultra guttas 40. non facile adſcendit. Virtutes, quibus pollent, multæ ac variæ ſunt, & ab iis, qui ſimplicium vires in materia medica probe cognoverunt, ſine difficultate determinari poſſunt. *Amara* enim, uti extr: abſinthii, ſcordii, cardui benedicti, fumariæ, centaurii minoris, rad. gentianæ rubræ, diptamni albi, trifolii fibrini, atque enulæ, ceu ſubſtantiæ ſaponaceæ, valide mucoſitates primarum viarum, aliorumque meatuum abſtergunt, atque attenuant, ventriculum ac viſcera reliqua egregie roborant, digeſtionem promovent, inertiam bilis corrigunt, vermes necant, cruditates putridas deſtruunt, viſcera obſtructa aperiunt, urinam atque ſudorem pellunt, calorem ſanguinis augent, humores purificant ac fluiditatem ipſis majorem conciliant, adeoque etiam in adpetitu proſtrato, dyſpepſia, febribus intermittentibus, præſertim quotidiana & quartana, nec minus in ictero chronico cachectico, diarrhœis diuturnis, lienteria, cœliaca, vermibus, obſtructione heparis, lienis, glandularum meſeraicarum, ſuppreſſione urinæ, menſium, lochiorum, & hæmorrhoidum, cachexia, anaſarca, oedemate pedum, aſthmate pituitoſo, ſcorbuto, obſtructione glandularum, adfectibus ſcabioſis ac frigidis rhevmaticis, ulceribus, vulneribus, ac multis adfectibus aliis, qui ſolidorum atoniæ, atque humorum impuritati & lentori primariam debent originem, validum atque egregium, ſi rite ac tempeſtive adhibeantur, auxilium præſtant. Extracta *balſamica*, v. g. rad. angelicæ, leviſtici, mei, imperatoriæ, herbæ meliſſæ, flor. chamomillæ ſimplicis & Romanæ, millefolii, &c., quoad vires cum præcedentibus maxima quidem ex parte conveniunt, majori tamen virtute nervina, diſcutiente, carminativa, pectorali & uterina pollent, & cum fructu proinde inſigniori in vertigine, debilitate capitis, epilepſia, paralyſi, apoplexia, adfectibus oculorum, aurium, dentium atque pectoris mucidopituitoſis, nec minus in cardialgia, colica, paſſione hypochondriaca & hyſterica, febribus catarrhalibus, &c., adhiberi poſſunt. Extractum *pimpinellæ albæ* ſolida fortius ſtimulat, & mucum potenter diſſolvit; hinc in coryza chronica, adfectibus atque febribus catarrhalibus, obſtructione glandularum, aſthmate pituitoſo, catarrho ſuffocativo, cachexia, dyſuria, calculo, & nephritide pituitoſo-ſabuloſa, &c., præ reliquis commendari meretur. Extractum *ſcorzoneræ* denique inter diaphoretica, bezoardica, & ſanguinem purificantia ſibi locum vindicat.

EXTRACTVM CROCI

SVBSTANTIA activa in croco tam ſingularis indolis eſt, ut tota ſpiritu vini rectificatiſſimo, & tota pariter, uti alibi pridem

dictum fuit, aqua ſimplici ſolvi & a fibris inertibus ſeparari queat. Extractum aquoſum, ob mitiorem indolem, a pleriſque ſpirituoſo præfertur, at optimum, pro meo judicio cenſendum erit, quod cum ſpiritu vini, parum ſaltem rectificato, adeoque ſatis adhuc phlegmatico, paratum, & leni menſtrui, ſeu ſpiritus vini crocati in cucurbita abſtractione ad conſiſtentiam, melle non nihil ſpiſſiorem, redactum fuit. Sub perfecta enim inſpiſſatione partes volatiles balſamicæ, quibus maxima tamen virtus in acceptis ferenda eſt, adeo aufferuntur, ut maſſa relicta in operando valde debilis inveniatur.

QVOAD vires medicas cum tinctura convenit, præterquam, quod virtutem nervinam, anodynam, hypnoticam, pectoralem & uterinam remiſſiorem poſſideat. Specifice in ſuppreſſione menſium, lochiorum, partu difficili, ſecundinis retentis, &c., nec minus, eductis tamen prius impuritatibus, in dyſenteria, diarrhoea, fluore albo, &c., commendatur: Seroſas enim & ſanguineo-ſeroſas fluxiones præternaturales diſcutiendo ac roborando cohibet, mere ſanguineas ex adverſo atque naturales excretiones commovendo promovet. Pillulis ad grana duo, tria, quatuor, quinque additur, vel etiam, ſi adhuc ſemiliquidum exiſtat, a guttis 5. ad 10., tincturæ inſtar, propinatur.

EXTRA-

EXTRACTVM OPII

OPTIME cum ſola aqua ſimplici paratur, quando nimirum opium Thebaicum, in fruſtula minora diſſectum, cum ſufficienti ejusdem quantitate in olla, quoad dimidiam ſaltem partem replenda, ſub camino, aut in aere libero tamdiu coquitur, donec penitus ſolutum ſit, nec ulla amplius materia ſpumida venenata, quæ per vices cochleari auffertur, ad ſuperficiem adſurgat, & ſolutio calida, ſemel vel aliquoties per linteum trajecta, ad juſtam deinde extracti conſiſtentiam evaporando in concha vitrea deducitur.

EX PARTIBVS opii gummoſis & tenerioribus reſinoſis conſtat, & longe mitiorem ac tutiorem proinde operationem, quam opium crudum, & ex eodem cum ſpiritu vini rectificatiſſimo parata eſſentia, præſtat. Ingreditur pillulas, a grano dimidio ad gr. 1. 2. 3. 4., immo quarta, aut octava grani pars nonnunquam pro una doſi apud adultos ſufficit. Convenit quoad uſum ſpecialiorem cum tinctura, & inter præcipua hypnotica, anodyna & fluxiones ſiſtentia locum invenit. Caute tamen cum uſu ejus mercandum erit, ne, juſto majori doſi oblatum, pernicioſam narcoſin inducat, aut neceſſarias materiæ ſuperfluæ, inutilis ac virulentæ excretiones, ſi intempeſtive uſurpetur, cohibeat.

EXTRACTVM MYRRHÆ

TRIPLEX extractum, nimirum, adhibita ſola aqua, *mere gummoſum*, adhibito ſpiritu vini dephlegmatiſſimo, *mere reſinoſum*, & adfuſo denique ſpiritu vini parum ſaltem rectificato, *gummeo-reſinoſum* ex myrrha rubra electa & groſſiuſcule contuſa parari poteſt: Nulla tamen ſub mere gummoſæ ſubſtantiæ extractione coctio accedere debet, ne ſimul partes quædam reſinoſæ, violentiori aquæ ebullientis motu avulſæ, gummoſis immiſceantur. Poſt digeſtionem & perfectam ſubſtantiæ ſolubilis extractionem infuſum mere gummoſum, coctione & evaporatione in vaſe aperto, ſolutio mere reſinoſa & gummeo-reſinoſa autem, blanda in cucurbita vitrea deſtillatione, inſpiſſatur, ut ſpiritus vini myrrhatus hac ratione ſimul colligi queat.

EXTRACTVM myrrhæ mere reſinoſum longe calidioris indolis eſt, quam mere gummoſum, & hoc proinde priori, ob mitiorem operationem, præferri meretur. Pertinet utrumque, maxime autem gummoſum, ad præſtantiſſima roborantia, antiputredinoſa, ſtomachalia, pectoralia, uterina, & travmatica, & pilulis additum, in adfectibus ſcabioſis benignis atque malignis, ulceribus putridis ac rebellibus, cachexia, digeſtione vitioſa, vermibus,

bus, morbis pectoris pituitoſis, fluore albo, ſuppreſſione menſium chronica, &c., perſæpe inſigne præſtat auxilium. Gummoſum ſubinde etiam in liquore terræ foliatæ tartari vinoſo ſolvitur. Reſinoſum datur a granis 3. ad 10., gummoſum vero a granis 5. ad 10. 15., & gummeo-reſinoſum denique a granis 3. ad 10. 12.

EXTRACTVM LIGNI GVAJACI

LIGNVM Guajacum bonæ notæ copioſis partibus reſinoſis atque gummoſis inſtructum eſt, adeoque efficaciſſimum etiam inde obtinetur extractum, quando raſura ejus cum ſufficienti aquæ ſimplicis quantitate ad tempus coquitur, & ſolutio decantata ac percolata poſtea in vaſe aperto debite inſpiſſatur. Aqua ebulliens enim non tantum partes gummoſas ſolvit, ſed avulſas quoque reſinoſas teneriores recipit, ut ideo, peracta evaporatione, extractum reſinoſo-gummeum, quod mere reſinoſum virtute incidente, reſolvente & abſtergente longe ſuperat, relinquatur.

EXTRACTVM hoc, a granis 10. ad integrum ſcrupulum in forma pillulari exhibitum, humores viſcidos, mucidos, coagulatos potentiſſime reſolvit, partes ſolidas ad vegetiores contractiones ſtimulando incitat, & ideo in morbis catarrhalibus, obſtructione viſcerum ac glandularum, maxime autem in lue venerea opem fert egregiam. Si penitus exſiccatum,

& in tenuem pulverem redactum, naribus attrahitur, incidendo ac ſtimulando potentiſſimi errhini vice perfungitur, & largam pituitæ excretionem provocat. Simili modo etiam *extractum radicis glycyrrhizæ*, *tormentillæ*, atque *biſtortæ* paratur, præterquam, quod decoctum radicis tormentillæ in cucurbita deſtillando inſpiſſetur, ut ſic uno quaſi actu extractum ejus & aquam deſtillatam, odoratis ac volatilibus quibusdam partibus imprægnatam, obtineamus. Memoratæ radices nihil fere principii gummoſi continent, & extracta ea propter mere gummoſa ſunt. Extracta biſtortæ & tormentillæ valde adſtringunt, & ſubinde, pillulis a granis 3. ad 10. 12. addita, in morbis, quæ ſtyptica poſtulant, exhibentur. Extractum glycyrrhizæ partes ſolidas eroſas egregie demulcet, humores acres temperat, expectorationem promovet, & frequentiſſime in raucedine, aſperitate faucium, tuſſi acri, &c., ſub pillulari pariter forma, vel etiam in calido infuſo theiformi ſolutum, a ſcrupulo dimidio ad drachmam integram, ægris porrigitur.

EXTRACTVM GVMMI ALOES

ALOE *Soccotrina*, quæ optima cenſetur, & *Hepatica* ex reſinoſis æque ac gummoſis partibus conſtat. Solutio enim unius unciæ aloes hepaticæ, cum aqua ſimplici digeſtæ, poſt filtrationem per chartam bibulam, ac debitam deinde lenemque evaporationem inſpiſſata,

ſpiſſata, unciam dimidiam & ſcrupulum circiter unum extracti gummoſi largitur, & ex reſiduo, ſiccato, ſi ſpiritus vini rectificatiſſimus eidem adfundatur, adhuc drachmæ tres ſubſtantiæ reſinoſæ, digeſtionis beneficio, extrahuntur, ut ideo duo tantum terræ inertis ſcrupuli remaneant. Præſtantius aloes extractum judicatur, quod cum ſucco citri, aut aceto deſtillato, vel aquoſa etiam cremoris tartari ſolutione, quæ menſtrua partes ſolutas gummoſas & teneriores reſinoſas nonnihil figunt ac temperatiores reddunt, paratum fuit; præſertim, ſi leniſſima duntaxat digeſtio ſub extractione acceſſerit.

EXTRACTVM mere reſinoſum humores, ob indolem valde calidam, nimium commovet, & facile proinde, præprimis apud ſubjecta plethorica, bilioſa, & cholerico-ſanguinea, vehementes ebullitiones ſanguinis, intempeſtiva molimina hæmorrhoidalia, quin hæmorrhagias exorbitantes excitat: Longe mitius, atque ſecurius gummoſum deprehenditur, & reſinoſo-gummeum denique, cum ſucco citri aliiſque liquoribus aquoſo-acidulis paratum, medium in hoc paſſu locum obtinet; unde etiam hoc & mere gummoſum mere reſinoſo utique præferri merentur, quippe quæ alvum blande laxant, bilem viſcidam atque inertem corrigunt, ventriculum roborant, vermes necant,

cant, ſanguinem purificant, & fluxum catameniorum, lochiorum, atque hæmorrhoidum leniter promovent. Dantur in pillulis a granis 5. ad 10. 15., & gummoſum quoque clyſteribus abſtergentibus modica quantitate additur.

EXTRACTVM FOLIORVM SENNÆ

FOLIA Sennæ Alexandrinæ æque quidem, ac aloe hepatica, partibus reſinoſis & gummoſis inſtructa ſunt, & unciæ eorum tres, ſi a ſtipitibus debite repurgata fuerint, circiter unciam unam & ſcrupulos quatuor ſubſtantiæ gummoſæ, & drachmam unam cum ſcrupulis duabus ſubſtantiæ reſinoſæ ſuppeditant; verum, cum pars reſinoſa inteſtinorum tunicis tenacius adhæreat, & graviora tormina provocet, extractum ordinario ſola tantum aqua, digeſtionis & evaporationis beneficio, paratur. Vulgo etiam folia, poſt extractionem reiteratam, & expreſſionem reſidua, ſiccantur, calcinantur, & ſal inde extractum inſpiſſando infuſo gummoſo miſcetur; at ultimus hic labor, me ſentiente, ſuperfluus eſt, cum additum ſal alcalinum extracto vires præſtantiores conciliare nequeat.

EXTRACTVM hoc, intuitu virium purgantium, ſimplici foliorum decocto multo debilius

lius eſt, quoniam ſub diuturniori evaporatione multæ partes volatiles, & cum hiſce multæ quoque vires, pereunt. Datur, laxandi fine, a granis 10. ad 15. 20. 30., & ſubinde etiam, incidendi, reſolvendi & abſtergendi fine, aliis medicamentis, ſub pillulari forma exhibendis, ad aliquot grana additur.

EXTRACTVM RHABARBARI

PRINCIPIVM rhabarbari orientalis maxima ex parte gummoſum eſt, et tam exigua reſinæ portio eidem inhæret, ut nulla ejus ratio medica habenda ſit. Extrahitur itaque ſubſtantia activa ſola aqua ſimplici, & quidem blandæ digeſtionis beneficio in vaſe clauſo, ne partes volatiles, quibus virtus cathartica præcipue in acceptis ferenda eſt, nimium diſſipentur in auras: Ipſa quoque evaporatio melius in cucurbita, alembico inſtructa, quam in vaſe aperto, peragitur. Vncia una rhabarbari electi plerumque unciam dimidiam extracti gummoſi ſuppeditat, & quicquid poſt plenariam extractionem remanet, corpus iners ac mere terreum eſt.

EST laxans mitiſſimum, & ipſa radice, in pulvere aut infuſo exhibita, in operando, ob multarum partium volatilium jacturam, longe adhuc debilius. Datur, in liquore terræ foliatæ tartari ſolutum, vel ſub forma pillulari, a granis 15. ad drachmam dimidiam.

EXTRACTVM CATHOLICVM

IN PHARMACOPOEA *Auguſtana renovata* hujus extracti præparatio ita deſcribitur: Rec. colocynthidis drachmas ſex, agarici optimi, ſcammonii, hellebori nigri ana unciam ſemiſſem, aloes electæ unciam unam. Macerentur per triduum in ſufficienti quantitate ſpiritus vini, poſtea infuſum decantetur, &, expreſſo reſiduo, liquor in cucurbita abſtrahatur, ut partes gummeo-reſinoſæ, in fundo remanentes, juſtam extracti conſiſtentiam adquirant. Quo facto, eidem nondum refrigerato ſpiritus evocati pauxillum addatur ac probe agitetur, ut partes gummoſæ cum reſinoſis debite uniantur. In *Diſpenſatorio Brandenburgico* præparatio occurrit, quoad nonnulla a præcedente diſtincta, quæ ſeſe ita habet: Rec. aloes Soccotrinæ puriſſimæ unciam unam, agarici optimæ notæ, radicum hellebori nigri, jalappæ, ſcammonii electi ana unciam dimidiam, pulpæ colocynthidis albæ drachmas ſex. Pulveriſatis ſpiritus vini tartariſatus ad eminentiam quatuor digitorum adfundatur, digerantur per triduum, & infuſum deinde, præmiſſa colatione & reſidui expreſſione, evaporando ad mellis ſpiſſioris conſiſtentiam redigatur, eidemque ſachari albiſſimi pulveriſati, olei deſtillati cinnamomi, caryophyllorum ana guttis

guttis ſex, & olei aniſi guttis decem irrorati, uncia una addatur, & cum illo exacte miſceatur.

EXTRACTVM catholicum Diſpenſatorii Brandenburgici, ob addita olea carminativa, præcedenti, in Pharmacopœa Auguſtana deſcripto, quod THEOPHRASTI PARACELSI inventum exiſtit, & quondam etiam *extractum* RVDII dictum fuit, a pleriſque præfertur; utrumque nihilominus ad purgantia panchymagoga pertinet, & impuritates cujuscunque generis ſatis valide educit, præſertim, ſi aliquot mercurii dulcis grana addantur. Exhibetur in forma pillulari apud adultos a ſcrupulo uno ad grana 25.

EXTRACTVM PANCHYMAGOGVM

REC. Agarici optimæ notæ, recens trochiſcati, diagrydii, jalappæ, rhabarbari electi, turbith albi & gummoſi, ſeminis carthami decorticati ana unciam dimidiam, fibrarum radicum hellebori nigri, foliorum ſennæ, a ſtipitibus mundatorum, ana unciam unam, pulpæ colocynthidis veteris, ab arillis & granis purgatæ, drachmas ſex, cinnamomi acuti drachmam unam, cardamomi, caryophyllorum ana drahmam ſemiſſem, croci, ſpicæ Indicæ, ligni aloes ana ſcrupulum unum, maſtiches drachmam dimidiam. Groſſiuſcule contuſis ſpiritus vini rectificatus ad trium digito-

digitorum eminentiam, adfundatur, &, absoluta quatuordecim dierum digestione, liquor partim decantatus, partim expressus ac colatura depuratus, adservetur. Deinde residuo aquæ rosarum, cardui benedicti, fumariæ, betonicæ, salis tartari puriſſimi drachmis sex impregnatæ, ana, quantum sufficit, superfundatur, &, digestione iterum igne fervente balnei per biduum protracta, liquor, post decantationem, expressionem, atque colaturam, cum infuso priori misceatur, ac, spiritu prius e cucurbita destillando evocato, liquidum superstes in vase aperto leni evaporatione ad justam extracti consistentiam deducatur.

PARVM ab extracto catholico distinctum est, & inter satis activa pariter ac tuta cathartica militat. Datur adultis, vel sub forma pilulari, vel cum liquore terræ foliatæ tartari vinoso in tincturam extemporanea solutione redactum, a granis quindecim ad grana 18. 20. 24. Monendum tamen, hoc extractum, ut & præcedens catholicum, in laudato liquore tartati solutum, fortiorem exercere operationem, quam sub forma pillulari oblatum, & ideo etiam in casu priori paullo minori dosi præscribendum esse. Nam sal neutrum tenerrimum non tantum per se abstergit ac stimulat, sed substantiæ quoque gummeo-resinosæ resolutionem ulteriorem in ventriculo adjuvat.

EXTRA-

EXTRACTVM CHOLAGOGVM QVERCETANI

REC. Rhabarbari uncias sex, folliculorum, seu potius foliorum sennæ, a stipitibus purgatorum, uncias quatuor, cinnamomi acuti, santali citrini, spicæ nardi ana unciam semissem, trochiscorum de berberibus uncias duas. Subtilissime pulverisatis adfunde succum rosarum pallidarum probe depuratum, ad trium digitorum eminentiam, digere per triduum, exprime torculari, & liquori, ad melleam consistentiam inspissato, anaticam extracti aloes aquosi quantitatem, ut & extracti scammonii, spiritu vini parati, unciam unam adde, ac singula probe misce.

VVLGO quidem extractis purgantibus minus usualibus adnumeratur, blandam nihilominus, a granis 15. ad 20. 30. sub forma pillulari exhibitum, operationem exercet.

EXTRACTVM SOLVTIVVM

REC. Foliorum sennæ Alexandrinæ electorum, rhabarbari orientalis optimi ana uncias tres, cinnamomi acuti, seminis anisi ana drachmam unam, tartari tartarisati drachmam unam cum semisse. In pulverem subtilem redacta cum aquæ endiviæ libra una, per diem & noctem, moderato arenæ calore, digerantur, & liquor, citra expressionem decantatus ac percolatus, ad extracti consistentiam evaporetur.

A SCRV-

A SCRVPVLO uno ad drachmam dimidiam, immo integram, oblatum, blande alvum movet, ac nulla tormina vehementiora, quæ nonnulli tamen ab eo metuunt, provocat, nisi sub digestione ignis fortior, & post eandem specierum expressio forsan accesserint. Tormina enim solummodo a partibus foliorum sennæ resinosis, sub fortiori digestione ac specierum expressione simul separatis, ac tenacius postea intestinorum tunicæ adhærentibus, derivanda sunt.

EXTRACTVM DIACARTHAMI COMPOSITVM

REC. Seminis carthami decorticati, foliorum sennæ, a stipitibus purgatorum, turbith gummosi albi ana unciam unam cum dimidia, rhabarbari optimi unciam unam, agarici recens trochiscati drachmas sex, scammonii optimi drachmas quinque, mannæ electæ uncias duas cum semisse, myrobalanorum, chebularum uncias tres, polypodii quercini uncias duas, zingiberis albi drachmas duas. Concisis atque contusis spiritus vini ad quinque digitorum eminentiam adfundatur, liquor tinctus, post quatuor dierum digestionem, decantetur, residuum exprimatur, & liquida, commixta ac colatura depurata, destillando ad extracti mellei consistentiam redigantur.

EXTRA-

EXTRACTVM hoc, quod etiam *Cnicopharmacum* vocatur, panchymagogis adnumeratur, & cachecticis atque hydropicis specifice prodesse creditur, præsertim, si eidem fortiora addantur. Plerumque aqua quadam destillata diluitur, vel cum syrupo rosaceo, violaceo solutivo, &c., miscetur, & a drachma dimidia ad integram exhibetur.

EXTRACTVM EPILEPTICVM

REC. Radicum angelicæ, pœoniæ, pyrethri ana unciam unam, foliorum majoranæ cum summitatibus manipulum unum, rutæ, scordii, ana manipulum semissem, florum lavendulæ, liliorum convallium, pœoniæ, rorismarini, stœchadis Arabicæ ana unciam dimidiam, ligni sancti, visci corylini, tiliacei aut quercini ana unciam dimidiam, rasuræ cornu alcis, cervi, cranii humani ana unciam semissem, castorei recentis drachmam unam cum dimidia, specierum diamoschi dulcis unciam dimidiam. Concisis atque contusis adfunde vinum Rhenanum aut Gallicum, ad quatuor digitorum eminentiam, digere per aliquot dies vase probe clauso, postea, spiritu decantato, residuum exprime, & liquores mixtos atque filtratos destillando ad mellis spissitudinem redige.

VARIA,

VARIA, v. g. radix pœoniæ, viſcus corylinus ac tiliaceus, itemque raſura cornu cervi, alcis, cranii humani hanc formulam ingrediuntur, quibus, ceu mere gummoſis, ac terreo-gelatinoſis, vinum, ſi generoſioris indolis ſit, non adeo multum ſub blanda digeſtione eripere valet, & extractum hoc nullius plane pretii futurum eſſet, niſi partes activæ reſinoſæ, ac gummeo-reſinoſo-oleoſæ e reliquis ſpeciebus in menſtruum tranſirent, & extracto huic virtutem nervinam, atque diſcutientem conciliarent. Laudatur in epilepſia, aliisque convulſionibus, a ſolidorum laxitate, & humorum ſpiſſitudine ac mucida dyſcraſia primario oriundis. Additur bolis ac pillulis, vel in vino ſolutum, a ſcrupulo uno ad drachmam integram, exhibetur.

EXTRACTVM THERIACALE

REC. Theriacæ Andromachi quantum placet, adfunde ſpiritum vini nondum rectificatum, ad aliquot digitorum eminentiam, digere per triduum, decantato ſpiritu tincto, reſiduum exprime, & liquores mixtos deſtillando ad juſtam extracti conſiſtentiam redige.

EX partibus gummoſis ac reſinoſis conſtat, & viribus diaphoreticis, bezoardicis, antiarrhalibus, carminativis atque pectoralibus pollet. Datur per ſe in forma pillulari a granis 5. ad 10. 15. 20. 25., vel ſubinde etiam potiunculis, aliiſque mixturis diffuſioribus, doſi refracta, additur.

EXTRACTVM SPECIERVM AROMATICARVM ROSATARVM

SPECIEBVS aromaticis roſatis, alibi deſcribendis, primo ſufficiens ſpiritus vini tartariſati quantitas adfunditur, infuſum digeritur, & liquor tinctus, poſt reſidui expreſſionem, filtratur, deinde etiam pars gummoſa, adfuſa aqua ſimplici, extrahitur, in auxilium tamen vocata leni coctione, & ſolutiones aquoſæ tandem ac ſpirituoſæ miſcentur, ac leni igne, partim in cucurbita, alembico ſuo munita, partim etiam, abſtracto ſcilicet liquore ſpirituoſo, in vaſe aperto ad juſtam extracti ſpiſſitudinem deducuntur.

VIRTVTEM roborantem, ſtomachalem & cephalicam poſſidet, & a ſcrupulo dimidio ad integrum, & ultra, exhibetur.

ROB SAMBVCI

FACILI negotio paratur, quando ſuccus baccarum ſambuci maturarum expreſſus, igne moderato, & ſub continua in principio agitatione cum ſpatula, ne empyreuma contrahat, coquendo ad juſtam conſiſtentiam redigitur. Simili modo etiam *Rob berberum*, *ceraſorum*, *ribium* atque *baccarum ebuli* paratur.

ROB *ſambucinum* vulgare & domeſticum præbet medicamentum diaphoreticum, & ſub-

inde etiam laxans. Ingreditur electuaria atque bolos, vel per se, a drachma una ad unciam dimidiam, & ultra, in aceto aut infuso theiformi adsumitur. *Rob berberum* leniter adstringit, & ideo in fluxionibus alvinis aliisque subinde locum invenit. *Rob ceraſorum*, ob gratiorem purioremque aciditatem, temperat, & sæpius, præsente siti nimia & orgastica sanguinis expansione, exhibetur. Cum hoc etiam perfecte convenit *Rob ribium*. Quod vero *Rob baccarum ebuli* attinet, illud rob sambucino quoad vires simillimum deprehenditur, præterquam, quod alvum paulo validius moveat. Ingrediuntur electuaria & bolos, vel per se in infuso quodam theiformi propinantur, vel potiunculis etiam miscentur.

ROB MORORVM

DVPLEX prostat, nimirum *rob mororum cum melle*, & *rob mororum cum sacharo*. Prius ita paratur: Rec. succi mororum nondum penitus maturorum expressi, & partium faeculentarum subsidentia depurati, libras quinque, mellis virginei despumati libram unam. Mixta in cacabo terreo vitreato ad justam consistentiam coquendo redigantur. Posterioris præparatio parum distincta est, &, loco mellis, quatuor succi mororum depurati libris solummodo sachari albi purissimi libræ duæ adduntur, ac postea cum eo ad Rob consistentiam coquuntur. Descripto modo etiam

etiam ex libris duabus succi, e corticibus viridibus nucum juglandium, diebus canicularibus expressi, & per residentiam depurati, cum mellis despumati libra una *Rob nucum*, & ex partibus duabus pulpæ, e prunis sylvestribus maturis, ad mollitiem coctis, expressæ, cum parte una sachari *Rob acaciæ nostratis* paratur.

ROB MORORVM, sive cum melle, sive cum sacharo paratum fuerit, vires refrigerantes ac demulcentes possidet, & gratiæ causa nonsolum potiunculis temperantibus, interne usurpandis, sed etiam gargarismatibus additur, & per se quoque in inflammatione oris illinitur. *Rob acaciæ nostratis* subinde bolis & electuariis adstringentibus miscetur, & *rob nucum* denique quoad virtutem cum rob mororum convenit, nisi quod remissioribus refrigerandi viribus gaudeat.

ROB JVNIPERINVM

REC. Baccarum juniperi maturarum ac recentium conquassatarum quantum placet, macera illas in aqua simplici, donec mollescant, tum per setaceum cola, & succum, post lenem baccarum expressionem, calore moderato ad justam rob consistentiam redige. Citra olei ætherei dispendium hoc rob obtinetur, quando octo baccarum succulentiorum libræ, cum duodecim aquæ libris per

aliquot dies in loco calido maceratæ, deſtillationi in veſica cuprea ſubjiciuntur, &, evocato oleo æthereo, decoctum, in veſica relictum, poſt percolationem, leni calore inſpiſſatur.

EST medicamentum balſamicum, roborans, ſtomachale, diureticum, atque bezoardicum egregium, quod ſpecifice in debilitate ventriculi, profluviis alvinis, calculo, hydrope, variis renum atque veſicæ vitiis, præſertim apud ſenes, ut & in adfectibus catarrhalibus commendari meretur. Exhibetur, vel per ſe, a drachmis duabus ad unciam integram, vel in vino Hiſpanico aut alio vino dulci ſolutum. Subinde etiam bolos & electuaria ingreditur.

MIVA CYDONIORVM SIMPLEX ET COMPOSITA

PRIOR, *ſimplex* nimirum, ſeu *ſine ſpeciebus*, facili negotio paratur, quando ſucci cydoniorum, per reſidentiam depurati, libræ decem cum ſachari albi pulveriſati libris tribus ad juſtam mivæ conſiſtentiam coquendo rediguntur; *Compoſita* autem ſeu *cum ſpeciebus* ita conficitur: Rec. cardamomi decorticati drachmas tres, cinnamomi electi, caryophyllorum ana drachmas duas, macis, maſtiches, zingiberis ana drachmam unam cum ſemiſſe, ligni aloes drachmas duas cum dimidia, croci drachmas duas, ambræ, moſchi

ſchi ana ſcrupulum unum. Contuſis vini albi generoſi libra una adfundatur, & infuſum, poſt viginti quatuor horarum maceration em, ac lenem, decantato liquore, ſpecierum expreſſionem, per chartam bibulam filtretur. Deinde recipiantur ſucci cydoniorum bene maturorum recens expreſſi, ac depurati, libræ viginti, ſachari albiſſimi libræ tres, coquantur ad conſiſtentiam fere tabulati, iisdemque poſtea infuſum prædictum adfundatur, ut, facta ſachari reſolutione, inde miva juſtæ conſiſtentiæ reſultet.

MIVA *cydoniorum ſimplex* leniores duntaxat vires adſtringentes ac refrigerantes obtinet, & in dyſenteria proinde aliisque fluxionibus alvinis proficua creditur; *compoſita* autem, quæ multas partes balſamicas & aromaticas recepit, non tantum leni adſtrictoria, ſed etiam roborante, ſtomachali & analeptica virtute inſtructa deprehenditur, & in variis ideo adpetitus atque digeſtionis vitiis, præſertim apud ſubjecta cholerica & bilioſa, quæ calidiora remedia perferre nequeunt, ut & in lipothymiis, gravioribus ſubinde ſanguinis profuſionibus ſupervenientibus, non contemnendum auxilium adfert, ac præſtantius abſque dubio pharmacum futurum eſſet, ſi moſchus & ambra, quorum odor multis inimicus eſt, exularent. Simplex æque, ac compoſita, datur a drachmis duabus ad unciam dimidiam, imo integram. Parum a miva

cydoniorum ſimplici & compoſita tum natura, tum viribus, diſtinctum eſt *Diacydonium ſimplex* & *cum ſpeciebus*: Prius enim, quod etiam *Diacydoniatum lucidum* vocatur, ex pulpæ cydoniorum, cum expreſſo ſucco proprio atque puriſſimo coctæ, & ſachari albiſſimi clarificati, & ad juſtam conſiſtentiam coquendo inſpiſſati, partibus anaticis conficitur, ac, poſt exactam miſcelam, ſcatulis infunditur, vel in electuarii ſpiſſioris formam redigitur. Poſterius autem, *Diacydonium* ſcilicet *cum ſpeciebus*, ſive *compoſitum* varia aromatica recipit: Deſcripti enim Diacydonii ſimplicis, recens parati, & adhuc a foco calentis libræ uni ſpecierum pro morſulis Imperatoris & flavedinis corticum citri recentis, minutiſſime conſciſæ, ana drachmæ quinque debite miſcentur, & mixtum deinde ſcatulis infunditur.

FERMENTVM ANODYNVM

REC. Opii uncias quatuor, adfunde in vitro capaci & amplioris orificii ſucci cydoniorum recens expreſſi, & reſidentia nonnihil depurati libras duas, adde cryſtallorum tartari, ut & ſalis ejusdem alcalici ana unciam dimidiam, & ſpiritus vini unciam unam: Mixta collocentur in loco calido, ut lenem ſubeant fermentationem, eademque abſoluta, liquidum, colatura a fæcibus, & ſpuma ſuperincumbente liberatum, ad ſpiſſioris extracti

extracti conſiſtentiam in maris balneo coquendo redigatur. Quando fermentum hoc ſpiritu vini rectificatiſſimo rurſus ſolvitur, ſolutio filtratur, aliquantulum digeritur, &, abſtracto ſpiritu, iterum ad extracti conſiſtentiam deducitur, *Opium præparatum* LANGELOTTI, itemque *Laudanum opiatum cydoniatum* vocatur.

EST ſatis bonum medicamentum anodynum & hypnoticum, ſimplex tamen opii extractum aquoſum activitate ſuperat, & procul dubio longe adhuc fortius atque in operando impetuoſius futurum eſſet, niſi mobiliſſimæ partes narcoticæ, ſub leni ac paullulum protracta fermentatione, exhalando abirent in auras, & addita acida ſalina reliquas paullulum figerent, adeoque vim expanſivam minuerent. Datur adultis a quarta grani parte ad granum dimidium, infantibus autem, ad compeſcenda alvi tormina, aut ſomnum inducendum, vix vigeſima, aut ſaltem vigeſima quarta grani pars pro una doſi exhibenda eſt.

RESINA JALAPPÆ

REC. Pulveris radicis gialappæ nigræ reſinoſæ quantum placet, adfunde ſpiritum vini rectificatiſſimum, vel modice ſaltem rectificatum, qui ad reſinarum purgantium extractionem præſtantior creditur, ad aliquot digitorum eminentiam, digere per aliquot dies,

in vaſe clauſo, arenæ calidæ impoſito, ſpiritum impræ̃gnatum effunde, &, recentis portione reſiduo adfuſa, extractionem atque digeſtionem toties reitera, donec ſubſtantia ſolubilis penitus ſeparata ſit. Quo facto, liquores conjunctos cucurbitæ infunde, & igne moderato omnem evoca ſpiritum, ut nil, niſi reſina, poſtea eximenda, & ulterius, ſi neceſſe fuerit, exſiccanda, in fundo remaneat, vel ſolutioni, maxima prius ſpiritus parte deſtillando abſtracta, multum aquæ frigidæ adfunde, ut lacteſcat, &, ob inductam ſolvendi impotentiam, partes reſinoſas ſolutas ad fundum dimittere cogatur, quæ deinde, poſt plenariam tamen ſubſidentiam & concretionem in maſſam, decantato prius liquore ſupernatante, eximendæ atque ſiccandæ ſunt. Methodus poſterior, pro mea ſententia, priori præferri meretur, quoniam reſina, præcipitationis beneficio a menſtruo ſeparata, ob minorem partium volatilium jacturam, viribus majoribus, quam altera, inſtructa eſt. Nonnulli reſinam exemtam oleo quodam æthereo aromatico, v. g. oleo aniſi, fœniculi, citri, meliſſæ, &c. leniſſime imbuere, ac denuo ad radios ſolares ſiccare jubent: At, labore hoc, qui nullam ſingularem adfert utilitatem, commode ſupersedere poſſumus. Secundum deſcriptam methodum duplicem etiam *reſinæ ſcammonii*, *ligni Guajaci*, aliorumque vegetabilium parantur.

EXTRACTVM radicis jalappæ reſinoſum a quibusdam in *Magiſterium*, & *Reſinam* dividitur: Magiſterium vocant illud, quod præcipitando ſeparatum fuit, reſinam proprie ita dictam autem alterum, quod perfecta ſolutionis evaporatione & inſpiſſatione producitur. Vtrumque, ſpiritu vini modice ſaltem rectificato extractum, ob partes gummoſas reſinoſis intermixtas, meliorem operationem catharticam exercet, quam ſpiritu vini rectificatiſſimo paratum, adeoque mere reſinoſum. Medicos enim reiterata experientia dudum edocuit, extractum jalappæ mere gummoſum alvum blande quidem movere, aſt magis tamen pellere urinam, reſinoſum fortem quidem provocare catharſin, gravioribus tamen torminibus, ac forti humorum exagitatione ſtipatam, gummeo-reſinoſum vero effectum optimum & completam impuritatum evacuationem, absque ſingularibus torminibus, præſtare. Valent hæc de pleriſque etiam purgantibus reliquis. Reſina æque ac magiſterium ordinario cum aliis in formam pillularem, vel etiam cum pineis, amygdalis dulcibus excorticatis, aut extracto quodam in pulticulam terendo rediguntur, & adultis a granis 3. ad 5. 6. 8. 10. exhibentur. *Reſina ſcammonii* fortiori, quam præcedens, vi cathartica pollet, & ejusdem proinde doſis ſaltem a granis 3. ad 4. 5. 6. adſcendere debet. Plerumque aliis debilioribus,

tanquam ſtimulans, doſi refracta additur, vel per ſe, in vitello ovorum ſoluta, propinatur. *Reſina ligni Guajaci*, cujus binæ plerumque unciæ ex libra una ligni bonæ notæ ſpiritu vini rectificatiſſimo extrahi poſſunt, locum inter diaphoretica, diuretica & ſanguinem purificantia obtinet, ſupra tamen deſcripto extracto reſinoſo-gummeo, ob indolem calidiorem, & longe remiſſiorem ex adverſo incidendi & abſtergendi virtutem, non æquiparanda eſt. Datur, inter pillulas recepta, a granis 5. ad. 10. 15.

* * * * * * * * * * * * * *

CAPVT II

DE PVLVERIBVS COMPOSITIS SPECIEBVS ATQVE FÆCVLIS

§. I

PVLVERES *compoſitos* & ſic dictas *Species officinarum* in genere nullum ſingulare intercedit diſcrimen, præterquam, quod illorum ſinguli ordinario teneriores exiſtant, harum autem nonnullæ, præſertim, ſi externo duntaxat uſui deſtinatæ ſint, ex ingredientibus groſſiuſcule ſaltem contuſis atque conciſis componantur.

§. II

§. II

PRÆTER trituram nullo alio ad pulverum atque ſpecierum præparationem artificio opus eſt, & circa ingredientia pariter, ſive ſint ſimplicia cruda, ſive præparata chymica aut pharmaceutica, generatim commemoranda notatu digna haud occurrunt. Et hæc itidem valent de virtutibus, quæ pro ingredientium diverſa natura reperiuntur diverſiſſimæ, adeo, ut recenſio earum neceſſario ad futuram deſcriptionem ſpecialiſſimam reſervanda ſit.

§. III

PVLVERVM ſubtiliorum ſpecies conſtituunt *Fæculæ*, ſingulari tamen hoc nomine utique digniſſimæ, quoniam ex moleculis non adeo amplius activis, & valde terreſtribus atque fæculentis conſtant. Radices enim *ari*, *pæoniæ*, *iridis*, *bryoniæ* &c. adhuc recentes & ſucculentæ, a ſordibus atque externa pellicula liberatæ, & minutim inciſæ atque contuſæ, ex ſacco lineo ſub prelo fortiſſime exprimuntur, & ſuccus in vaſe vitreo ad tempus in loco frigido reponitur, ut pulvis ſubtiliſſimus paullatim ad fundum deſcendat, qui poſtea, liquore leniter prius decantato, in umbra ſiccatur, & ſub fæculæ nomine adſervatur. Potiora interim principia activa

activa in ſucco decantato remanent, & facile e toto præparationis negotio eluceſcere opinor, fæculas parum poſſidere virtutis, ac jure ad ſuperflua et inutilia præparata pharmaceutica relegandas eſſe.

PVLVERES AC SPECIES VSITATIORES

Pulvis alexipharmacus Off.
- *bezoardicus communis.*
- - SENNERTI.
- - WEDELII.
- - LVDOVICI.
- *cachecticus.*
- *carminativus Off.*
- *contra abortum -*
- - *caſum -*
- - *colicam -*
- - *phthiſin* HALY.
- - *vermes.*
- *cordialis communis.*
- - *pro pauperibus.*
- *dyſentericus.*
- *epilepticus Off.*
- *epilepticus Marchionis.*
- *mantuanus.*
- *mulierum.*
- *pannonicus ruber.*
- *parturientium.*
- *pleuriticus.*
- *præcipitans.*
- *puerorum communis.*
- *ſtegnoticus* GVTTMANNI.

Pulvis ſtomachicus QVERCETANI.
- *dentifricius abſque moſcho.*
- *pro fumo communis.*
- *ſternutatorius.*

Specificum cephalicum MICHAELIS.

Sperniola CROLLII.

Species aromaticæ roſatæ.
- *cordiales temperatæ.*
- *decoctæ pectoralis.*
- *diacinnamomi.*
- *diaireos.*
- *diambræ.*
- *dianthos.*
- *diapenidiorum.*
- *diarrhodon* Abbatis.
- *diatragacanthi frigidi.*
- *diaxilaloes.*
- *de hyacintho.*
- *hieræ picræ.*
- *morſulorum* Imperatoris
- *cephalicæ pro cucuphis.*
- *pro epithemate capitis.*
- - - *cordis.*

PVLVIS

PVLVIS ALEXIPHARMACVS DISP. BRAND.

REC. Nitri cryſtallini puriſſimi, florum ſulphuris, myrrhæ rubræ electæ ana uncias duas. Singula ſeorſim contuſa miſceantur, ut pulvis fiat ſubtiliſſimus.

OB JVSTO largiorem myrrhæ additionem hic pulvis paullo calidioris indolis eſt, & promiſcue ea propter in malignis, exanthematicis, ceteriſque febribus continuis exhiberi nequit. Optime conducit in febribus catarrhalibus benignis, tumoribus glandularum frigidis, & quibusvis morbis aliis, qui lymphæ mucidæ præcipuam debent originem. Datur a granis ſex ad 12. 15.

PVLVERES BEZOARDICI VARII

PVLVIS *bezoardicus Diſpenſatorii Brandenburgici*, ſiue *communis:* Rec. radicum angelicæ, gentianæ, petaſitidis, zedoariæ ana drachmam dimidiam, rad. diptamni albi, tormentillæ, boli Armenæ, terræ ſigillatæ Strigenſis ana drachmas ſex, coralliorum rubrorum præparatorum, cornu cervi uſti & præparati, corticum citri extimorum, raſuræ eboris ſubtiliſſimæ, ſuccini albi præparati ana drachmam dimidiam. Miſce, ac fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus. *Pulvis bezoardicus*

ardicus Sennerti: Rec. cornu cervi philoſophice calcinati drachmam unam cum dimidia, lapidum cancrorum præp., terræ ſigillatæ Sileſiacæ, ſuccini, margaritarum præp., coralliorum rubrorum præparat. ana ſcrupulum unum, oſſis de corde cervi, ſmaragdi præp., hyacinthi præp., rubini præp., ana ſcrupulum ſemiſſem, lapidis bezoardici orientalis ſcrupulum unum, foliorum auri num. 3. M. F. l. a. Pulvis. *Pulvis bezoardicus major Wedelii:* Rec. radicis contrajervæ, terræ Lemniæ, unicornu foſſilis, coralliorum rubrorum præp., antimonii diaphoretici, ſuccini albi præparati ana unciam unam, cornu cervi philoſophice præparati uncias duas, lapidis bezoardici occidentalis drachmam dimidiam, olei citri ſcrupulum ſemiſſem. M. F. l. a. Pulvis. *Pulvis bezoardicus Wedelii minor:* Rec. antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum, cornu cervi philoſophice præparati ana unciam unam, extracti ſcorzoneræ montanæ unciam dimidiam. M. F. Pulvis. *Pulvis bezoardicus albus Ludovici:* Rec. cornu cervi philoſophice calcinati unciam unam, terræ ſigillatæ, unicornu foſſilis ana unciam dimidiam. M. F. Pulvis.

PVLVIS *bezoardicus communis* ex ingredientibus ſatis activis, balſamicis, amaris & adſtringentibus conſtat, ſi terrea duntaxat, v. g. corallia,

rallia, cornu cervi uſtum, & terras ſigillatas atque bolares exceperis. Priora enim acidum primarum viarum ſolummodo abſorbent, &, cum illud in febribus acutis rariſſime vel nunquam in ventriculo inveniatur, reliquorum virtutem in caſibus ejusmodi, in quibus tamen pulveres bezoardici plerumque adhibentur, nullo prorſus modo exaltare valent: Terræ bolares atque ſigillatæ rubræ, flavæ, brunnæ, ob indolem martialem, nonnihil quidem ſolidas partes adſtringunt, ac leniter adſtringendo tonum augent; verum, cum jam notabilis radicis tormentillæ quantitas mixto inhæreat, hæ terræ martiales quoque, debili ægrorum ventriculo plerumque moleſtæ, commode ac ſine virium jactura exulare poſſent. Hic pulvis cæteroquin, propter ingredientia amara atque balſamica reſinoſo-gummea atque bituminoſa, lenem obtinet virtutem diaphoreticam atque diureticam, & in febribus catarrhalibus, aliisque morbis, blanda diaphoreſi atque diureſi præcipue curandis, non contemnendi uſus eſt. Doſis a ſcrupulo dimidio ad integrum adſcendit. *Pulvis bezoardicus Sennerti* præcedentem quidem pretio ſuperat, virtute autem longe inferior eſt, ac quoad maximam partem ex mere terreis atque indiſſolubilibus moleculis lapideis, quæ pretium quidem augent, reliquorum autem ingredientium operationem nullo prorſus modo adjuvant, componitur: Hinc, ejecto ſuccino, quod ſolum aliqua pollet virtute nervina, nullas amplius vires, præter antacidas, retinet, & vulgari

vulgari pulveri abſorbenti, ex meris lapidibus cancrorum parato, vix præferri meretur: Vnde omnino mirandum, quod locum inter bezoardica, ac tantam inſuper famam conſecutus fuerit. Datur a granis 15. ad ſcrupulum integrum. *Pulvis bezoardicus major & minor Wedelii* vix commemorato haud præſtantior foret, niſi prior radicem contrajervæ & oleum citri, poſterior autem extractum ſcorzoneræ ſimul reciperet. Vterque nihilominus miſerrimum medicamentum bezoardicum eſt, nec ullam notatu dignam diaphoreſin in febribus aliisque morbis provocabit, niſi naturæ ad expellendum ſudorem proclivitas, aut potulenta calida deſuper hauſta, vel lecti calor accedant. Quoad doſin cum præcedente convenit. *Pulvis bezoardicus albus Ludovici* mixtum mere terreum eſt, ac nullam plane, præter antacidam, virtutem poſſidet, quæ tamen in febribus malignis, in quibus nunquam acida, ſed potius oleoſo-urinoſa ac ſemiputrida impuritas in corpore hoſpitatur, nihil valet: Adeoque ad acidum primæ culinæ deſtruendum, a ſcrupulo dimidio ad integrum, ſolummodo exhibendus eſt.

PVLVIS CACHECTICVS QVERCETANI

REC. Limaturæ chalybis, aqua pluvia ſæpius irroratæ atque exſiccatæ, & ſic in pulverem ſubtiliſſimum redactæ, aut cum ſulphure

phure calcinatæ, unciam unam, fæcularum radicum ari drachmam unam cum dimidia, coralliorum rubrorum præparatorum, matris perlarum præparatæ ana drachmas duas, cornu cervi philoſophice præparati, ſuccini præparati, cinnamomi ana ſcrupulos quatuor, ſachari uncias duas. M. F. l. a. Pulvis. QVERCETANVS etiam drachmam unam cum dimidia ambræ addidit; veruntamen, cum pretium hujus pulveris nimium hac ratione increſcat, plerumque in officinis noſtris additio ejus omittitur.

VIRTVTE pollet, ſi absque ambra præparatus ſit, antacida, leniter adſtringente ac roborante: An vero in cachexia vires exſerat eminentiores, eamque ſolus profliget, juſtas dubitandi cauſſas habeo. Activitas ejus cæteroquin ad ſuccinum, cinnamomum & limaturam martis primario redundat, quorum duo priora fibras laxas roborant, poſterior autem, ab acido corrodente primæ culinæ in vitriolum martiale mutata, easdem notabilius adſtringit. Subinde etiam locum in febre intermittente quotidiana & quartana invenit. Datur a ſcrupulo dimidio ad drachmam dimidiam. Inventor eum ægris cachecticis per 15. dies continuos ad ſemi cochlearis menſuram præbuit; at nimia hæc doſis inſigne parit faſtidium adſumendi.

PVLVIS CARMINATIVVS DISP. BRAND.

REC. Seminis carvi, cumini ana libram dimidiam, zingiberis albi unciam unam, croci drachmam unam. Miſce, fiat pulvis.

FLATVS ſatis bene diſcutit, & in torminibus ventris, colica ac cardialgia flatulenta, immo, ob virtutem roborantem, in diarrhœis & variis adpetitus atque digeſtionis vitiis non contemnendi uſus eſt. Doſis a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam adſcendit.

PVLVIS CONTRA ABORTVM DISP. BRAND.

REC. Granorum kermes drachmam unam, radicum tormentillæ, raſuræ eboris, ſantali rubri ana drachmam ſemiſſem, coralliorum rubrorum & alborum præparatorum, caryophyllorum, foliorum roſarum rubrarum, margaritarum præparatarum, maſtiches ana ſcrupulum unum, nuciſtæ ſcrupulos duos, manus Chriſti perlatæ drachmas tres. M. F. Pulvis.

ADSTRINGENDO ac leniter roborando agit, & ideo gravidis, quæ abortum metuunt, ſubinde offerri poterit, ſi uteri ſcilicet debilitas anſam præbeat. Quando enim plethora nimia, expanſio ſanguinis orgaſtica, aut vehementes uteri ac viſcerum imi ventris contractiones ſpaſ-

ſpaſmodicæ imminentis abortus cauſſæ exiſtunt, cautius cum uſu ejus mercandum eſt. Datur quoque in aliis morbis, qui leniora adſtringentia ac roborantia poſtulant, v. g. in lienteria, cœliaca, diarrhœa, diabete, fluore albo, dyſenteria ad finem tendente, & ſimilibus, præſertim, ſi impuritates prius eductæ fuerint, & præter atoniam fibrarum nihil amplius emendandum ſit. Doſis ſcrupulum unum non facile ſuperare debet.

PVLVIS CONTRA CASVM

REC. Boli Armenæ præparatæ, lapidis hæmathitæ præparati, ſanguinis draconis præp., ſanguinis hirci præp., mumiæ transmarinæ præparatæ, lapidum cancrorum præparatorum ana drachmas duas, ſpermatis ceti drachmam unam, rhabarbari electi drachmam dimidiam. M. F. Pulvis.

VIRIBVS adſtringentibus ac reſolventibus inſtructus eſt, & ſpecifice ad ſanguinem, poſt caſum ab alto aut contuſiones &c., extravaſatum atque coagulatum, diſſolvendum commendatur. Præcipua virtus reſolvens rhabarbaro, præcipua autem virtus ſubadſtringens ſanguini draconis & hæmathitæ, ſi poſterior acidum in ventriculo inveniat, adſcribenda eſt. Exhibetur a ſcrupulo uno ad duos.

PVLVIS CONTRA COLICAM

REC. Corticum aurantiorum recens ſiccatorum unciam unam, baccarum lauri, ſemi-

nis carvi, cumini ana unciam semissem, rad. galangæ, zedoariæ, ana drachmas tres, calami aromatici, caryophyllorum, cinnamomi acuti ana drachmas duas. M. F. Pulvis.

VIRTVTEM obtinet nervinam, roborantem, stomachalem & carminativam, adeoque adpetitum auget, digestionem alimentorum adjuvat, cruditates pituitosas resolvit, vermes necat, viscera roborat, atque flatus discutit, & satis notabile proinde auxilium in anorexia, dyspepsia, diarrhœa pituitosa, lienteria, cœliaca, colica & cardialgia flatulenta, &c., præstat, præsertim, si in harum ægritudinum nonnullis, vel paullo ante, vel paullo post pastum, a granis 15. ad 20. 30., adsumitur.

PVLVIS HALY CONTRA PHTHISIN

REC. Seminis altheæ, cucumeris decorticati, cucurbitæ nostratis decorticati, sem. cydoniorum mundati, malvæ, melonum decorticati, portulacæ ana drachmas duas cum semisse, sem. papaveris albi drachmas sex, amyli, gummi Arabici, tragacanthi, rasuræ eboris, radicis liquiritiæ raspatæ ana drachmam unam cum dimidia, sachari penidii ad pondus omnium. M. F. Pulvis.

EX INGREDIENTIBVS, principio aqueo- aut oleoso-mucilagineo, dulci, subdulci, temperatissimo prægnantibus, præcipue componitur,

tur, & ideo partes solidas demulcet, & humores acres, salia involvendo atque obtundendo, temperat. Non solum tussientibus, secundum inventoris Haly commendationem, conducit, sed in febre quoque lenta & hectica, calculo, ulcere renum atque vesicæ, stranguria, ardore ventriculi, dysenteria, tenesmo ani, aliisque morbis, qui acri humorum indoli & solidorum erosioni suos debent natales, opem ferre consuevit: Semper tamen, si memoratos ab eo exspectare velimus effectus, recens præparatus exhibendus est, quoniam semina lacteascentia, quæ notabilem totius compositi partem constituunt, temporis successu rancorem contrahunt, & novam hac ratione, eamque pejorem, naturam huic pulveri conciliant. Curandum quoque, ut ad compositionem ejus semina recentissima, ac nondum rancida, recipiantur. Vulgo ad aliquot drachmas una vice exhibetur, sed præstat, eum minori dosi ægris offerre, ac sæpius exhibitionem repetere, ne dosis nimia fastidium pariat.

PVLVIS CONTRA VERMES

REC. Seminis cinæ sive santonici unciam unam, corallinæ unciam dimidiam, mercurii dulcis rite præparati, rasuræ cornu cervi subtilissimæ, turbith gummosi ana drachmas duas, myrrhæ electæ drachmam unam. M. F. Pulvis.

AD FINEM illum, quem titulus indicat, obtinendum satis bonus deprehenditur, & ventriculum præterea, intestina, atque viscera roborat. Datur a granis 8. ad 10. 12. 15. 20.

PVLVIS CORDIALIS COMMVNIS CVM ZEDOARIA

REC. Cornu cervi præparati drachmas sex, cornu alcis præparati, coralliorum alb. præp., matris perlarum præp., lapidum cancrorum præparatorum, offis de corde cervi præp., succini albi præparati, talorum leporis ana drachmas duas, terræ sigillatæ Strigensis, radicum zedoariæ selectarum ana drachmam unam, foliorum auri numero decem. M. F. Pulvis. In officinis, præter descriptum pulverem cordialem cum zedoaria, adhuc alius prostat absque zedoariæ additione paratus, nec non *Pulvis cordialis pro pauperibus*, qui ex sequentibus componitur: Rec. coralliorum alb. præp., cornu cervi præp. ana unciam dimidiam, lapidum cancrorum præp. unciam unam, terræ sigillatæ Strigensis drachmam unam, foliorum auri fini numero quinque. M. F. P.

PVLVIS cordialis pro pauperibus ex meris terreis, & auro, penitus in ventriculo indissolubili, constat, adeoque rectius inter absorbentia antacida, quam cardiaca medicamenta collocatur:

catur: Et præcedens quoque cum zedoaria, præter succinum & radicem zedoariæ, nil continet, quod cor roborare, sudorem movere, & exanthemata, aliaque heterogenea, quæ molestas subinde anxietates provocare solent, expellere possit. Sola igitur zedoaria cum succino est, quæ aliquam huic pulveri virtutem discutientem ac diaphoreticam, adeoque aliquam pariter virtutem, anxietates præcordiales, in febribus, præsertim exanthematicis atque malignis, vel etiam, præsentibus flatibus copiosis, in ventriculo & canale intestinorum incarceratis, quandoque subortas, mitigandi, conciliat. Sed, nonne medicamina, longe in hoc passu præstantiora, prostant? Datur a granis 15. ad 20. 25. Reliqui pulveres cordiales Off., quibus præter inutilia auri folia, etiam margaritæ atque lapides pretiosi adduntur, præcedentes pretio quidem, non virtute, superant.

PVLVIS DYSENTERICVS DISP. BRAND.

REC. Radicum acori vulgaris drachmam unam, bistortæ unciam unam, tormentillæ unciam unam cum semisse, seminis acetosæ, plantaginis ana drachmas tres, sem. lapathi acuti drachmas duas, nucis moschatæ, boli Armenæ præparatæ, cornu cervi usti ana unciam unam, coralliorum rubrorum præp., sanguinis draconis præp., terræ sigillatæ Silesiacæ ana unciam dimidiam, croci martis adstrin-

ſtringentis, priapi cervi drachmam unam. M. F. P.

QVOAD maximam partem ex adſtringentibus componitur, adeoque non ſtatim in principio dyſenteriæ, aliarumque fluxionum ſanguinearum ac ſeroſarum exorbitantium, ſed in fine demum, emendata prius atque educta ſaburra plus minusve virulenta, mitigata febre ac inflammatione, & reſeratis vaſorum ac viſcerum obſtructionibus, ægris porrigendus erit. Hiſce autem probe obſervatis, in dyſenteria quandoque, nec minus in diarrhœis, lienteria, cœliaca, diabete, fluore albo, vomitu ac hæmorrhagiis variis locum invenit. Doſis a ſcrupulo dimidio ad integrum adſcendit.

PVLVIS EPILEPTICVS OFFICINALIS

REC. Coralliorum rubr. præp., cranii humani non humati, matris perlarum præparatæ, ana drachmas duas, cornu cervi ſine igne præparati drachmas tres, radicum pœoniæ maris, juſto tempore collectarum, unciam unam, ſeminis pœoniæ, drachmas duas, viſci querni, ſachari albiſſimi ana unciam dimidiam, foliorum auri puriſſimi numero quinque. M. F. Pulvis.

ACIDVM vellicans primæ culinæ extinguit, & ſolida quoque adſtringit; hinc in ea epilepſia, quæ primario ex acida ac cauſtica ſaburra primarum

marum viarum, & juncta fibrarum laxitate atque teneritudine, præſertim apud infantes, qui lacte adhuc nutriuntur, originem ducit, opem præcipue ferre conſuevit: Valent hæc de reliquis pariter ſpaſmorum atque convulſionum ſpeciebus. Datur a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam, vel paullo ante, vel paullo poſt paroxyſmum epilepticum. Apud infantes grana 5. 6. 8. 10. pro una doſi ſufficiunt.

PVLVIS EPILEPTICVS MARCHIONIS

REC. Apicum cornu cervi præparatorum, coralliorum alb. ac rubrorum præp., margaritarum præp., raſuræ eboris ſubtiliſſimæ, ſpodii, viſci querni aut corylini, ungulæ alcis, unicornu veri ana drachmam, radicum pœoniæ maris, juſto tempore collectarum, unciam ſemiſſem, foliorum auri numero viginti. M. F. Pulvis.

CONVENIT quoad naturam, vires & uſum cum præcedente, præterquam, quod paullo remiſſiori virtute adſtrictoria gaudeat. Commendatur in ſpecie contra pavores nocturnos & motus epilepticos infantum, atque perſæpe etiam arthriticis & podagricis conducere traditur.

PVLVIS MANTVANVS

REC. Radicum anthoræ, contrayervæ, ſcorzoneræ, cornu cervi præparati, coralliorum

rum rubr. ppt., ungulæ alcis præp., unicornu veri ana ſcrupulos duos, lapidis bezoardici occidentalis & orientalis, terræ ſigillatæ Lemniæ ana drachmam unam, ſeminis acetoſæ, napi, ſmaragdorum præp. ana ſcrupulum unum, viſci querni drachmam unam, ſachari albiſſimi drachmas ſex. M. F. P.

DIAPHORESIN promovet, acidum abſorbet, ac leniter adſtringit; hinc bezoardicis etiam medicamentis, ad expellenda exanthemata præcipue exhibendis, vulgo adnumeratur. Verum, cum multa eum concreta, pretioſa quidem, aſt nihilominus inertia, ingrediantur, & reliquorum quoque virtus non adeo ſingularis inveniatur, commode ex uſualium cenſu exterminari poſſet. Datur a granis 15. ad ſcrupulum unum.

PVLVIS MVLIERVM

REC. Baccarum lauri, cinnamomi acuti, galangæ, nucis moſchatæ ana unciam unam cum dimidia, croci orientalis unciam unam, caryophyllorum, macis ana drachmas ſex, rad. zedoariæ unciam ſemiſſem, zingiberis, ſeminis carvi, paſtinacæ ana uncias tres. Miſce fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

EX SELECTIS ac ſatis roborantibus ſtomachalibus, & carminativis componitur, adeoque non tantum in colica hyſterica, catameniorum ſuppreſſione chronica, fluore albo, partu difficili,

cili, retentione ſecundinarum & ſterilitate mulierum, a cauſſa frigida pendente, conducit, ſed in dyſorexia pariter atque dyſpepſia, itemque in cardialgia ac colica flatulenta, febre quartana, & multis adfectibus aliis, qui roborantia, calida, aromatica, poſtulant, non contemnendum adfert auxilium. Exhibetur a granis 15. ad ſcrupulum unum, imo drachmam dimidiam.

PVLVIS PANNONICVS RVBER

REC. Boli Armenæ, cum parte aquæ roſarum & acetoſæ anatica præparatæ, uncias tres, coralliorum alb. præp. drachmas ſex, corall. rubr. præp., hyacinthi præparati, rubini præp., ſmaragdi præp. ana unciam dimidiam, margaritarum præp., ſpodii præp., ana drachmas quinque, raſuræ eboris drachmas tres, ſeminis acetoſæ, cinnamomi electi ana drachmas duas, caryophyllorum, croci orientalis ana drachmam unam, corticum citri extimarum, ſantali albi ana drachmam unam cum dimidia, ſantali rubri drachmas duas, cornu cervi philoſophice calcinati unciam ſemiſſem, foliorum auri obryzi numero quadraginta. M. F. Pulvis.

ACIDVM primæ culinæ deſtruit, ſubadſtringit, diaphoreſin aliquantulum promovet, & ideo in dyſenteria, febribus malignis, exanthematicis ac ſpeciatim in febre caſtrenſi Hungarica

garica proficuus quidem creditur: Attamen, cum terris fatuis & inutilibus lapidibus pretiosis nimium abundet, pro mea sententia, nullum ab eo auxilium singulare in morbis memoratis & similibus exspectandum erit. Præcipua virtus a cinnamo, caryophyllis, croco, corticibus citri & ligno santalo dependet, ac melius proinde futurum esset, si hæc concreta cum unico saltem terreo absorbente miscelam subirent. Datur apud infantes, torminibus ventris aut epilepsia intestinali laborantes, a granis 4. ad 8., apud adultos vero, tum in morbis convulsivis, tum febribus, a scrupulo dimidio ad integrum, vel cum syrupo quodam, vel aqua diapnoica.

PVLVIS PARTVRIENTIVM

REC. Cassiæ ligneæ veræ, cinnamomi acuti ana drachmas duas, boracis Venetæ, succini albi præparati ana drachmam unam cum dimidia, croci orientalis optimi drachmam semissem. M. F. Pulvis subtilissimus, olei destillati cinnamomi guttis tribus irrorandus.

EST medicamentum satis activum, quod, a scrupulo uno ad drachmam unam in vino aut aqua quadam adpropriata exhibitum, fœtum, secundinas, lochia, ac menses valide pellit. Aucta boracis Venetæ quantitate, virtutem majorem nanciscitur.

PVLVIS PLEVRITICVS

REC. Rasuræ dentis aprini sine ustione paratæ, mandibularum lucii præp. ana drachmas

mas duas, lapidis percarum præparati, lap. hemathitæ præp., lap. cancrorum præp., oculorum lucii præp., osteocollæ præp., talorum leporis præp., seminis artemisiæ rubræ, sem. cardui benedicti ana drachmam unam. M. F. Pulvis.

PLVRIMA quidem sic dicta specifica antipleuritica hic pulvis recipit; verum, quum ea quoad maximam partem mere terrea antacida sint, prorsus concipere nequeo, quomodo in pleuritide vera stasin sanguinis inflammatoriam rursus discutere, dolores punctorios mitigare, ac febrem profligare possint. Exiguus enim effectus diapnoicus, quem semina artemisiæ rubræ, & cardui benedicti præstant, tollendis hujus morbi caussis haudquaquam sufficit. Rectius igitur, pro meo judicio, locum hic pulvis inter absorbentia terrea, non in pleuritide vera, sed aliis morbis porrigenda, obtinet. Datur a scrupulo uno ad drachmam dimidiam.

PVLVIS PRÆCIPITANS

REC. Concharum marinarum præp., matris perlarum præp., cornu cervi præp., lapidum cancrorum præp., ana unciam dimidiam, antimonii diaphoretici drachmam unam, cinnabaris nativæ præparatæ drachmam semissem. M. F. P.

ACIDVM præternaturale, in prima culina nimis adcumulatum extinguit absorbendo, &, sic

ſic titulo ſuo ſatisfaciens, in ſoda & ardore ventriculi, torminibus ventris infantum, aliisque morbis, ab acido vellicante oriundis, levamen adfert. Exhibetur a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam.

PVLVIS PVERORVM COMMVNIS

REC. Radicis iridis Florentinæ, pœoniæ, ſcorzoneræ ana uncias duas, ſeminis pœoniæ decorticati unciam ſemiſſem, croci drachmas duas, ſachari candi uncias quatuor. M. F. Pulvis.

IN pleriſque infantum morbis, v. g. in cardialgia, torminibus ventris, dentitione difficili, tuſſi pituitoſa, &c., ob vires reſolventes, abſtergentes, diſcutientes ac roborantes, cum fructu a granis 6. ad 10. 12. 15. exhiberi poteſt. Major ipſi activitas conciliatur, quando ſpeciebus prædictis uncia una radicis mechoacannæ albæ, & duæ drachmæ aniſi ſtellati adduntur.

PVLVIS STEGNOTICVS GVTMANNI

REC. Coralliorum rubrorum præp. drachmas duas, lapidis ætitæ præparati drachmam unam, lap. carneoli præp., hæmathitæ præp., cornu cervi uſti & præp., terræ ſigillatæ Lemniæ veræ, aut Sileſiacæ ana drachmam ſemiſſem. M. F. Pulvis.

EST

EST pulvis antacidus & leniter adſtringens, qui in hæmorrhagiis exorbitantibus, ubi oſcula vaſorum nimium hiantia nonnihil, blandæ conſtrictionis ope, claudenda ſunt, ſubinde adhibetur, & ægris in aqua quadam deſtillata, aut ſimplici frigida, a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam, porrigitur. Acido præſente ſolubilior futurus eſſet, ſi ætites, & carneolus prorſum exularent.

PVLVIS STOMACHICVS QVERCETANI, AVT POTIVS BIRCKMANNI

REC. Radicum ari præp. uncias duas, rad. acori vulgaris, pimpinellæ ana unciam unam, lapidum cancrorum præp. unciam ſemiſſem, cinnamomi electi drachmas tres, ſalis abſinthii, juniperi ana drachmam unam, ſachari roſati tabulati ad pondus omnium. M. F. Pulvis.

VENTRICVLVM roborando, & ſaburram pituitoſo-acidam corrigendo, adpetitum nonnunquam excitat, digeſtionem promovet, & in ſoda, ructibus acidis, ac febribus intermittentibus opem aliquam præſtat. Ob ingredientia quædam acria in cachexia quoque & ſcorbuto commendatur, immo in calculo, nephritide pituitoſa, hemicrania, vertigine & cephalalgia ſtomachali, aſthmate, ac viſcerum obſtructione chronica prodeſſe dicitur. Doſis, ob largam

ſachari

ſachari additionem, a drachma dimidia ad integram adſcendere poteſt.

PVLVIS DENTIFRICIVS ABSQVE MOSCHO ET AMBRA

REC. Coralliorum rubr. ppt. drachmam unam, cornu cervi præparati unciam dimidiam, gummi laccæ ſelectæ, g. ſarcocollæ ana drachmam ſemiſſem, oſſis ſepiæ præp. drachmas tres, oſteocollæ præp., pulveris radicum iridis Florentinæ ana unciam unam. M. F. Pulvis.

COMPOSITVM hoc pulverulentum, uti ſtatim ex titulo patet, externum duntaxat uſum obtinet, & ad tartarum dentium abſtergendum, gingivas roborandas, & putrilaginem ſcorbuticam corrigendam adhibetur. Melior intuitu ſcopi poſterioris futurus eſſet, ſi terræ Japonicæ, maſtiches & ſanguinis draconis portio moderata adderetur. Perfectus enim pulvis dentifricius ex abſtergentibus, leniter adſtringentibus atque balſamicis antiputredinoſis conſtare debet. In officinis adhuc alius proſtat, ex iisdem quidem ſpeciebus compoſitus, aſt ambræ & moſchi ana granis quinque remixtus; verum, cum horum odor paucis arrideat, abſque ambra & moſcho illum parare præſtat.

PVLVIS PRO FVMO COMMVNIS

REC. Maſtiches, myrrhæ, olibani, ſuccini flavi, baccarum juniperi ana unciam unam. M. F. Pulvis.

AD

AD AEREM humidum, aut corruptis, fœtidis atque contagioſis exhalationibus refertum, aliquantiſper corrigendum, prunis inſpergitur. Roborat quoque hic fumus pulmones nimis laxos, nec minus membra, œdematoſo tumore correpta, praeſertim, ſi in caſu poſteriori propius & majori quantitate admittatur.

PVLVIS STERNVTATORIVS COMMVNIS

REC. Foliorum betonicæ drachmas duas, majoranæ, nicotianæ ana unciam dimidiam, pulegii, ſerpilli ana drachmam ſemiſſem, rad. hellebori albi, nigri, ana drachmam unam, rad. pyrethri drachmam ſemiſſem. M. F. Pulvis.

MVCVM narium potenter diſſolvit, &, tunicam pituitariam ſtimulando, ſternutationem provocat, adeoque in gravedine, cephalalgia pituitoſa, ac ſimilibus capitis morbis uſus ejus nonnunquam proficuus deprehenditur.

SPECIFICVM CEPHALICVM MICHAELIS

REC. Cinnabaris nativæ Tranſylvanicæ, aut antimonii præparatæ uncias tres, fæculæ radicum pœoniæ, juſto tempore collectarum unciam unam cum dimidia, ungulæ alcis præp., cornu alcis præp. ana drachmam unam, cornu cervi præp. drachmas tres, cranii humani, non humati, præparati drach-

mam unam, coralliorum rubrorum præp., lapidum percarum præp. ana unciam ſemiſſem, margaritarum præp. drachmas duas, raſuræ eboris præparatæ drachmas tres, ſmaragdorum, in ſalinam conſiſtentiam Zwelfferiana methodo ſolutione & exhalatione redactorum, drachmam ſemiſſem, ſuccini præp. ſcrupulum dimidium, unicornu veri ſcrupulum unum. M. F. Pulvis.

PRO meo judicio hoc medicamentum neque nomine, quod gerit, neque fama, quam præteritis adeptum eſt temporibus, dignum exiſtit. Si enim fæculam radicum pœoniæ, ſmaragdum ad formam ſalinam redactum, & ſuccinum, quæ admodum parca tamen quantitate compoſitionem ingrediuntur, exceperis, totum ex cinnabari, quæ ſolutionem penitus in ventriculo reſpuit, & terreis antacidis, quorum nonnulla pariter, ob texturam compactiorem, a debili ventriculi acido difficillime ſolvuntur, compoſitum eſt. Non video igitur, quomodo cerebrum, cor atque nervos corroborare, & motus convulſivos atque epilepticos promiſcue cohibere ac mitigare poſſit. Sola profecto pollet virtute antacida, & in iis duntaxat convulſionum ſpeciebus, præſertim apud infantes, locum invenit, quæ ſaburræ acidæ primæ culinæ acriori, rodenti ac vellicanti ſuos debent natales; in idiopathicis autem ac reliquis ſympathicis inſultibus epilepticis &c. nihil plane auxilii ab uſu ejus exſpectandum erit. Secundum inventoris

toris deſcriptionem ex pleriſque ingredientibus terreis ac terreo-gelatinoſis primum magiſteria conficiuntur; at, cum ea præparatione tædioſa non meliora, ſed deteriora reddantur, ab aliis medicis poſtea rejecta, iiſdemque in formula deſcripta vulgari ſaltem modo præparata ſubſtituta ſunt. Doſis, ob molem cinnabaris, quæ dimidiam fere totius pulveris compoſiti partem conſtituit, ultra ſcrupulum nunquam apud adultos adſcendere debet, & apud infantes grana 5 8. 10. ſufficiunt.

SPERNIOLA CROLLII

REC. Camphoræ drachmas tres, croci optimi ſubtiliſſime triti unciam ſemiſſem, myrrhæ rubræ ſelectæ, olibani ana uncias duas. Pulverem ſubtiliſſimum inde factum in vitro commodo aqua ſpermatis ranarum, menſe Martio triduum ante novilunium collecti, ac debite e balneo maris deſtillati, vicies, vel etiam pluries, irrora, rurſusque ſingulis vicibus aeris calore exacte exſicca, tandemque probe ſiccatum in vitro clauſo adſerva.

EX INGREDIENTIBVS activis diſcutientibus, anodynis ac roborantibus conſtat, & ejuſdem proinde uſus ſubinde in febribus putridis, malignis, exanthematicis atque catarrhalibus, nec minus in tumoribus glandularum, adfectibus frigidis rhevmaticis ac convulſivis, ſcabie, cachexia, ſuppreſſione menſium, & morbis compluri-

pluribus aliis, viſcidorum humorum reſolutione, ac diſcuſſione maxime curandis, commendandus erit: Quod vero etiam hæmorrhagias exorbitantes certiſſime ſiſtat, haud quiſquam, indolis ingredientium probe gnarus, cum nonnullis adfirmabit. Aqua ſpermatis ranarum deſtillata inutilis eſt, ac commode additio ejus omitti poterit, præſertim, cum reliquæ ſpecies, ſub ſæpius repetita irroratione & exſiccatione, multas particulas volatiles amittant. Datur a granis 3. ad 5. 8. 10.

SPECIES AROMATICÆ ROSATÆ

REC. Foliorum roſarum rubr. probe ſiccatarum uncias duas, cinnamomi electi drachmas quinque, caryophyllorum, macis ana drachmas duas cum ſemiſſe, cardamomi minoris, galangæ, nuciſtæ ana drachmam unam, ſpicæ Indicæ, ligni aloes, ſantali citrini, gummi Arabici, tragacanthi ana drachmas tres; M. F. Pulvis ſubtiliſſimus. Quando huic pulveri, qui *ſpecies aromaticas roſatas incompletas* conſtituit, ambræ gryſeæ drachma dimidia & moſchi ſcrupulus unus additur, *ſpecies aromaticæ roſatæ completæ* inde reſultant.

VIRIBVS cephalicis ac ſtomachalibus roborantibus, nec minus carminativis atque cardiacis hic pulvis inſtructus eſt, & in debilitate ventriculi atque capitis, imbecillitate memoriæ, vertigine,

tigine, a ſtomacho oriunda, adfectibus flatulentis frigidis, aliisque capitis, cordis ac pectoris morbis, inde per conſenſum enatis, nonnunquam conducit. Species *incompletæ* a ſcrupulo uno ad drachmam integram, *completæ* autem, quarum odor tamen multis inimicus eſt, a ſcrupulo dimidio ad drachmam dimidiam exhibentur.

SPECIES CORDIALES TEMPERATÆ

REC. Radicum angelicæ, caryophyllatæ, doronici, tormentillæ, caryophyllorum, cinnamomi, oſſis de corde cervi ana drachmam unam cum dimidia, eboris præp., ligni aloes ana drachmam unam, coralliorum alb., corall. rubr. præp. ana drachmas duas, margaritarum præp. drachmas ſex, hyacinthorum præp., ſaphiri præp., ſmaragdorum præp. ana drachmam ſemiſſem, croci ſcrupulum unum, foliorum auri, fol. argenti ana numero decem. M. F. pulvis ſubtiliſſimus. Huic nonnulli moſchi & ambræ ana drachmam dimidiam addunt, & tunc *ſpecies cordiales completas* vocant.

MVLTA hunc pulverem terrea, lapidea, metallica concreta ingrediuntur, quæ pretium quidem valdopere augent, reliquorum vero vires nullo plane modo exaltant, & proinde, abſque virtutum diſpendio, commode exulare poſſent. Convenit cum pulvere Pannonico rubro, præ-

terquam, quod paullo majores vires roborantes obtineat. Specifice in lipothymiis & anxietatibus præcordialibus, perſæpe in febribus malignis ſupervenientibus, commendatur, & a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam ægris offertur.

SPECIES DECOCTI PECTORALIS

REC. Radicum glycyrrhizæ unciam dimidiam, herbæ capillorum veneris, hb. hyſſopi, ſcabioſæ, tuſſilaginis ana manipulum ſemiſſem, hordei mundati unciam unam, jujubarum, ſebeſten ana numero quindecim, paſſularum minorum mundatarum unciam unam. Groſſiuſcule conciſa miſceantur.

DECOCTVM inde paratum humores acres temperat, expectorationem promovet, & in tuſſi, raucedine, aſthmate, & ſubinde etiam in pleuritide ac peripneumonia non contemnendum auxilium præſtat.

SPECIES DIACINNAMOMI

REC. Cinnamomi acuti uncias duas, cardamomi utriuſque, caryophyllorum, ligni aloes, macis, nucis moſchatæ, piperis longi, zingiberis ana drachmas tres, caſſiæ lignæ, radicum enulæ ana unciam ſemiſſem, galangæ drachmas ſeptem, croci optimi drachmam unam, ſachari drachmas quinque. M. F. pulvis.

VIR-

VIRTVTE roborante ſtomachali & carminativa pollent, & in debilitate ventriculi, indeque enatis morbis variis, nec minus in adfectibus colicis atque cardialgicis frigidis, præſertim apud ſenes & ſubjecta phlegmatica, itemque in febre quartana, lienteria, cœliaca, diarrhœa vulgari mucida &c. perſæpe cum fructu notabili, a ſcrupulo dimidio ad integrum, exhibentur.

SPECIES DIAIREOS

REC. Specierum diatragacanthi frigidi, ſachari candi albi ana drachmas duas, radicum iridis Florentinæ unciam ſemiſſem. M. F. Pulvis.

RESOLVENDO, abſtergendo ac temperando agit hic pulvis pectoralis, & ideo in tuſſi, raucedine, aſthmate, atque ipſo catarrho ſuffocativo, ab acri atque tenaci pituita oriundis, non contemnendi uſus eſt, ſi nimirum recenter paratus fuerit: Temporis enim ſucceſſu ſemina, quæ ſpecies diatragacanthi frigidi ingrediuntur, rancorem aliquem contrahunt, & amylum pariter nonnihil corrumpitur. Datur a ſcrupulo dimidio ad drachmam ſemiſſem.

SPECIES DIAMBRÆ

REC. Cardamomi majoris, cardamomi minoris ana drachmam unam, caryophyllorum, cinnamomi, rad. doronici, folii Indici, galangæ, macis, nuciſtæ ana drachmas tres, ligni aloes, ſantali citrini, piperis longi ana

drachmas duas, ſpicæ Indicæ drachmam unam, zingiberis drachmam unam cum dimidia, ambræ drachmam, moſchi drachmam ſemiſſem. M. F. P. Species hæ plerumque abſque ambræ & moſchi additione primum præparantur, & adſervantur, ac, volente demum medico, tempore uſus, concreta memorata adduntur.

QVANDO citra moſchi & ambræ additionem præparatæ fuerunt, cum ſpeciebus diacinnamomi valde conveniunt, eaſdemque virtute nervina atque cephalica ſuperant. Specialius in vertigine, epilepſia, adfectibus ſoporoſis, apoplexia pituitoſa, imbecillitate viſus atque memoriæ, & in variis ventriculi atque inteſtinorum adfectibus frigidis ac flatulentis, &c. commendantur. Si ambram & moſchum receperunt, multis ob nimiam fragrantiam diſplicent. *Incompletæ* a ſcrupulo dimidio ad integrum, *completæ* autem, h. e., cum moſcho & ambra, ſaltem a granis 8. ad 15. dantur.

SPECIES DIANTHOS

REC. Cardamomi, caryophyllorum, cinnamomi, galangæ, ligni aloes, macis, nucis moſchatæ, ſeminis anethi, aniſi, ſpicæ Indicæ, zedoariæ, zingiberis, ana ſcrupulos quatuor, rad. glycyrrhizæ, florum roſarum, violarum ana drachmas ſex, flor. roriſmarini unciam unam. M. F. P.

QVOAD

QVOAD vires & uſum cum ſpeciebus aromaticis roſatis conveniunt, & a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam exhibentur.

SPECIES DIAPENIDIORVM

REC. Amyli candidiſſimi, caryophyllorum, cinnamomi, gummi Arabici, ſeminum quatuor frigidorum excorticatorum non rancidorum, ſucci glycyrrhizæ, tragacanthi, zingiberis ana drachmam unam cum dimidia, amygdalarum dulcium decorticatarum, nucum pinearum decort., ſeminis papaveris albi ana drachmas tres cum ſemiſſe, ſachari penidii uncias duas. M. F. P.

RECENTISSIME paratæ partim vires roborantes, partim incraſſantes pectorales poſſident, ac tuſſi acri laborantibus egregie opitulantur: Sin vetuſtiores autem factæ fuerint, & ſemina ac fructus rancorem contraxerint, parum ab iis auxilii in pectoris morbis exſpectandum erit. Doſis a drachma dimidia ad integram adſcendit.

SPECIES DIARRHODON ABBATIS

REC. Aſari, cardamomi, caryophyllorum, cinnamomi, croci, ligni aloes, maſtiches, rhabarbari electi, ſeminum aniſi, baſilici, berberum, fœniculi, intybi, lactucæ, papaveris albi, portulacæ, quatuor frigidorum majorum decorticatorum, ſpicæ Indicæ, ſucci

glycyrrhizæ ana ſcrupulum unum, margaritarum, oſſis de corde cervi ana ſcrupulum ſemiſſem, gummi Arabici, tragacanthi, raſuræ eboris ſubtiliſſimæ ana ſcrupulos duos, ſantali albi, ſantali rubri ana drachmas duas cum dimidia, roſarum rubrarum, ſachari Candi albi ana uncias duas. Miſce, fiat pulvis, cui, ut compoſitio ſecundum deſcriptionem evadat completa, ſequentia, nimirum galliæ moſchatæ ſcrupulus unus, camphoræ grana ſeptem, & moſchi grana quatuor addenda ſunt.

COMPOSITIO hæc, quæ, teſte B. SCHVLTZIO, EBN ABASSVM *Perſam*, qui vulgo *Haly Abbas* dicitur, auctorem habet, diverſæ quidem naturæ ingredientibus nimium abundat, & aliquam pariter corruptionis labem, ſi ſemina quatuor frigida majora addantur, temporis ſucceſſu contrahit; attamen, quum varia etiam aromatica ſelecta, & roborantia balſamica eam ingrediantur, ventriculum ac viſcera confortat, & obſtructa quoque poſteriora aperire iterum, adeoque in ictero ſpecifice prodeſſe traditur. Datur per ſe a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam, & ſubinde etiam infuſis purgantibus additur.

SPECIES DIATRAGACANTHI FRIGIDI

REC. Amyli unciam dimidiam, glycyrrhizæ, ſeminum quatuor frigidorum majorum decorticatorum drachmas duas, ſem. papaveris albi drachmas tres, gummi Arabici drachmas decem, tragacanthi uncias duas, ſachari Penidii uncias tres. Miſce, fiant lege artis Species.

OB largam ſachari penidii additionem largiori quoque doſi, nimirum a drachma dimidia ad integram, raucedine, angina ſpuria, tuſſi, &c., laborantibus porrigendæ, ac partitis vicibus ori ingerendæ ac deglutiendæ ſunt. Humores enim nimis tenues, ſi adhuc recentes ſint, vel omiſſis ſeminibus quatuor frigidis, quæ facile rancescunt, præparatæ, paullulum incraſſant, acrimoniam ſalinam quamcunque temperant, & partes ſolidas eroſas demulcent.

SPECIES DIAXYLALOES

REC. Balſamitæ, been utriuſque, carabe, cardamomi utriusque, caryophyllorum, cinnamomi, coralliorum rubrorum, corticum citri, cubebarum, cyperi longi, folii Indici, foliorum citri vel lauri, macis, majoranæ, margaritarum præp., maſtiches, menthæ criſpæ, nucis moſchatæ, ocymi caryophyllati, piperis longi, ſpicæ Indicæ, zedoariæ, zingiberis ana unciam ſemiſſem, roſarum rubrarum, ligni aloes ſelecti, ana unciam unam. Miſce, fiant Species. Nonnulli, ut ſpecies, uti vocant, *completas* obtineant, hiſce adhuc galliæ

galliæ moſchatæ drachmam unam cum dimidia, & moſchi ſcrupulos duos addunt.

PRÆCIPVA aromatica atque balſamica tum indigena, tum maxime exotica hanc MESVES compoſitionem ingrediuntur, & ob valde calidam proinde naturam in frigidis duntaxat morbis, qui nervina, roborantia, commoventia, atque calefacientia expoſcunt, illa præſcribenda eſt. Vulgo hæ ſpecies in debilitate ventriculi, cruditatibus primæ culinæ mucidis atque flatulentis, palpitatione cordis, vertigine, imbecillitate capitis & memoriæ, melancholia, ſyncope, coryza chronica, cachexia, &c., commendantur. Subinde etiam capiti, aliiſque partibus debilitatis, aut paralytice reſolutis, ſub cucuphæ aut ſacculi forma, adplicantur, & ſæpiſſime pariter inter maſticatoria, quæ halitum oris corrigunt, ac virulentarum exhalationum ingreſſum in ventriculum & pulmones, graſſantibus morbis contagioſis, impediunt, locum obtinent. Dantur interne a ſcrupulo ad drachmam dimidiam, vel ſaltem, ſi moſchus acceſſerit, a ſcrupulo dimidio ad integrum.

SPECIES DE HYACINTHO

REC. Boli Armenæ, coralliorum rubr. præp., hyacinthorum præparatorum, terræ Lemniæ veræ, aut ſigillatæ Strigenſis ana drachmam unam cum ſemiſſe, radicum diptamni albi, tormentillæ, ſem. acetoſæ, citri decorticati, portulacæ, cornu cervi præparati,

rati, raſuræ eboris, oſſis de corde cervi præp., croci optimi, myrrhæ ſelectæ, roſarum rubrarum, ſantalorum omnium ana ſcrupulos quatuor, margaritarum præparatarum, ſmaragdorum præp. ana drahmam unam. M. fiant Species.

ROBORANDO ac leniter adſtringendo agunt in corpore, &, nitroſis atque temperantibus acidulis additæ, exorbitantes hæmorrhagias, & nimia pariter profluvia feroſa compeſcunt. Dantur in caſibus memoratis a granis quinque ad ſcrupulum ſemiſſem.

SPECIES HIERÆ PICRÆ
RHASIS

REC. Aloes unciam unam, aſari, carpobalſami aut cubebarum, caſſiæ ligneæ, cinnamomi, ligni aloes loco Xylobalſami, maſtiches, roſarum rubrarum, ſpicæ Indicæ ana ſcrupulum unum & dimidium. M. fiant Species.

NISI hæ ſpecies ad pillularum cochiarum compoſitionem neceſſariæ eſſent, commode ex officinis exterminari poſſent, præſertim, cum illæ ob nimiam amaritiem ægrotantibus parum arrideant. Alvum cæteroquin laxant, & ſanguinem viſcidum attenuant, adeoque etiam in adfectibus frigidis arthriticis atque rhevmaticis, itemque in hemicrania rebelli, æque ac pillulæ cochiæ, ſpecifice prodeſſe creduntur. Doſis a granis 5. ad ſcrupulum dimidium adſcendit.

SPE-

SPECIES MORSVLORVM IMPERATORIS

REC. Caryophyllorum unciam dimidiam, cinnamomi electi drachmas decem, galangæ, macis, nucis moſchatæ ana drachmas duas, zingiberis unciam unam, moſchi optimi ſcrupulum ſemiſſem. M. fiant Species.

VIRTVTE nervina, cephalica, cardiaca, carminativa & ſtomachali roborante pollent, & in coryza chronica, debilitate capitis, vertigine, paralyſi, cachexia, adfectibus flatulentis frigidis, & ventriculi imbecillitate non contemnendam ſubinde, præſertim apud ſubjecta phlegmatica, opem ferunt. Dantur optime, vel paullo ante, vel paullo poſt paſtum, a ſcrupulo ſemiſſe ad integrum.

SPECIES CEPHALICÆ PRO CVCVPHIS

REC. Florum anthos, cheiri, lavendulæ, liliorum convallium, ſalviæ, ſtœchados Arabicæ ana drachmam unam, foliorum roſarum rubrarum manipulos duos, lauri, majoranæ, ana pugillos duos, hb. meliſſæ, menthæ criſpæ, roriſmarini, ſerpilli cum floribus ana pugillum unum, ſeminis coriandri groſſiuſcule contuſi, ſem. nigellæ ana ſcrupulum unum, rad. iridis Florentinæ, ſuccini albi electi, raſuræ ligni Rhodii ana drachmas duas,

duas, caryophyllorum, cubebarum, macis ana ſcrupulum unum, nucis moſchatæ, benzoes, ſtoracis calamitæ ana drachmam unam, maſtiches, olibani ana drachmam ſemiſſem. M. fiat pulvis groſſiuſculus.

EX CONCRETIS aromaticis atque balſamicis ſelectioribus componuntur, & capiti ſub cucuphæ forma adplicatæ non tantum capitis integumenta externa, ſed ipſam etiam duram meningem egregie roborant, adeoque etiam in hemicrania rebelli, coryza chronica, debilitate memoriæ, vertigine, apoplexia pituitoſa, adfectibus ſoporoſis, epilepſia idiopathica, melancholia, imbecillitate viſus & auditus, cæterisque morbis, a generis nervoſi ac membranarum debilitate primario pendentibus, utiliſſimæ deprehenduntur; immo, aliis quoque membris debilitatis aut paralyticis, ſub ſaccullorum aut epithematum forma, cum fructu inſigni imponi poſſunt.

SPECIES PRO EPITHEMATE CAPITIS

REC. Herbæ majoranæ, matriſylvæ, verbenæ ana manipulum unum, florum nymphææ, roſarum ana manipulum ſemiſſem, croci optimi drachmam dimidiam, nucis moſchatæ unciam ſemiſſem, nucleorum Perſicorum drachmas ſex, ſeminis papaveris albi drachmas quinque. Groſſiuſcule conciſa atque contuſa miſceantur.

LINTEO duplicato interpositæ plerumque aceto humectantur, & fronti atque temporibus adplicantur, ut dolores capitis vehementiores mitigent, ac somnum inducant.

SPECIES PRO EPITHEMATE CORDIS

REC. Bacc. utriusque, cinnamomi, doronici, macis, succini ana drachmam unam, croci optimi drachmam semissem, caryophyllorum, cort. citri, ligni aloes, seminis acetosæ ana drachmam unam cum dimidia, rosarum rubrarum, santalorum omnium ana drachmas duas, flor. borraginis, buglossi, melissæ ana manipulum semissem. Singulis hisce probe tritis, si placet, camphoræ grana sex, & moschi grana tria addi possunt, ut species *completæ* reddantur.

IN PALPITATIONE cordis, & anxietatibus præcordialibus, quæ plerumque in febribus malignis & exanthematicis accedunt, hæ species, aceto prius, aut succo citri, vel etiam vino generoso, aut aqua theriacali irroratæ, cum linteo duplicato scrobiculo ac toti regioni cordis vulgo adplicantur, licet parum inde auxilii exspectandum sit, quoniam particulæ volatiles balsamicæ ad ipsum cor penetrare, & præcipuam quoque anxietatis caussam hac ratione tollere nequeunt.

SECTIO

SECTIO X
DE PILVLIS, ROTVLIS MORSVLIS ATQVE TROCHISCIS

CAPVT I
DE PILVLIS ATQVE MASSIS PILVLARVM

§. I

PILLVLÆ seu rectius *Pilulæ* sunt medicamenta interna, solida, sicca, duriuscula, globulum aut parvam pilam, quæ denominationi ansam dedisse videtur, sphærica sua figura referentia.

§. II

INTVITV virtutis generalioris pilulæ in *evacuantes*, *alterantes*, *anodynas* atque *tonicas* dividuntur: *Evacuantes* ordinario atque frequentius catharsin, rarius paullo diuresin, diaphoresin aut ptyalismum provocant; *alterantes* humores viscidos resolvunt, commovent, purificant, aliasque virtutes exserunt; *anodynæ* dolores mitigant, profluvia exorbitantia cohibent, ac motus convulsivos sistunt,

fistunt, & *tonicæ* denique partes solidas debilitatas roborant.

§. III

AD pilularum compositionem tum *excipientia*, tum *excipienda* requiruntur. Ad illa *succi inspissati*, *rob*, *pulpæ*, *extracta*, *resinæ* ante miscelam nonnihil liquefactæ, *concreta gummosa* ac *gummeo-resinosa*, & *electuaria* pertinent; excipiendis autem quævis sicca pulverulenta adnumerantur, si duntaxat salia, præsertim alcalica, exceperis, quippe quæ facile humidum aeris attrahunt, adeoque efficiunt, ut massa duriuscula denuo mollis evadat, immo, cum plenaria figuræ globosæ jactura, penitus diffluat. Subinde etiam, tum justæ consistentiæ, tum gratiæ, tum etiam activitatis caussa, *syrupi*, *olea destillata*, præprimis suaveolentia, *balsami liquidi* & *tincturæ* adduntur.

§. IV

EX massis pilularum in officinis vel statim pilulæ formantur, vel illæ, sub *pastæ* forma, adservantur, donec usus globosam figuram postulet. Formatæ quoque pilulæ vel pulvere quodam, v. g. *sulphure lycopodii*, *pulvere glycyrrhizæ*, *cinnamomi*, &c., quæ humidi aerei, ut & salivæ atque vehiculi liquidi introitum deglu-

deglutitionis tempore aliquantulum prohibent, conspergunturvel *auro* aut *argento foliato* obducuntur, ut siccitas eo diutius perduret, nec sapor ingratus quoque nauseam producat, vel jam præsentem augeat.

PILVLÆ ATQVE MASSÆ PILVLARVM VSITATIORES

Pilulæ de aloe & masticbe.
- *de aloe rosata.*
- *aloephanginæ.*
- *de ammoniaco.*
- *cochiæ* RHASIS.
- *de cynoglosso.*
- *gummosæ* SYLVII *alterantes.*
- - - *evacuantes.*

Pilulæ marocostinæ.
- *mastichinæ.*
- *pestilentiales* AVICENNÆ.
- - RVFFI.
- *de styrace.*
- *de succino* CRATONIS.
- *de terebinthina.*

PILVLÆ DE ALOE ET MASTICHE

REC. Aloes Soccotrinæ unciam unam, masticbes electæ unciam semissem, caryophyllorum, foliorum rosarum rubrarum ana drachmam unam, croci optimi, diagrydii ana scrupulos duos. Fiat cum succo absinthii massa pilularum.

MVCVM abstergunt, viscera aperiunt, alvum laxant, & ventriculum atque intestina roborant. Adultis, aperiendi ac roborandi fine, a granis quinque ad decem, laxandi autem scopo, a granis 15. ad 25. exhibentur.

PILVLÆ DE ALOE ROSATA

REC. Aloes Soccotrinæ unciam unam, aquæ roſarum quantum ſatis. Solve priorem lenis ope digeſtionis in aqua roſarum, & ſolutionem claram, a partibus ſubſidentibus indiſſolubilibus decantatam, evaporando ad talem conſiſtentiam redige, ut inde pilulæ formari queant.

ALOE roſata ſecundum hanc methodum, quæ vulgari utique præferenda eſt, præparata, ex meris propemodum partibus mitioribus gummoſis conſtat, & alvum proinde, citra ſingularem ſanguinis commotionem, blande movet, inertiam bilis corrigit, vermes necat, atque ventriculum confortat. Laxandi fine a ſcrupulo dimidio ad grana 15., alterandi autem ac roborandi ſcopo, a quatuor duntaxat granis ad 6. 8., præſcribuntur, & in caſu poſteriori paullo ante paſtum optime adſumuntur.

PILVLÆ ALOEPHANGINÆ SEV AROMATICÆ MESVES

REC. Radicum aſari, calami aromatici, cardamomi, caryophyllorum, cinnamomi, cubebarum, galangæ, ligni aloes, macis, ſchœnanthi, ſpicæ Indicæ ana unciam unam, ſummitatum abſinthii ſiccarum, foliorum roſarum ſiccarum ana drachmas quinque. Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, cujus pars dimidia cum quatuor aquæ fontanæ libris leni

leni igne ad mediæ partis conſumtionem coquatur, decoctum poſt fortem ſpecierum expreſſionem coletur, eidemque aloes Soccotrinæ, aqua pluviali ſolutæ ac depuratæ, libra una addatur, & evaporando ad extracti molliuſculi ſpiſſitudinem redigatur, ut cum pulvere reſiduo, ut et maſtiches uncia una & ſemiſſe, myrrhæ electæ drachmis quinque, ac croci drachmis tribus in maſſam pilularem juſtæ conſiſtentiæ, exacta adjuvante miſcela, redigi poſſit.

IMPVRITATES mucidas abſtergunt, humores craſſos attenuant, ventriculum, viſcera ac quævis ſolida nervoſo-membranacea roborant, & alvum blande movent, adeoque in adpetitus & digeſtionis vitiis, febribus intermittentibus, obſtructione viſcerum chronica, tumoribus glandularum, cachexia, adfectibus catarrhalibus ac frigidis rhevmaticis, &c., proficuæ deprehenduntur. Doſis a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam adſcendit.

PILVLÆ DE AMMONIACO

REC. Gummi ammoniaci depurati, cum aceto ſcillitico ſoluti, drachmas ſex, extracti aloes Soccotrinæ uncias quatuor, myrrhæ electæ unciam ſemiſſem, maſtiches electæ, ſpecierum diatrium ſantalorum ana drachmam unam cum dimidia, croci optimi, ſalis

absinthii, salis fraxini ana scrupulos duos. Fiat cum syrupo de stœchade massa pilularis.

VIRTVTE laxante, resolvente, abstergente, ac roborante pollent, & in iisdem morbis, in quibus pilulæ *aloephanginæ*, seu *aromaticæ* MESVES commendatæ fuerunt, ut et in adfectibus pectoris, a muco tenaci pendentibus, nec minus in nephritide pituitoso-sabulosa & pertinaci uteri obstructione locum inveniunt. Dantur a scrupulo dimidio ad integrum.

PILVLÆ COCHIÆ RHASIS

REC. Specierum hieræ picræ Rhasis drachmas decem, pulpæ colocynthidis unciam dimidiam, diagrydii drachmas duas cum semisse, turbith, stœchados Arabicæ ana drachmas quinque. Fiat cum syrupo de stœchade massa pilularis.

CATHARSIN provocant, & in hemicrania chronica atque rebelli, nec minus in adfectibus arthriticis ac frigidis rhevmaticis specifice prodesse creduntur. Dosis a scrupulo dimidio ad scrupulum integrum, immo drachmam semissem adscendit.

PILVLÆ DE CYNOGLOSSO

REC. Radicum siccarum cynoglossi, seminis hyoscyami albi, opii depurati ana unciam dimidiam, myrrhæ drachmas sex, thuris drachmas quinque, styracis calamitæ, caryophyllo-

phyllorum, cinnamomi ana drachmas duas. Fiat cum anatica quantitate succi de cynogloſſo & syrupi violarum massa pilularis.

SOMNVM inducunt, dolores mitigant, profluvia sistunt, motus exorbitantes compescunt, & specificas in tussi convulsiva, hæmoptysi, mictu cruento, motibus convulsivis, &c. vires subinde exserere dicuntur. Nostra ætate rarius per se, a granis duobus ad grana quatuor, quinque, præscribuntur, sed plerumque, ad granum unum vel plura, pulveribus, præsertim nitrosis, aliisque medicamentis adduntur.

PILVLÆ GVMMOSÆ ALTERANTES SYLVII

REC. Gummi galbani, aceto scillitico, aut vini destillato depurati, vel ejus loco gummi ammoniaci, eodem modo depurati, scrupulos duos, vitrioli martis, leni calore ad albedinem calcinati, succini albi aut flavi ana scrupulum unum, myrrhæ rubræ, croci orientalis, castorei optimi ana scrupulum semissem, olei mastichis destillati guttas octo, aut quantum sufficit. Fiat inde massa pilularis.

VIRES resolventes ac roborantes possident, &, a granis octo ad 15. exhibitæ, in adfectibus pituitosis catarrhalibus ac febribus intermittentibus specifice prodesse traduntur.

PILVLÆ GVMMOSÆ SYLVII EVACVANTES

REC. Gummi galbani aut ammoniaci, prædicto modo depurati, ſcrupulos duos, vitrioli martis, blando calore ad albedinem calcinati vel ſaltem exſiccati, maſtiches electæ ana ſcrupulum unum, càſtorei optimi, myrrhæ rubræ ana grana quindecim, croci orientalis ſcrupulum ſemiſſem, trochiſcorum alhandal drachmam unam, reſinæ jalappæ, reſ. ſcammonii ana ſcrupulum unum, olei corticum citri ſcrupulum dimidium. Fiat maſſa pilularis.

HVMORES craſſos, & pituitoſas primæ culinæ cruditates non tantum reſolvunt, abſtergunt, atque per alvum educunt, ſed ſolidas etiam partes, ob varia ingredientia balſamica, nonnihil roborant: Hinc in chronicis præcipue morbis, qui ſolidorum atoniæ, humorum lentore ac mucida indole ſtipatæ, originem debent, uſus earundem commendari meretur. Doſis a ſcrupulo dimidio ad grana quindecim, immo integrum ſcrupulum adſcendit.

PILVLÆ MAROCOSTINÆ ET MASTICHINÆ

PRIORES ex ſupra deſcripto extracto marocoſtino parantur, adeoque de compoſitione, natura, viribus ac doſi nihil amplius hoc loco dicendum eſt: Quod *maſtichinas* autem attinet,

attinet, illæ ſequenti modo conficiuntur: Rec. maſtiches electæ unciam ſemiſſem, agarici optimæ notæ drachmas tres, aloes Soccotrinæ drachmas decem. Fiat inde cum melle roſato maſſa pilularis.

LENIOREM provocant catharſin, vermes necant, inertiam atque lentorem bilis corrigunt, ventriculum ac viſcera roborant, ſanguinem purificant, & fluxum menſtruum atque hæmorrhoidalem promovent. Dantur a granis 15. ad 25.

PILVLÆ PESTILENTIALES AVICENNÆ

REC. Aloes Soccotrinæ unciam unam, croci orientalis optimi, myrrhæ rubræ electæ ana unciam ſemiſſem. Fiat inde cum vino generoſo maſſa pilularis.

IN FEBRIBVS malignis ac peſtilentialibus, ob calidam indolem, non adeo tuto exhiberi poſſunt, ad purificandos vero humores, ventriculum ac viſcera roboranda, alvum blande ſubducendam, & fluxum hæmorrhoidalem, menſtruum ac lochialem promovendum ſecurius præſcribuntur. Apud adultos doſin completam grana 15. vel 20. conſtituunt.

PILVLÆ PESTILENTIALES RVFFI

REC. Aloes puriſſimæ, gummi ammoniaci depurati ana unciam unam, myrrhæ ſelectæ

unciam ſemiſſem. Fiat inde cum ſucco limoniorum maſſa pilularis.

PARVM a præcedentibus diſtinctæ inveniuntur, præterquam, quod paullo fortius reſolvant & abſtergant, & ideo etiam in viſcerum obſtructione vires majores exſerant. Dantur a ſcrupulo dimidio ad integrum.

PILVLÆ DE STYRACE

REC. Styracis calamitæ drachmas duas, ſucci glycyrrhizæ depurati drachmam unam cum dimidia, ladani, myrrhæ, olibani optimi, opii, aqua deſtillata depurati & inſpiſſati, extracti croci ana drachmam unam. Fiat inde cum ſyrupo papaveris albi maſſa pilularis.

TENVEM temperando acrimoniam, nec minus diſcutiendo ac roborando agunt, & ſatis eminenti virtute anodyna, hypnotica atque ſedativa pollent. Aliis medicamentis, in defluxionibus catarrhalibus, convulſionibus, doloribus atrocioribus & profluviis exorbitantibus, tum ſanguineis, tum ſeroſis, ut & tuſſi vehementiori exhibendis, doſi refracta adduntur, vel etiam per ſe, a granis quinque ad ſcrupulum dimidium, qui unicum opii granum continet, ægris porriguntur.

PILVLÆ DE SVCCINO CRATONIS

REC. Agarici recenter trochiſcati drachmam unam cum ſemiſſe, aloes Soccotrinæ drachmas quinque, ariſtolochiæ rotundæ veræ drachmam dimidiam, maſtiches electæ, ſuccini præparati ana drachmas duas. Fiat inde cum ſyrupo de betonica maſſa pilularis.

INTER pilulas blande laxantes & anticatarrhales militant. Dantur a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam.

PILVLÆ DE TEREBINTHINA

REC. Terebinthinæ Venetæ, ad conſiſtentiam cum aqua roſarum coctæ, unciam unam, rhabarbari electi drachmam unam, ſuccini præparati, maſtiches electæ, olibani ana drachmam ſemiſſem, boli Armenæ drachmam unam. Fiat inde cum ſufficienti terebinthinæ Venetæ quantitate maſſa pilularis.

MEDICAMENTIS abſtergentibus, travmaticis atque diureticis adnumerantur, & ſpecifice, præmiſſis tamen præmittendis, in fluore albo mulierum, gonorrhoea virulenta, ulcere veſicæ, & nephritide pituitoſo-ſabuloſa commendantur. Exhiberi poſſunt a ſcrupulo dimidio ad drachmam ſemiſſem.

CAPVT

CAPVT II
DE
ROTVLIS, MORSVLIS ATQVE TROCHISCIS

§. I

MORSVLI ac ROTVLÆ ſunt medicamenta ſicca ac ſolida interna, ex variis ſpeciebus, præſertim aromaticis, pulveriſatis, aut minutim duntaxat conciſis, ac poſtea cum ſacharo, in aqua quadam deſtillata diſſoluto, & denuo ad juſtam conſiſtentiam coquendo redacto, parata. Perfecte igitur quoad ingredientia ſeu materiale conveniunt, ac ſola tantum forma externa, quæ in morſulis *teſſelata*, ſive *oblonga quadrata*, in rotulis autem *rotunda* ſive *orbicularis* eſt, ab invicem differunt: Hinc priores etiam *teſſellæ*, *teſſellulæ*, *tabulæ*, poſteriores *orbiculi*, *orbiculæ*, vocantur.

§. II

PRÆCIPVVM ac propemodum univerſale *excipiens*, uti ex prædictis dudum conſtat, *ſacharum* purum atque album, in aqua roſarum, violarum, aut alia deſtillata adpropriata diſſolutum, conſtituit; ad *excipienda* vero varia concreta mineralis, animalis ac vegetabilis proſapiæ, v. g. *ambra*, *ſuccinum*, *bolus armena*

armena, *corallia*, *moſchus*, *lapides cancrorum*, *radices*, *herbæ*, *flores*, *ſemina*, *fructus*, *reſinæ*, *aromata* &c., ut & præparata quædam chymica & pharmacevtica, v. g. *ſpecies*, *condita*, *pulveres compoſiti*, *conſervæ*, *olea deſtillata ſuaveolentia* &c. referuntur.

§. III

EXCIPIENDA ſacharo diſſoluto, & poſt aliquam coctionem deſpumato, vel integra adduntur, vel prius, pro differenti ſua textura, minutim conſcinduntur, aut in pulverem, nunc groſſiorem, nunc ſubtiliorem, rediguntur, ut eo melius cum ſolutione ſacharina miſceri queant. In genere tamen notandum erit, rotulas ordinario pauca, eaque ſubtiliora, morſulos autem plura ac groſſiora ingredientia recipere, quoniam hi majores, illæ minores exiſtunt. Silentio pariter haud prætereundum eſt, olea deſtillata, aliaque volatilia, non ſtatim ſub coctionis initium, ſed in fine demum, poſtquam ſacharum jam ad notabilem ſpiſſitudinem perductum fuit, miſcenda eſſe, ne diuturniori exhalatione quoad maximam partem conſumantur.

§. IV

A ROTVLIS, intuitu formæ externæ, parum diſtincti ſunt TROCHISCI, præterquam, quod

quod plerumque majores ſint, & ſtella, vel ſubinde etiam figura alia ſignati inveniantur. Ordinario ex pulveribus, cum mucilagineis, v. g. *mucilagine tragacanthi*, *ſeminis pſyllii*, *cydoniorum*, *aqua mulſa*, *ſuccis plantarum expreſſis*, *infuſis gummoſis*, vel interdum etiam, ſi inter pulveres pridem mucilaginea reperiantur, cum *aqua quadam deſtillata* in paſtam redigendis, conficiuntur, ac poſtea, conſueta prius forma inducta, exſiccantur.

§. V

VIRTVTES medicæ morſulorum, rotularum atque trochiſcorum hoc loco, neque generalius, neque ſpecialius, recenſeri poſſunt, quum unice ex ingredientium ſpecifica indole ac viribus determinandæ ſint.

MORSVLI, ROTVLÆ, ATQVE TROCHISCI VSITATIORES

Morſuli contra ardorem ſtomachi.
- - *peſtem.*
- - *vermes.*
- *Imperatoris cum fructibus.*
- *de rhabarbaro.*
- *antimoniales ſ. reſtaurantes* KVNCKELII.

Rotulæ de rhabarbaro.
- *ſtimulantes* MYNSICHTI.

Rotulæ contra vermes LENTILII.
- *manus Chriſti ſimplices.*
- - - *perlatæ.*
- *diaireos ſimplicis.*

Trochiſci alhandal.
- *alkekengi cum opio.*
- *bechici albi ſine moſcho & ambra.*
- - *nigri.*
- *de carabe ſive ſuccino.*
- *galliæ moſchatæ.*

MOR-

MORSVLI CONTRA ARDOREM STOMACHI

REC. Boli Armenæ præparatæ drachmam unam, coralliorum rubrorum præparat. drachmam ſemiſſem, cretæ, cum aqua roſarum præparatæ, unciam dimidiam, cinnamomi, cornu cervi præp., lapidum percarum præp., lapid. cancrorum præp., matris perlarum præparatæ ana drachmam ſemiſſem, macis, maſtiches electæ, nucis moſchatæ ana ſcrupulum unum, pulveris ſeminis cydoniorum drachmam unam, ſachari, in ſufficienti quantitate aquæ roſarum diſſoluti, uncias octo. Miſce, fiant lege artis Morſuli.

OB ingredientia terrea acidum primæ culinæ, quod ventriculi ardorem perſæpe provocare ſolet, extinguunt, ob aromatica & balſamica autem tunicas ventriculi roborant, & ideo digeſtionis negotium promovent. Adſumuntur jejuno ſtomacho ab uncia dimidia ad integram.

MORSVLI CONTRA PESTEM

REC. Radicum angelicæ, diptamni albi, oſtrutii, pimpinellæ, valerianæ, zedoariæ ana unciam ſemiſſem, myrrhæ rubræ drachmas ſex, boli Armenæ, terræ ſigillatæ ana unciam unam, camphoræ drachmas duas, nucis vomicæ decorticatæ drachmam unam,

theriacæ

theriacæ Andromachi unciam ſemiſſem, ſachari albi, in aqua ſcordii & roſarum anatica atque ſufficiente quantitate diſſoluti, libras duas. M. F. l. a. morſuli.

TEMPORE peſtis, aliarumque febrium contagioſarum, tum curandi, tum præſervandi fine, ab uncia dimidia ad integram & ultra, non ſine fructu poſſunt adſumi. Ex ſatis activis enim atque bonis ſpeciebus, diſcutientibus, diaphoreticis, atque antiputredinoſis balſamicis conſtant, & adhuc ſelectiones futuri eſſent, ſi nux vomica penitus exularet. Specifice etiam contra morſum animalium rabidorum prodeſſe creduntur.

MORSVLI CONTRA VERMES

REC. Pulveris contra vermes ſupra deſcripti unciam unam, ſachari, in ſufficienti quantitate aquæ roſarum ſoluti & clarificati, uncias quatuor. M. F. l. a. morſuli.

DANTVR infantibus, a drachma una ad drachmas duas, & titulo omnino ſatisfaciunt. Binæ morſulorum drachmæ, quod addendum eſt, mercurii dulcis, ſi debite per totam maſſam ſub præparatione diſtributus fuerit, grana duo cum dimidio circiter continent.

MORSVLI IMPERATORIS CVM FRVCTIBVS

REC. Conſervæ roſarum Damaſcenarum unciam ſemiſſem, ſpecierum pro morſulis Imperatoris ſupra deſcriptarum drachmas tres, ſpecierum aromaticarum roſatarum, cinnamomi acuti ana drachmam unam, amygdalarum dulcium, recens decorticatarum, pinearum enucleatarum, piſtaciorum mundatorum ana unciam ſemiſſem, ſachari albiſſimi, in aqua roſarum ſoluti, uncias octo. Fiant l. a. morſuli.

VENTRICVLVM confortant, & ob ſaporem gratum a pleriſque in deliciis habentur. Ab uncia dimidia ad integram & ultra adſumi poſſunt.

MORSVLI DE RHABARBARO

REC. Cremoris tartari, pulveris rhabarbari optimi ana drachmas duas, flavedinis corticum citri, recenter a duobus aut tribus citri pomis deraſæ, drachmam ſemiſſem, ſachari albi, in aqua roſarum ſoluti, uncias quatuor. Fiant l. a. morſuli.

ALVVM blande ſubducunt, & impuritates mucido-bilioſas in ſpecie abſtergunt, ſi a drachmis ſex ad unciam unam adultis porrigantur.

MORSVLI ANTIMONIALES SIVE RESTAVRANTES KVNCKELII

REC. Antimonii crudi ſubtiliſſime pulveriſati uncias duas & drachmas duas, ſpecie-

rum pro morſulis Imperatoris unciam ſemiſſem, condit. corticum citri uncias quatuor, amygdalarum dulcium excorticatarum uncias tres, ſachari albi libras duas. Fiant l. a. morſuli.

KVNCKELIVS in *Laborat:orio ſuo chymico pag. 433. ſequ.* morſulis antimonialibus miras plane virtutes tribuit, & varios caſus notabiles de inſigni eorum efficacia recenſet, quæ ipſis etiam denegari nequit, licet eventus in caſibus ſimillimis atque analogis, teſte aliorum experientia, exſpectationi non ſemper ex aſſe reſpondeat. Præcipua cæteroquin virtus ad antimonium crudum redundat, quod, præter leniorem catharſin, etiam blandam diaphoreſin provocat, & egregium utique medicamentum purificans, & aperitivum exiſtit, citra ullum venenati effectus metum, ſanis & ægris exhibendum, præſertim, ſi pulveriſatum cum dulcibus & oleoſo-mucilagineis temperatis juſta doſi exhibeatur. Vulgo hi morſuli in pertinaci catameniorum ac viſcerum obſtructione, gonorrhœa virulenta, fluore albo, colica rebelli metallicolarum, nec minus in adfectibus ſcabioſis, ſcorbuticis, rhevmaticis, arthriticis, catarrhalibus atque cachecticis commendantur, & a drachmis duabus ad unciam dimidiam, quæ propemodum IX. grana antimonii continet, porriguntur. Si doſis altius adſcendit, facile vomitum producunt; hinc ſemper quoque doſi, primum minori, poſtea tamen, ſi neceſſe fuerit, paullatim augenda, eos offerre præſtat. Variæ horum morſulorum deſcriptiones innotuerunt, in quibus antimonii quantitas variat, adeoque etiam practicus nunquam illos præſcribere debet, niſi prius reſciverit, quantum antimonii crudi certam morſulorum quantitatem ingrediatur.

ROTVLÆ DE RHABARBARO VT ET STIMVLANTES MYNSICHTI

PRIORES ad inſtar morſulorum de rhabarbaro, & ex iisdem quoque ſpeciebus conficiuntur, præterquam, quod ex maſſa inſpiſſata loco tabularum rotulæ formentur; *poſteriores* autem ita parantur: Rec. boracis Venetæ drachmas duas, ſeminis fraxini ſeu linguæ avis drachmam unam, boleti cervini, carnis ſcincorum ana drachmam dimidiam, piperis longi ſcrupulum unum, corp. cantharidum, olei cinnamomi ana ſcrupulum ſemiſſem, ſachari albi, in aqua radicis ſatyrionis & anthos ſoluti, uncias ſex. M. fiant lege artis rotulæ.

ROTVLÆ *de rhabarbaro*, quoad uſum ac doſin, cum morſulis hujus nominis perfecte conveniunt. Quod *ſtimulantes* MYNSICHTI autem attinet, illæ, ob validam vim irritantem, quæ cantharidum pulveri præcipue in acceptis ferenda

renda eſt, inter potentiora aphrodiſiaca militant. Cavendum ſaltem, ne ſubjectis ſiccis ac ſenibus, qui ſpermatis penuria laborant, doſi majori aut vice reiterata exhibeantur. Experientia enim ſæpius docuit, ejuſmodi hominibus melius aphrodiſiaca largiſſime nutrientia, quam ſtimulantia, conducere; immo experientia aliquoties docuit, morſulos hoſce, ſenibus aliisque ſubjectis ſiccis doſi majori aut intempeſtive oblatos, mictum cruentum, cum ingenti, valde dolorifico, & ſubinde prorſus lethali priapiſmo, produxiſſe. Dantur a drachma una, quæ quintam circiter grani partem pulveris cantharidum continet, ad drachmas duas.

ROTVLÆ CONTRA VERMES LENTILII

REC. Mercurii dulcis rite præparati drachmam unam cum dimidia, ſachari, in aqua graminis aut roſarum ſoluti, uncias tres, ſucci berberum quantum ſatis. Fiant l. a. rotulæ.

TITVLO ſuo ſatisfaciunt, & infantibus, a ſcrupulo dimidio ad drachmam dimidiam, imo integram, offeruntur. Vna enim morſulorum drachma circiter grana tria cum tertia grani parte mercurii dulcis recipit.

ROTVLÆ MANVS CHRISTI SIMPLICES ET PERLATÆ

REC. Sachari albiſſimi libram unam, aquæ roſarum fragrantiſſimæ quantum ſufficit ad diſtemperandum ſacharum, poſtea igne leniſſimo ad tabulati conſiſtentiam redigendum atque in rotulas effundendum. Quando ſacharo inſpiſſando ſub finem uncia dimidia margaritarum præparatarum miſcetur, *Rotulæ manus Chriſti perlatæ* inde reſultant.

SACHARO albo vulgari non præferendæ ſunt, & ideo ad præparata medica ſuperflua pertinent.

ROTVLÆ DIAIREOS SIMPLICIS

REC. Specierum diaireos ſimplicis unciam unam, ſachari albiſſimi, in aqua violarum ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati fere cocti, uncias octo. M. F. l. a. rotulæ.

VIRTVTE temperante, demulcente ac leniter abſtergente pollent, adeoque in morbis pectoris, præſertim tuſſi & raucedine, proficuæ deprehenduntur. Exhiberi poſſunt a drachmis duabus ad unciam integram.

TROCHISCI ALHANDAL

REC. Pulpæ colocynthidis, a ſeminibus liberatæ, minutimque conciſæ, uncias decem, macera in modica quantitate mucilaginis, aqua roſacea e gummi Arabici, bdellii, tragacanthi ana drachmis duabus extractæ, ita tamen, ut tantum madeſcat, deinde eam exacte exſiccatam in pulverem redige, & ex illo cum reſidua mucilagine efforma trochiſcos.

PERTINENT ad purgantia, & apud adultos a granis ſex ad decem præſcribuntur, vel doſi etiam minori aliis pilulis catharticis, ſtimulantis loco, adduntur.

TROCHISCI ALKEKENGI SIVE DE HALICACABO CVM OPIO

REC. Amygdalarum amararum decorticatarum, amyli, boli Armenæ, ſucci glycyrrhizæ depurati, gummi Arabici, tragacanthi, olibani, pinearum mundatarum, ſanguinis draconis præparati, ſeminis papaveris albi ana drachmas ſex, ſem. citrulli decorticati, ſem. cucurbitæ noſtratis decorticati, melonum decorticati ana drachmas tres cum ſemiſſe, ſem. apii, hyoſcyami, ſuccini albi, terræ ſigillatæ, opii depurati ana drachmas duas, baccarum alkekengi drachmas tres. Fiant inde cum ſucco halicacabi, e baccis recentibus, aut ſiccis, aqua roſacea maceratis, expreſſi, trochiſci.

RECENTIVS præparati, & a rancore, quem ſemina nonnulla oleoſa temporis ſucceſſu facile contrahunt, penitus adhuc immunes, non contemnendam incraſſandi, temperandi, demulcendi atque ſubadſtringendi virtutem poſſident; hinc in tuſſi acri, ardore urinæ, dyſenteria, cholera, febre lenta & hectica, ulceribus ichoroſis, teneſmo ani, aliiſque morbis, a nimia humo-

humorum tenuitate, & rodente acrimonia pendentibus, utiliſſime exhibentur a ſcrupulo uno ad drachmam integram, quæ granum unum ac fere dimidium opii in mixtione fovet, vel per ſe, vel ſyrupo quodam aut hydromelite diſtemperati. Proſtant adhuc alii *ſine opio* parati, qui diutius, quam præcedentes, & doſi majori ægris offerri poſſunt.

TROCHISCI BECHICI ALBI SINE MOSCHO ET AMBRA

REC. Amyli uncias tres, pulveris radicum iridis Florentinæ ſubtiliſſimi uncias duas, ſachari albiſſimi libras duas. Fiant inde cum ſufficienti gummi tragacanthi, aqua roſacea ſoluti, quantitate, trochiſci. Quando ſpeciebus recenſitis ambræ gryſeæ ſcrupulus unus & moſchi ſcrupulus dimidius additur, reſultant inde *Trochiſci bechici albi cum ambra & moſcho.*

TROCHISCI bechici incompleti, h. e. abſque moſcho & ambra parati, leniter incraſſant, ſalia acria obtundunt, reſolvunt atque abſtergunt, & in tuſſi acri, raucedine, aliiſque defluxionibus acribus catarrhalibus ſubinde locum inveniunt. Adſumi poſſunt ab uncia dimidia ad integram, & ultra.

TROCHISCI BECHICI NIGRI

REC. Pulveris radicum iridis Florentinæ uncias tres, liquiritiæ, ſeminis aniſi, fœniculi

ana uncias quinque, ſtyracis calamitæ depuratæ drachmas duas, ſucci liquiritiæ, in aqua hyſſopi diſſoluti, uncias quatuor, ſachari melitæi puriſſimi, mucilaginis tragacanthi, aqua roſarum ſoluti, quantum ſatis. Fiant inde lege artis trochiſci.

DEMVLCENDO, temperando & abſtergendo agunt, adeoque expectorationem promovent, fauces eroſas demulcent, & in raucedine, angina ſpuria, tuſſi acri, ſimilibusque adfectibus, præſertim, ſi, a ſaliva in ore paullatim in ſuccum reſoluti, ſenſim per fauces ad ventriculum defluant, aliquam opem ferunt.

TROCHISCI DE CARABE SEV SVCCINO

REC. Succini albi drachmas ſex, balauſtiorum, coralliorum rubrorum, cornu cervi uſti, gummi Arabici, gummi laccæ, tragacanthi, maſtiches, papaveris nigri, ſucci acaciæ, hypocyſtidis ana drachmas duas, croci, olibani, opii ana ſcrupulos quatuor, mucilaginis ſeminis pſyllii, aqua plantaginis extractæ, quantum ſufficit. Fiant inde l. a. trochiſci.

VIRTVTE incraſſante, roborante, adſtringente inſtructi ſunt, & ſpecifice ad compeſcendas hæmorrhagias exorbitantes commendantur, atque ſubinde etiam, præſente nimio alvi fluxu, clyſteribus adduntur. Doſis interne exhibendorum

dorum a ſcrupulo dimidio ad drachmam ſemiſſem adſcendit.

TROCHISCI GALLIÆ MOSCHATÆ

REC. Ambræ gryſeæ drachmas tres, ligni aloes drachmas quinque, moſchi drachmam unam, mucilaginis gummi tragacanthi, aqua roſarum fragrantiſſima extractæ, quantum ſufficit. Fiant inde trochiſci.

DISCVTIENTE, roborante, cephalica & cardiaca quidem virtute pollent; attamen, cum valde pretioſi ſint, multiſque, ob nimiam fragrantiam, adverſi, per ſe rarius interne in uſum vocantur, ſed aliis duntaxat pharmacis modica quantitate adduntur, vel particula, ad halitum corrigendum, in ore circumvolvitur. Doſis, ſi citra aliorum conſortium interne exhibendi ſunt, grana duodecim nunquam ſuperare debet. Eminentius eorum pretium jam ex ipſa denominatione patet: Vocabulum *Galliæ* enim, teſte B. SCHVLTZIO, *a* arabum ſermone, denotat *pretioſum*, & cum plures olim in uſu eſſent tales compoſitiones, ut *aromatica*, *Sebellina*, hæc diſtinctionis cauſſa cognomen *moſchatæ* obtinuit; cum, præter odorata, nihil habeat, ceteræ alia aromata, & ſic dicta cordialia recipiant. &c.

a) In Prælect. ad Diſpenſ. Brand. p. 403.

SECTIO XI

DE SYRVPIS, AQVIS ET ACETIS MVLSIS, OXYSACHARIS, ELÆOSACHARIS, JVLAPIIS, CONSERVIS CONFECTIONIBVS, ELECTVARIIS, LOOH, ET TRYPHERIS

CAPVT I

DE SYRVPIS, AQVIS ET ACETIS MVLSIS, OXYSACHARIS, ELÆOSACHARIS, JVLAPIIS ET CONSERVIS

§. I

SYRVPVS, SIRVPVS, SIRVBVS est medicamentum liquidum, spissiusculum, e succis expressis, decoctis aut infusis variorum vegetabilium, ut &, quanquam rarissime, animalium atque mineralium, cum melle aut sacharo, leni coctione aut evaporatione, ad justam consistentiam redactis, paratum.

§. II

SVCCI *expressi*, nec minus *decocta* & *infusa* vegetabilium, quæ in Officinis nostris syruporum confectioni unice propemodum impenduntur, debite, priusquam *sacharo* aut *melli*, quod posterius tamen rarissime adhibetur, addantur, spontanea subsidentia, colatione ac filtratione a partibus fæculentis liberantur, & deinde, in vase vitreo aut terreo apertd, *blanda coctione*, vel etiam, si ingredientia principiis prædita sint volatilioribus, in cucurbita, alembico suo tecta, *leni* saltem *evaporatione*, ad talem consistentiam, præmissa tamen consueta clarificatione, rediguntur, ut guttula, lapidi marmoreo, aut laminæ ferreæ politæ instillata, non amplius diffluat. Monendum tamen adhuc erit, consistentiam hyeme liquidiorem, æstate spissiorem esse debere, ne syrupi in grumos concrescant, aut situm contrahant.

§. III

SYRVPI, tum *simplices*, tum *compositi*, communi seu generali demulcente ac lubricante virtute valde quidem conveniunt, specialiori evacuante autem atque alterante plus minusve ab invicem distincti inveniuntur; dum alii emeticas, alii catharticas, alii diaphoreticas, vel diureticas, analepticas, anodynas, roborantes, adstringentes, refrigerantes, pectorales &c. vires in corpore exserunt. Generalis enim virtus lubricans atque demulcens

cens a ſacharo aut melle, ſpecificæ autem vires a reliquis ingredientibus, natura diverſis, præcipue dependent.

§. IV

AQVA MVLSA ſive HYDROMELI, ACETVM MVLSVM, ſive OXYMELI, OXYSACHARVM, & JVLEPVS ſive JVLAPIVM recte ſyruporum ſpecies æſtimantur. *Hydromeli* enim ex aqua & melle, *oxymeli* ex aceto & melle, *oxyſacharum* ex aceto & ſacharo, vel ſubinde etiam ex aceto, aqua, & ſacharo, & *julepus* denique ex aqua quadam deſtillata odorata, v. g. roſarum, violarum, &c., & ſacharo componuntur, ac poſtea, evaporatione leniſſima, aut ſimplici ſaltem ſuper leni igne ſolutione, ut julepus, vel blanda coctione ac deſpumatione, uti reliqua, ad ſyrupi conſiſtentiam deducuntur; quemadmodum hæc in ſequentibus ex ſpeciali quorundam deſcriptione clarius patebunt.

§. V

ELÆOSACHARA faciliori adhuc negotio ex ſacharo Canarienſi, & oleis deſtillatis aromaticis atque balſamicis parantur. Nihil amplius enim opus eſt, niſi, ut poſteriora ſacharo ſubtiliſſime pulveriſato modica quantitate

titate inſtillentur, poſteaque trituræ beneficio exactius cum eodem miſceantur. Activa cæteroquin medicamenta ſunt, quorum vires ſpecificæ ex additorum oleorum indole ac viribus dijudicandæ erunt.

§. VI

CONSERVÆ ſaporis gratia ſyrupos, conſiſtentia electuaria ſpiſſiora æmulantur, & ordinario ex ſacharo, & radicibus, herbis, floribus atque fructibus recentibus, contuſione quodammodo in pulpam redactis, ſimplici duntaxat interveniente miſcela, conficiuntur. Sachari & ſpecierum conſervandarum proportio nonnihil variat: Si contuſæ enim ſpecies ſucculentiores ſint, cuivis earum libræ binæ ſachari libræ adduntur; ſin illæ autem ſicciores exiſtant, ad libram unam tres ſachari libræ recipiuntur, & miſcela exactior deinde modica, aliquoties tamen inter pinſendum repetita, aquæ cujusdam deſtillatæ & adpropriatæ adſperſione promovetur.

SYRVPI, ACETA MVLSA, CONSERVÆ OXYSACHARA ET JVLAPIA VSITATIORA

Syrupus acetositatis citri.
- *altheæ* FERNELII.
- *corticum aurantiorum*
- *berberum.*
- *de betonica.*
- *cardui benedicti.*
- *ceraſorum acidorum.*
- *de cichorio c. rhab.*
- *de cinnamomo.*
- *corticum citri.*
- *coralliorum.*
- *cydoniorum.*
- *de eryſimo* LOBELII.
- *florum Perſicorum.*
- *de glycyrrhiza.*
- *de hyſſopo.*
- *jujubinus.*
- *maſtichinus.*
- *myrtinus compoſitus.*
- *papaveris albi.*
- *de quinque radicibus aperient.*
- *de ſtœchade.*
- *de ſymphyto* FERNELII.

Oxymeli ſimplex.
- *ſcilliticum ſimplex.*
- *ſcilliticum compoſitum.*

Oxyſacharum ſimplex.
- *compoſitum.*

Julepus roſarum.
- *violarum.*

Conſerva roſarum.
- *fumariæ.*
- *violarum.*
- *pœoniæ.*
- *flor. tunicæ.*
- *acori vulgaris.*
- *balauſtiorum.*
- *acetoſellæ.*
- *anthos.*
- *calendulæ.*
- *citri ex pulpa.*
- *boraginis.*
- *bellidis hortenſis.*
- *euphraſiæ.*
- *cochleariæ.*
- *majoranæ.*
- *menthæ rubræ.*
- *papaveris erratici.*
- *cichorii.*

Mel roſatum & anthoſatum.

SYRVPVS ACETOSITATIS CITRI

REC. Succi citri aut limoniorum recentis, ſine expreſſione ſeparati, & per pannum rarum colati, libram unam cum dimidia, ſachari

chari albiſſimi clarificati, & ultra tabulati conſiſtentiam cocti, libras tres. Fiat inde unica ſuper igne moderato ebullitione ſyrupus. Eodem modo etiam *Syrupus Berberum*, *Cydoniorum*, *Fragorum*, *Myrtillorum*, *Ribium*, *Rubi idæi*, *Ceraſorum acidorum*, *Acetoſæ* & *Acetoſellæ* paratur, præterquam, quod apud aliquos ſucci expreſſi, & ſachari proportio nonnihil differat: Ad ſyrupum *berberum* enim, *cydoniorum*, *fragorum*, *myrtillorum*, *ribium*, ac *rubi idæi* ſucci & ſachari partes anaticæ, ad ſyrupum *acetoſæ* & *acetoſellæ* ſucci expreſſi partes tres & ſachari partes duæ, & ad ſyrupum *ceraſorum acidorum* ſucci partes quinque, & ſachari partes duæ ordinario in officinis noſtris recipiuntur.

GRATIÆ cauſſa ſinguli hi ſyrupi julepis, mixturis aquoſis, & potulentis ægrotantium frequentiſſime adduntur: Alii enim, v. g. ſyrupi *acetoſitatis citri*, *ceraſorum acidorum*, *acetoſæ*, *acetoſellæ*, *ribium* & *fragorum*, ob gratam aciditatem paullulum refrigerant; alii, v. g. ſyrupi *cydoniorum*, *berberum*, atque *myrtillorum*, ob principium auſteriuſculum temperant, ac leniſſime ſimul adſtringunt, & alii denique, v. g. ſyrupus *rubi idæi*, &c., lubricant atque demulcent: Hinc *acidulo-dulces* etiam maxime in febribus ardentibus, inflammationibus, ebullitione ſanguinis, ſiti nimia, &c., *auſteriuſculo-dulces* in vomitu, fluxibus alvinis, hæmorrhagiis,

giis, gonorrhœa ſimplici, &c., & *mere dulces* denique in aſperitate faucium, angina vera ac ſpuria, nec minus in tuſſi, aliiſque pectoris adfectibus perſæpe inveniuntur proficui.

SYRVPVS ALTHÆÆ FERNELII

REC. Radicum althææ uncias duas, rad. aſparagi, graminis, glycyrrhizæ ana unciam ſemiſſem, cymarum althææ, adianthi utriusque, malvæ, parietariæ, pimpinellæ, plantaginis ana manipulum unum, cicerum rubrorum unciam unam, uvarum paſſarum exacinatarum unciam dimidiam, ſeminum quatuor frigidorum majorum & minorum ana drachmas tres. Coquantur in aquæ fontanæ libris ſex, donec pars tertia exhalando conſumta ſit, colaturæ libris quatuor totidem ſachari albiſſimi libræ addantur, & coquendo deinceps atque clarificando ad juſtam ſyrupi conſiſtentiam redigantur.

VIRTVTE incraſſante, temperante ac demulcente pollet, & in acribus defluxionibus catarrhalibus, nec minus in ardore urinæ, ulcere renum & veſicæ, atque dolore nephritico, ab urina acriori, ſabulo ſubtiliori & cantharidum pulvere, aliiſque acrioribus ac cauſticis interne ſumtis, producto, auxilium non contemnendum præſtat. Datur per ſe ad unum alterumve cochlear, vel electuariis, infuſis atque decoctis adpropriatis additur.

SYRV-

SYRVPVS CORTICVM AVRANTIORVM

REC. Corticum aurantiorum extimorum recentium libram ſemiſſem, vini albi, vel aquæ Naphæ libram unam. Digerantur in cucurbita, operculo tecta, per viginti quatuor horas, poſtea exprimantur, & cum ſachari albiſſimi libra una & dimidia, in eadem cucurbita ſolvendo, blando calore ad ſyrupi conſiſtentiam redigantur.

VIRES carminativas, ſtomachales, cardiacas & analepticas poſſidet, ac ſimilis virtutis potiunculis gratiæ cauſſa additur, vel etiam electuaria ingreditur.

SYRVPVS DE BETONICA

REC. Succi recentis betonicæ, per reſidentiam depurati, libras tres, ſachari albi libras duas. Fiat inde, in cucurbita operculata coquendo, poſt debitam clarificationem, ſyrupus. Secundum hanc normam etiam *Syrupi Cardui benedicti*, *Meliſſæ citrariæ*, *de Mentha*, *de Cichorio*, *de Tuſſilagine* ſive *Farfara*, *de Fumaria*, *de Hedera terreſtri* & *de Scordio* parari poſſunt, paullulum ſaltem mutata ſucci & ſachari proportione. Quatuor enim priores ordinario ex partibus ſucci & ſachari anaticis, reliqui autem ex partibus tribus ſucci depurati, & partibus duabus ſachari conficiuntur.

QVOAD generalem virtutem demulcentem ac lubricantem, memorati ſyrupi conveniunt, quoad vires autem ſpecificas, nonnihil differunt: Syrupo enim *de betonica* virtus cephalica, ſyrupis *de carduo benedicto*, *de ſcordio* & *de fumaria* virtus alexipharmaca, ſyrupis *de mentha* & *de meliſſa* carminativa, ſtomachalis & anthyſterica, ſyrupis *de hedera terreſtri* & *de farfara* pectoralis & antinephritica, & ſyrupo *de cichorio ſimplici* virtus aperitiva vulgo adſcribitur. Monendum tamen erit, non adeo magnam fiduciam in virtutibus hiſce ſpecificis collocandam eſſe, quum ſacharum inſpiſſatum principium plantarum mucilagineum, aut reſinoſo-mucilagineum quantitate longe ſuperet, idemque ea propter valde debiliter. Adduntur potiunculis, infuſis atque decoctis, & frequentiſſime pariter bolos & electuaria ingrediuntur.

SYRVPVS DE CICHORIO CVM RHABARBARO

REC. Endiviæ utriuſque, hortenſis nimirum atque campeſtris, ana manipulos duos cum ſemiſſe, cichorii, taraxici, ana manipulos duos, fumariæ, hepaticæ fontanæ, lactucæ hortenſis, ſummitatum lupuli, ſonchi lævis ſive cicerbitæ ana manipulum unum, capillorum veneris uncias duas cum ſemiſſe, adianthi albi ſive rutæ murariæ, radicum apii, aſparagi, fœniculi ana uncias duas, glycyrrhizæ, ceterach, cuſcutæ, halicacabi ana

ana drachmas ſex, hordei uncias duas. Coquantur in ſufficienti quantitate aquæ ſimplicis fontanæ ad mediæ partis conſumtionem. Colaturæ clarificatæ libris decem addantur pulveris rhabarbari electi unciæ octo, ſpicæ Indicæ uncia dimidia, ſtent in infuſione per diem & noctem, & liquor, cum leni expreſſione percolatus, cum ſachari albi ac puri libris decem poſtea ad ſyrupi conſiſtentiam unica ebullitione redigatur.

NON adeo concinna quidem compoſitio eſt, blande nihilominus alvum ſubducit, & apud infantes proinde frequentiſſimi uſus eſt. Infantibus, laxandi fine, ad duo, tria, quatuor, immo plura cochlearia minora, adultis autem, abſtergendi & aperiendi ſcopo, ab uncia dimidia ad uncias duas exhibetur, & ſæpiſſime quoque cum fortioribus pharmacis in electuarium redigitur.

SYRVPVS DE CINNAMOMO

REC. Pulveris groſſiuſculi cinnamomi electi & acuti uncias quinque, adfunde in cucurbita vitrea aquæ cinnamomi, cum vino deſtillatæ, optimæ, libras duas, aquæ roſarum fragrantiſſimæ uncias tres, digere, vaſe clauſo, per biduum, & liquorem colatum deinde cum ſachari albiſſimi clarificati, & ad tabulati conſiſtentiam cocti, libris duabus &

ſemiſſe, ſola diſſolutione ad ſyrupi conſiſtentiam redige.

VIRTVTE analeptica, roborante & ſtomachali gaudet, adeoque non tantum julepis & mixturis aquoſis, gratiæ cauſſa, additur, ſed etiam per ſe, ab uncia dimidia ad integram, adſumitur.

SYRVPVS CORTICVM CITRI

REC. Corticum citri aut limoniorum, recentium, extimorum, minutim conciſorum, libram dimidiam, granorum kermes drachmas duas. Infundantur in vini albi Rhenani generoſi libra una, ſtent in infuſione per diem & noctem, vaſe optime clauſo, liquor cum aliqua expreſſione coletur, & deinde cum ſachari clarificati, & ultra tabulati conſiſtentiam cocti, libra una, leniſſimo duntaxat calore ac ſine ſingulari ebullitione, ad ſyrupi conſiſtentiam deducatur. Nonnulli etiam aliquot moſchi & ambræ grana, majoris ſuaveolentiæ cauſſa, addunt, aſt, cum horum odor multis inimicus ſit, additionem eorum omittere præſtat.

OB VIRES analepticas, cardiacas, ſtomachales atque carminativas, julepis & potiunculis, in febribus malignis, aliiſque propinandis, additur, & ſubinde pariter in morbis ventriculi & inteſtinorum flatulentis per ſe, ab uncia dimidia ad integram exhibetur.

SYRV-

SYRVPVS CORALLIORVM

REC. Coralliorum rubicundiſſimorum groſſiuſcule contuſorum libram ſemiſſem, digere per triduum cum ſucco berberum, poſt lenem ebullitionem per pannum colato, & ad aliqualem eminentiam adfuſo, extractam eſſentiam per inclinationem effunde, & recenti ſuperfuſo ſucco, digeſtionem ac decantationem toties repete, donec corallia fere ſoluta & conſumta ſint. Hiſce peractis, omnes ſolutiones confunde, & cum anatica ſachari albiſſimi quantitate, leniſſimæ ebullitionis aut ſaltem evaporationis beneficio, ad juſtam ſyrupi conſiſtentiam redige.

OB ADDITA corallia rubra ſingulari quidem virtute cardiaca & analeptica creditur inſtructus; attamen, quum talis virtus ab ipſis coralliis, uti hoc in præcedentibus pridem demonſtravi, haud exſpectanda ſit, illam ipſam huic quoque ſyrupo tribuere minime licebit. Aliquas duntaxat vires refrigerantes & ſubadſtringentes, quæ ſucco berberum primario in acceptis ferendæ ſunt, poſſidet, & proinde, potiunculis additus, vel inter electuaria receptus, in febribus continuis, hæmorrhagiis, aliiſque profluviis præternaturalibus ſubinde locum invenit.

SYRVPVS DE ERYSIMO LOBELII

REC. Eryſimi totius, recentis, conquaſſati, manipulos ſex, radicum enulæ, tuſſilaginis ſive farfaræ ſucculentarum, rad. glycyrrhizæ raſæ ana uncias duas, herbarum borraginis, capillorum veneris, cichorii ana manipulum unum cum ſemiſſe, florum cordialium, anthos, betonicæ ana manipulum ſemiſſem, ſeminis aniſi drachmas ſex, paſſularum mundatarum uncias duas. Conciſa & contuſa coquantur in aquæ hordei, atque hydromelitis ana libris quatuor, & ſucci eryſimi libra dimidia ad tertiæ partis remanentiam, poſteaque liquor expreſſus, & per pannum colatu trajectus, cum ſachari albi & clarificati libris duabus ad juſtam ſyrupi conſiſtentiam redigatur.

INTER præcipuos ſyrupos abſtergentes atque pectorales militat, & in raucedine, tuſſi, atque aſthmate pituitoſo frequentiſſime, ab uncia dimidia ad integram & ultra, præſcribitur.

SYRVPVS FLORVM PERSICORVM

REC. Florum Perſicorum libram unam, infunde in aquæ calidæ libris duabus, digere per noctem, aquam decantatione ac leni expreſſione ſepara, ac denuo æquali florum recen-

recentium quantitati adfunde, digere, atque cum leni expreſſione ſepara, eumque laborem, ſimili prorſus ratione, tertia vice repete, poſteaque liquorem cum ſachari albiſſimi libris duabus una alterave ebullitione, poſt præmiſſam tamen conſuetam clarificationem, ad ſyrupi conſiſtentiam redige. Secundum hanc normam etiam *Syrupi Florum acaciæ*, *borraginis*, *bugloſſi*, *aquilegiæ*, *nymphææ*, *papaveris erratici*, *pæoniæ*, *roſarum* atque *tunicæ* parari poſſunt.

SYRVPVS *florum acaciæ* & *flor. perſicorum* alvum blande ſubducit, ac prior paullulum quoque in receſſu adſtringit; *ſyrupus flor. borraginis* & *bugloſſi* virtutem cardiacam, pectoralem & refrigerantem poſſidet; *ſyrupus flor. aquilegiæ* diaphoreticus creditur, & alexipharmacus; *ſyrupus nymphææ* refrigerat, & *ſyrupi papaveris erratici*, *flor. pæoniæ*, *tunicæ* atque *roſarum* leniter adſtringunt ac roborant, adeoque etiam cephalica, antepileptica, & cordiali virtute donati dicuntur. Infantibus exhibentur ad aliquot cochlearia minora, apud adultos autem decoctis & potionibus, vel ſubinde etiam electuariis adduntur.

SYRVPVS DE GLYCYRRHIZA MESVÆ

REC. Radicum glycyrrhyzæ uncias duas, capillorum veneris unciam unam, foliorum

hyſſopi unciam ſemiſſem. Conciſa infundantur in aquæ ferventis libris quatuor, digerantur per viginti quatuor horas, coquantur ad dimidiæ partis conſumtionem, & liquor colatus, & expreſſus cum mellis deſpumati & ſachari albi ana libra una ad ſyrupi ſpiſſioris & tabulati conſiſtentiam, præmiſſa tamen clarificatione, additiſque ſub finem aquæ roſarum unciis ſex, primum coquendo, deinde leniſſime ſaltem evaporando, redigatur.

DEMVLCENDO, lubricando, & abſtergendo agit, & inter præcipuos ſyrupos pectorales militat. Linctus & electuaria ingreditur, & frequentiſſime pariter decoctis, & infuſis theiformibus additur.

SYRVPVS HYSSOPI SIVE DE HYSSOPO

REC. Hyſſopi, in umbra mediocriter ſiccati, radicum apii, fœniculi, glycyrrhizæ, petroſelini ana drachmas decem, capillorum veneris drachmas ſex, ſeminis cydoniorum, malvæ, gm. tragacanthi ana drachmas tres, hordei mundati unciam ſemiſſem, cibebarum exacinatarum unciam unam cum ſemiſſe, dactylorum, caricarum pinguium, ana numero decem, jujubarum, ſebeſten, ana numero triginta. Coquantur in aquæ ſimplicis

plicis puræ libris octo, ad tertiæ partis remanentiam, & liquor colatus, expreſſus, atque clarificatus cum ſachari albi libris duabus & ſemiſſe, una alterave ebullitione, ad ſyrupi conſiſtentiam perducatur.

OB EGREGIAM virtutem demulcendi ac lubricandi in morbis pectoris, a ſero acri productis, v. g. raucedine, angina ſpuria, tuſſi, aſthmate, nec minus in ardore urinæ frequentiſſime cum fructu præſcribitur. Linctus præterea & electuaria ingreditur, & potionibus quoque atque decoctis additur.

SYRVPVS JVJVBINVS MESVÆ

REC. Jujubarum numero ſexaginta, herbæ capillorum veneris, hordei mundati, rad. glycyrrhizæ ana unciam unam, florum violarum, ſeminis malvæ ana drachmas quinque, ſem. cydoniorum, ſem. lactucæ, melonum, papaveris albi, gummi tragacanthi albi ana drachmas tres. Coquantur in aquæ fontanæ libris octo ad tertiæ partis remanentiam, liquori colato & expreſſo addantur ſachari albi aut Candi libræ duæ, & mixturæ clarificatæ poſtea ſyrupi conſiſtentia coquendo concilietur.

CONVENIT, quoad naturam, vires & uſum, cum ſyrupo hyſſopi, præterquam, quod optime per ſe lingendo adſumatur.

SYRVPVS MASTICHINVS

REC. Maſtiches electæ uncias duas cum ſemiſſe, ſeminis aniſi, fœniculi ana uncias ſex, uvarum paſſarum uncias quinque, aquæ fontanæ libras ſex. Coquantur ad tertiæ partis remanentiam, & deinde ex liquore colato & expreſſo cum ſachari albi libris duabus leni ebullitione fiat ſyrupus.

VIRTVTE roborante pollet, & in ventriculi atque capitis morbis, a ſolidorum laxitate primario pendentibus, non contemnendum ſubinde auxilium præſtat. Datur ab uncia dimidia ad drachmas ſex. Externe electuaria, in ſcorbuto oris adhibenda, nonnunquam ingreditur.

SYRVPVS MYRTINVS COMPOSITVS

REC. Baccarum myrti uncias duas cum ſemiſſe, berberum, balauſtiorum, roſarum rubrarum, ſumach, ſantali albi & rubri ana uncias duas, meſpilorum maturorum, nondum marcidorum, uncias ſex, ſucci cydoniorum, pomorum agreſtium ana libram dimidiam, aquæ fontanæ libras octo. Coquantur ad tertiæ partis remanentiam, & colatura expreſſa atque clarificata cum tribus ſachari libris leni ebullitione ad ſyrupi conſiſtentiam redigatur.

AD-

ADSTRINGENDO agit, ac rarius interne ad hæmorrhagias compeſcendas præſcribitur, externe autem liquoribus travmaticis miſcetur frequentius, & egregium cumprimis excipiens præbet, ſi electuaria roborantia & antiputredinoſa, in ſcorbuto oris, vacillatione dentium, cruentatione, laxitate atque fœtore gingivarum uſurpanda, componere velimus.

SYRVPVS PAPAVERIS ALBI

REC. Capitum papaveris albi recentium cum ſeminibus libram unam cum ſemiſſe, aquæ pluvialis puriſſimæ libras ſeptem. Coquantur ad binarum duntaxat librarum remanentiam, & ex liquore colato, expreſſo atque clarificato cum ſachari albi libra una & ſemiſſe leni coctione paretur ſyrupus.

VIRTVTEM incraſſantem & aliquam pariter hypnoticam poſſidet, adeoque etiam, per ſe datus, vel potiunculis, emulſionibus atque linctibus additus, in febribus, catarrhis acribus, ardore urinæ, &c., proficuus deprehenditur.

SYRVPVS DE QVINQVE RADICIBVS APERIENTIBVS

REC. Radicum apii, aſparagi, fœniculi, petroſelini, ruſci, ana uncias duas, aquæ fontanæ libras quinque, aceti vini albi uncias octo. Coquantur ad partis tertiæ conſumtionem,

tionem, & ſuccus expreſſus atque colatus cum tribus ſachari libris, clarificando & coquendo, ad ſyrupi conſiſtentiam redigatur.

LENITER incidendo & abſtergendo agit, & in hepatis, lienis, menſenterii, renum, aliorumque viſcerum obſtructionibus prodeſſe, bilemque viſcidam temperare atque reſolvere dicitur. Datur per ſe ad unciam unam & ultra, vel aliis compoſitionibus miſcetur.

SYRVPVS DE STOECHADE

REC. Florum ſtœchadis uncias quatuor, fl. roriſmarini unciam ſemiſſem, calaminthæ, origani, thymi ana drachmas decem, betonicæ, ſalviæ ana unciam ſemiſſem, ſeminis aniſi drachmas ſeptem, ſem. pœoniæ drachmas tres, calami aromatici, cinnamomi, zingiberis ana drachmas duas, aquæ fontanæ libras ſeptem. Præmiſſa viginti quatuor horarum digeſtione in cucurbita, alembico & recipiente inſtructa, una circiter liquoris ſpirituoſioris libra deſtillando evocetur, & reſiduum poſtea, remoto alembico, ad partis dimidiæ conſumtionem coquatur, tandemque liquor expreſſus & colatus cum ſachari puri libris quatuor coquendo ad ſpiſſam tabulati conſiſtentiam deducatur, idemque in prædicta aquæ ſpirituoſæ libra denuo ſolvatur, ut hac ratione juſtæ conſiſtentiæ ſyrupus inde reſultet.

AB inventore *Fernelio* contra capitis adfectus frigidos, v. g. paralyſin, tremorem capitis & membrorum, epilepſiam, &c., commendatur, quæ virtutes etiam, ob ſatis activa ingredientia aromatica, ipſi non denegandæ erunt, ſi adfectus memorati & analogi ab inertia humorum & ſolidorum laxitate originem ducant.

SYRVPVS DE SYMPHYTO FERNELII

REC. Summitatum & radicum ſymphyti majoris manipulos ſex, roſarum rubrarum, betonicæ, pimpinellæ, plantaginis, polygoni, ſcabioſæ, tuſſilaginis ana manipulos duos. Succus ex conquaſſatis & contuſis ſpeciebus expreſſus, poſt clarificationem ad trium librarum remanentiam coquatur, & illi deinceps, additis ſachari albi ac puri libris duabus cum ſemiſſe, bulliendo juſta ſyrupi ſpiſſitudo concilietur.

INCRASSANDO atque ſubadſtringendo operatur, & ideo in morbis, ab acrimonia humorum ac nimia tenuitate præcipue pendentibus, v. g. tuſſi acri, phthiſi, febre lenta & hectica, dyſenteria, ardore urinæ, &c., aliquam opem ferre conſuevit. Ad unciam unam & ultra decoctis miſcetur, vel inter electuaria recipitur.

OXYMELI SIMPLEX

REC. Aceti vini acerrimi libram unam, aquæ ſimplicis claræ libras quatuor, mellis

libras duas. Mel prius cum aqua coquatur, ac probe inter coquendum despumetur, deinde, omni fere aqua consumta, acetum addatur, & una alterave ebullitione oxymeli justæ consistentiæ inde fiat.

ACETVM mulsum sive oxymeli virtute incidente, abstergente ac temperante pollet, & priscis ideo temporibus apud epilepticos, ischiaticos & diuturna febre laborantes frequentissime adhibitum fuit; nostra autem ætate rarius in usum vocatur. Optime additur decoctis, aquis destillatis, & sero lactis, atque ab uncia una ad duas, tres datur. Externe gargarismata, in tumore glandularum salivalium, scorbuto oris, & angina spuria adhibenda, ingreditur.

OXYMELI SCILLITICVM SIMPLEX

REC. Mellis despumati libras tres, aceti scillitici, supra descripti, libras duas. Fiat inde coctionis beneficio oxymeli.

PARVM ab aceto scillitico differt, præterquam, quod sapore gratiori, & natura temperatiori, ob mellis additionem, gaudeat. Commendatur in pituitosis cerebri, ventriculi & maxime pulmonum adfectibus, & asthmaticis cumprimis conducere solet. Datur ab uncia dimidia ad uncias duas.

OXY-

OXYMELI SCILLITICVM COMPOSITVM

REC. Cardamomi minoris, hyssopi sicci, levistici, origani, stœchados, thymi ana drachmas quinque, passularum exacinatarum uncias duas, aquæ simplicis libras duas. Coquantur ad dimidiæ partis consumtionem, colaturæ addantur aceti scillitici libra una cum semisse, succi bryoniæ unciæ quinque, mellis despumati libræ duæ cum semisse, & deinde, ebulliendo ac despumando, ad justam consistentiam coquantur.

OXYMELITE simplici potentius creditur, & in rebellibus capitis, pectoris, atque uteri adfectibus, v. g. hemicrania, cephalæa, vertigine, epilepsia, morbis soporosis, apoplexia pituitosa, asthmate, catarrho suffocativo, incipiente hydrope ascite, nephritide pituitoso-sabulosa, suppressione mensium chronica, &c., ob virtutem suam incidentem, abstergentem, ac stimulantem, non contemnendum subinde auxilium præstat. Exhibetur ab uncia dimidia ad uncias duas.

OXYSACHARVM SIMPLEX ET COMPOSITVM

SIMPLEX ex sachari albissimi libra una & aceti vini acris unciis quatuor componitur, iisdemque, post sachari super igne liquefactionem, succi granatorum acidorum unciæ octo

octo adduntur, & mixtura unica ebullitione ad ſyrupi conſiſtentiam deducitur. *Compoſitum* ita paratur: Rec. radicum aſparagi, fœniculi, graminis, ruſci, herbarum aſplenii, capillorum veneris, hepaticæ fontanæ, linguæ cervinæ, polytrichi, violarum, ana unciam unam, ſucci granatorum acidorum libras octo. Præmiſſa trium dierum maceratione, modice coquantur, & liquor, poſt ſpecierum expreſſionem colatus, cum ſachari albiſſimi libris quatuor ad ſyrupi conſiſtentiam coquendo redigatur.

PARVM hæc oxyſachara ab oxymelite ſimplici & compoſito, reſpectu naturæ ac virium, differunt, præterquam, quod loco mellis ſacharum mixturam ingrediatur, & oxyſacharum compoſitum majori virtute refrigerante, quam oxymeli compoſitum, gaudeat. Adduntur potulentis & mixturis aquoſis.

JVLEPVS ROSARVM ET VIOLARVM

REC. Sachari albiſſimi libram unam & ſemiſſem, aquæ deſtillatæ fragrantiſſimæ roſarum aut violarum libram unam. Solvatur ſacharum in aqua deſtillata ſuper igne moderato, ut mixtum ſyrupi conſiſtentiam adquirat.

GRATI ſaporis cauſſa hæc, & alia hujus commatis julapia potulentis, emulſionibus & potiunculis adduntur.

CON-

CONSERVA ROSARVM

REC. Foliorum roſarum rubrarum recentium libram unam, ſachari albiſſimi libras duas. Folia conſcindantur minutiſſime, ac poſtea piſtilli ope cum ſacharo probe miſceantur. Obſervata eadem methodo etiam reliquæ conſervæ conficiuntur, mutata tamen apud ſpecies nonnullas ſachari proportione; quemadmodum de hiſce ſcitu neceſſaria ſub tractatione generali §. 6. dudum recenſita ſunt.

CONSERVÆ plerumque ad conficienda electuaria, nec minus ad bolos ac morſulos componendos, tanquam excipientia, adhibentur, atque interdum pariter adſumendis pulveribus vehiculum præbent. Virtutes, quas ipſis ſpecies largiuntur, non adeo ſingulares ſunt, & facillime a medico rationali, qui ſibi ſolidam ſimplicium notitiam comparavit, determinari poſſunt.

MEL ROSATVM ET ANTHOSATVM

REC. Foliorum roſarum rubrarum recentium libras ſex, conquaſſatis totidem libras aquæ calidæ adfunde, macera per diem & noctem, colaturæ expreſſæ adde mellis puriſſimi libras ſex, & mixturam igne leni coque ad conſiſtentiam, melle liquidiorem. Ex melle roſato *mel anthoſatum* paratur, quando

binæ prioris libræ florum roriſmarini recentium conquaſſatorum manipulis tribus adfundantur, & infuſum, præmiſſa viginti quatuor horarum digeſtione calida, per linteum trajicitur, ac leni calore paullulum inſpiſſatur.

MEL roſatum ſimplex ſive vulgare & mel anthoſatum virtute & uſu parum vel nihil differunt, & utrumque interne, demulcendi ac lubricandi fine, linctus & electuaria, externe autem, abſtergendi atque mundificandi ſcopo, gargariſmata, clyſteres, unguenta, & decocta travmatica ingreditur. Proſtat etiam in Officinis *mel roſarum ſolutivum*, quod ex roſis Damaſcenis, modo vix deſcripto, paratur, & aliqua virtute laxante pollet.

CAPVT

CAPVT II
DE
CONFECTIONIBVS, ELECTVARIIS, LOOCH ET TRYPHERIS

§. I

ELECTVARIA ſive ECLEGMATA, quibus, ceu ſpecies, etiam CONFECTIONES LIQVIDÆ, LOOCH, TRYPHERÆ, nec minus veterum ANTIDOTI, OPIATÆ, CONDITA &c., adnumerantur, ſunt medicamenta ſpiſſiuſcula, mediæ inter bolum & ſyrupum conſiſtentiæ, adeo, ut cultri cuſpide, vel ſpatula, ſine defluxionis metu, e vaſe eximi queant.

§. II

VSITATIORA quidem eclegmatum excipientia *mel deſpumatum*, *ſyrupi* & *conſervæ* conſtituunt, perſæpe tamen etiam *rob*, *pulpæ*, *mucilagines*, *ſucci plantarum*, *ad pultis conſiſtentiam inſpiſſati*, *extracta liquidiora*, *brodia conditorum*, immo, ſubinde *olea expreſſa recentia*, & *gelatinæ animalium* excipientium vices ſubeunt. Quod vero excipienda, quæ præcipuas pharmacis hiſce vires largiri debent, attinet, illis *extracta quædam activa*, *balſami liquidi naturales*, & maxime *pulveres ſicci*, ac *quævis ſicca pulverulenta*, ſive ſint

cruda, sive chymice prius aut pharmacevtice præparata, adnumerari merentur. Hisce denique *sacharum pulverisatum*, si necesse sit, ad justam consistentiam inducendam, sufficienti quantitate, nec minus, gratiæ & majoris activitatis caussa, *olea destillata suaveolentia*, ad aliquot guttulas, adduntur.

§. III

IPSA compositio nullo singulari indiget artificio, ac *sola miscela simplici*, cum spatula aut pistillo promovenda, absolvitur. Cavendum saltem, ne concreta salina aut alia nauseosa, quæ gratiam saporis nimium corrumpunt, electuaria copiosius ingrediantur: immo cavendum, ne salia acida & alcalia, quæ, conjunctim addita, dulcia ad præsentinam fermentationem redigunt, una misceantur.

§. IV

DE VIRTVTIBVS eclegmatum medicis idem in genere dicendum est, quod sæpius in antecedentibus de medicamentis, ex pluribus, iisque natura ac viribus plus minusve distinctis, ingredientibus compositis, dictum fuit; adeoque etiam specialior eorundem usus ex sequentibus clarius cognoscendus erit.

ELE-

ELECTVARIA VSITATIORA

Electuarium de baccis lauri.
- *benedictæ laxativæ.*
- *caryocostinum.*
- *diacatholicum.*
- *diacori.*
- *diaphœnicon.*
- *diasatyrion.*
- *diascordium* FRACASTORII.
- *diascordium* SYLVII.
- *hieræ picræ simplicis.*
- - - *compositæ.*
- *lenitivum* FLORENZOLÆ
- *Orvietanum.*
- *de succo rosarum.*
- *stomachicum cum cinnamomo.*

Mithridatium DAMOCRATIS.
Theriaca ANDROMACHI.
- *diatessaron.*
- *pro familia.*

Philonium Romanum.
Laudanum opiatum completum.
- - *incompletum.*
- *hystericum.*

Diacydonium simplex.
- *cum speciebus.*

Looch ad asthma.
- *de papavere.*
- *de pulmone vulpis.*
- *sanum & expertum.*

Tryphera magna.
- *minor.*

ELECTVARIVM DE BACCIS LAVRI

REC. Radicis calami aromatici, herbarum menthastri, origani ana drachmas duas, foliorum rutæ drachmas decem, seminis ammeos, carvi, cumini, dauci, levistici, nigellæ, amygdalarum amararum, baccarum lauri, piperis longi, nigri, castorei ana drachmas duas, opopanacis drachmas tres, sagapeni unciam semissem. Terendis sollicite tritis sub finem concreta gummeo-resinosa, vino nonnihil distemperata, nec minus libra una & dimidia mellis addantur, & inde miscendo paretur electuarium.

OB VIRTVTEM discutientem, carminativam, & roborantem stomachalem, in vitiis adpetitus & digestionis, itemque in adfectibus hysthericis, cardialgicis, colicis, aliisque flatulentis, si a frigida scilicet caussa, h. e., a saburra acido-pituitosa ac rudi materia perspirabili, originem ducant, interne avellanæ magnitudine adsumitur, vel clysteribus injiciendis, ab uncia dimidia ad integram, additur.

ELECTVARIVM BENEDICTÆ LAXATIVÆ

REC. Diagrydii, extracti esulæ, hermodactylorum, rosarum ana drachmas quinque, turbith gummosi, sachari Thomæi ana drachmas decem, seminis amomi, apii, asparagi, carvi, fœniculi, lithospermi sive milii solis, petroselini, ruscí, cardamomi minoris, caryophyllorum, croci, rad. galangæ, macis, piperis longi, saxifragiæ veræ, spicæ Indicæ, zingiberis ana drachmam unam. Fiat inde cum mellis despumati libra una & semisse, lege artis, electuarium.

COMPOSITVM hoc, quod alias etiam *electuarium mixturæ benedictæ laxativæ* NICOLAI audit, quondam, laxandi & purgandi fine, interne exhibitum fuit frequentissime, ac satis magnam obtinuit famam: At, nostra ætate clysteribus duntaxat, tanquam stimulans, abstergens & discutiens, a drachma una ad unciam dimidiam, miscetur.

ELE-

ELECTVARIVM CARYOCOSTINVM

REC. Caryophyllorum, costi amari, seminis cimini, zingiberis albi ana drachmam unam, diagrydii, hermodactylorum alborum ana drachmas duas, mellis despumati & inspissati, vini Rhenani generosi ana uncias tres. Fiat inde miscendo, ut artis est, electuarium.

VIRTVTE cathartica & simul roborante pollet, adeoque in cachexia, œdemate, chlorosi, anasarca, cæterisque morbis pituitosis judicatur specificum. Datur a drachma una ad drachmas tres, quæ ultra undecim diacrydii grana continent.

ELECTVARIVM DIACATHOLICVM

REC. Polypodii querni libram semissem, coque in aquæ communis mensuris quatuor, ad dimidiæ partis consumtionem, colaturæ sufficienti quantitate extrahe pulpæ cassiæ & tamarindorum ana uncias quatuor, infusum ad mellaginem inspissa, additisque prius ac probe subactis sachari albissimi libris quatuor, pulverem, ex anisi, florum violarum, rhabarbari selecti, polypodii ana unciis duabus, foliorum sennæ orientalis unciis quatuor, & glycyrrhizæ drachmis duabus paratum, paullatim insperge ac probe misce, ut inde justæ consistentiæ electuarium resultet.

ALVVM blande ſubducit, & cujuſcunque generis impuritates, citra notabiliorem humorum exagitationem, exturbat, quando apud adultos ab uncia dimidia ad integram exhibetur. Frequentiſſime etiam clyſteribus, ad unciam unam & ultra, additur.

ELECTVARIVM DIACORI SIVE DIACORVM MESVÆ

REC. Radicum ſecacul, aut ejus loco paſtinacæ marinæ vel eryngii, acori veri ſive calami aromatici, pinearum enucleatarum ana libram unam cum dimidia. Radices ſecacul mundatæ & diſſectæ cum aqua pura coquantur, donec aqua conſumta ſit, deinde ad pultis conſiſtentiam terendo ac contundendo redigantur, pulticula cum mellis deſpumati libris decem igne blando, ne mixtura empyrevma contrahat, coquatur, uſque dum humidum aqueum, quod radices ſub prima coctione imbiberant, exhalando ablatum ſit: Quo facto, maſſæ ſpiſſiuſculæ, ab igne remotæ, primo radices acori ſubtiliſſime tritas, & pineas minutiſſime conſciſas, deinde vero pulverem, ex caryophyllorum, macis, roſarum, zingiberis ana drachmis quatuor, & cardamomi minoris, galangæ, ac nucis moſchatæ ana drachmis tribus paratum, adde, & ſingula probe miſce, ut inde electuarium juſtæ conſiſtentiæ exſurgat.

ROBO-

RORANDI ſine in variis capitis, ventriculi, aliarumque partium adfectibus, quorum geneſi ſolidorum laxitas, & fluidorum viſcoſitas anſam præbuit, v. g. in debilitate memoriæ, vertigine, apoplexia pituitoſa, imbecillitate viſus & auditus, catarrhis, cachexia, anaſarca, œdemate, diarrhœis, adpetitu imminuto, prava digeſtione, adfectibus flatulentis, &c., commendatur, & per ſe, vel cum vino, ab uncia dimidia ad integram, exhibetur.

ELECTVARIVM DIAPHOENICON

REC. Dactylorum enucleatorum, &, coquendo cum hydromelite, ac per ſetaceum trajiciendo, in pulpam redactorum, libram ſemiſſem, pinearum recens decorticatarum, amygdalarum dulcium ana uncias duas, mellis deſpumati libras duas cum dimidia. Hiſce mixtis, & nonnihil coctis, pulverem ſubtiliſſimum, ex cinnamomi electi, macis, zingiberis, ſeminis dauci, fœniculi, foliorum rutæ ana drachmis duabus, diagrydii uncia una, turbith electi unciis tribus paratum, ſucceſſive inſperge, ac probe miſce.

INTER purgantia militat, & pituitam cumprimis valide educere creditur. Apud adultos doſin ordinariam drachmæ quatuor vel ſex conſtituunt, quæ circiter grana XXIII. turbith, & grana VIII. diacrydii continent.

ELECTVARIVM DIASATYRION

REC. Radicum recentium eryngii vel ſecacul, paſtinacæ ſylveſtris, ſatyrii fœcundarum ac vegetarum, nucis Indicæ, pinearum decorticatarum, piſtaciorum mundatorum ana unciam unam & ſemiſſem, ſeminis aniſi, erucæ, fraxini, caryophyllorum, cinnamomi, zingiberis albi ana drachmas quinque, ſeminis urticæ, caudarum & lumborum ſcinci marini veri ana drachmas duas cum dimidia, moſchi grana ſeptem, mellis optime deſpumati libras tres. Radices eryngii vel ſecacul, paſtinacæ & ſatyrii, ſeorſim optime contuſæ atque contritæ, cum melle miſceantur, ac, probe ſubactæ, paullulum, admoto igne leni, ferveant, deinde piſtacia & nuces pineæ, debite pariter comminutæ, tandemque, poſtquam illæ nonnihil quoque bullierint, & lebes ab igne remotus fuerit, reliquæ ſpecies, in pulverem redactæ & cribratæ, addantur; quibus omnibus probe ſubactis poſtremo moſchus, aquæ deſtillatæ roſarum pauxillo diſtemperatus, miſcendus erit.

EX nutrientibus, roborantibus ac ſtimulantibus conſtat, & ideo inter præcipua aphrodiſiaca, quæ ad venerem nimis torpidam in ſexu utroque excitandam, commendantur, locum habet. Datur cum vino a drachmis duabus ad unciam dimidiam.

ELE-

ELECTVARIVM DIASCORDIVM FRACASTORII

REC. Scordii noſtratis unciam unam, diptamni Cretici, radicum biſtortæ, gentianæ, tormentillæ, caſſiæ ligneæ, cinnamomi, galbani, gummi Arabici, ſtyracis calamitæ ana unciam dimidiam, boli Armenæ unciam unam cum ſemiſſe, terræ Lemniæ unciam dimidiam, piperis longi, zingiberis ana drachmas duas, opii, ſeminis acetoſæ ana drachmam unam cum dimidia, conſervæ roſarum rubrarum libram unam, mellis deſpumati libras duas cum ſemiſſe, vini generoſi libram dimidiam. M. F. l. a. electuarium.

DISCVTIENTE, adſtringente, roborante, & anodyna virtute gaudet, adeoque in vomitu, diarrhœis, ſingultu, &c., præſertim, ſi hæc pathemata in febribus ſuperveniant, ſubinde cum fructu exhibetur. Vncia dimidia nondum completum opii granum continet, & ſine metu ea propter drachmæ duæ, tres, immo quatuor, niſi alia quædam circumſtantia obſtet, adultis offerri poſſunt.

ELECTVARIVM DIASCORDIVM SYLVII

REC. Radicum gentianæ unciam ſemiſſem, angelicæ drachmas duas, foliorum ſiccorum ſcordii uncias duas, cardui benedicti, dictamni

ctamni Cretici ana unciam ſemiſſem, croci optimi drachmas duas, acaciæ veræ drachmam unam cum dimidia. Contuſis groſſiuſcule atque conſciſſis adfundatur ſpiritus vini rectificatus, ad trium vel quatuor digitorum transverſalium eminentiam, digerantur per horas viginti quatuor in loco tepido, ſpiritus tinctus decantetur, & toties ſpiritus recentis adfuſio, digeſtio, ac ſpiritus tincti decantatio repetatur, donec omnis virtus e ſpeciebus extracta ſit. Deinde tincturæ confuſæ, & filtratione depuratæ, in cucurbita vitrea, abſtrahendo ſpiritum, ad extracti liquidioris conſiſtentiam redigantur. Secundo recipiatur opii Thebaici quantum placet, eidemque, comminuto prius ac blande ſiccato, acetum deſtillatum, ad quatuor digitorum eminentiam, adfundatur, ſtent tandiu in loco tepido, donec acetum probe tinctum ſit. Hoc decantetur, adfundatur acetum recens, digeratur, & toties quoque hic labor reiteretur, uſque dum ſubſtantia ſolubilis activa penitus a recrementis inertibus ſeparata ſit; quo facto, extractiones confuſæ & filtratæ ad extracti ſpiſſiuſculi conſiſtentiam blanda evaporatione deducantur. Tertio recipiantur radicis imperatoriæ uncia una, caſſiæ ligneæ, cinnamomi acuti ana uncia dimidia, nucis moſchatæ drachmæ tres,

tres, miſceantur ac fiat inde pulvis ſubtiliſſimus. Quarto recipiatur boli Armenæ veræ uncia una cum ſemiſſe, & gummi Arabici vermicularis uncia dimidia. Hoc in aquæ fœniculi uncia una & dimidia ſolvatur, illud vero ſeorſim in pollinem ſuper porphyrite redigatur, & ſeorſim pariter adſervetur. Peractis præmittendis hiſce laboribus, recipe extractum prius totum, extracti opii drachmas duas, & pulverem utrumque totum, miſce, paullatim addendo ſolutionem gummi Arabici, tere exactiſſime, &, ſi conſiſtentia forſan nimis ſpiſſa videatur, ſyrupi myrtini quantum ſufficit adde, ut ſic juſtæ conſiſtentiæ electuarium reſultet.

QVANQVAM præparatio hujus electuarii, ob varios labores, ſeorſim ſuſcipiendos, valde tædioſa ſit, præſtantius tamen, quam præcedens, exiſtit. Ex purioribus enim componitur ingredientibus, & longe majori activitate, quæ in præcedente per nimiam mellis & conſervæ roſarum additionem valde minuitur, gaudet. In uncia dimidia integrum opii granum fovet, & plerumque a granis 15. ad ſcrupulum unum, immo drachmam ſemiſſem præſcribitur. Motus exorbitantes ſiſtit, dolores ſedat, fluxiones cohibet, diaphoreſin promovet, & diſcutiendo, roborando, paullulum incraſſando ac leniſſime adſtringendo præcipue operationem ſuam abſolvit.

ELE-

ELECTVARIVM HIERÆ PICRÆ SIMPLICIS ET COMPOSITÆ

REC. Aloës Soccotrinæ uncias duodecim, aſari, cinnamomi, croci, maſtiches, ſpicæ Indicæ, xylobalſami, aut ejus loco ligni aloës ana drachmas ſex, mellis deſpumati libras quatuor cum ſemiſſe. M. F. I. a. electuarium. Quando, demta aloë Soccotrina, ſpecierum hieræ ſimplicis unciæ dimidiæ agarici trochiſcati uncia dimidia, mellis deſpumati unciæ ſex, & aloës illotæ una duntaxat uncia adduntur, ac ſingula debite miſcentur. *Electuarium hieræ compoſitæ cum agarico*, ſive *pro clyſteribus* inde enaſcitur.

PRISCIS temporibus electuaria hæc perſæpe ad impuritates viſcidas educendas interne exhibita fuerunt, noſtra vero ætate clyſteribus duntaxat, ſtimulantis loco, ab uncia dimidia ad integram, adduntur. Electuarii *hieræ picræ ſimplicis* uncia una 78. grana aloes, & æqualis quantitas electuarii *hieræ picræ compoſitæ cum agarico* drachmam unam aloes, & drachmam ſemiſſem agarici complectitur. Hiera, uti B. SCHVLTZIVS ſcribit, *a* eſt nomen Græcum, ἱερὰ, *ſacra*, ſubaudiendumque eſt *antidotus*. Sacram vero dicebant veteres medicinam aliquam, quæ arcana habebatur, vel quondam fuerat habita, aut quæ magnam ederet efficaciam: Picra, πικρὰ, autem dicitur ob amaritiem.

ELE-

a) Lib. cit. p. 85.

ELECTVARIVM LENITIVVM FLORENZOLÆ

REC. Adianthi nigri ſeu capillorum veneris manipulum unum, foliorum mercurialis manipulum unum & ſemiſſem, florum violarum recentium, hordei decorticati ana manipulum unum, glycyrrhizæ unciam dimidiam, jujubarum, ſebeſten ana numero viginti, paſſularum majorum exacinatarum uncias duas, prunorum exemtis nucleis, pulpæ tamarindorum ana drachmas ſex, ſenæ electæ ſine ſtipitibus, polypodii querni ana uncias duas. Pulveriſationi apta pulveriſentur, & in ſufficienti quantitate aquæ ſimplicis, ad tertiæ partis conſumtionem, coquantur, in colatura deinde diſſolvantur pulpæ caſſiæ, prunorum, tamarindorum, conſervæ violarum, ſachari albi ana unciæ ſex, tandemque, additis prius pulveris foliorum ſenæ unciis tribus cum ſemiſſe, exacte miſceantur, &, ſuperfluum leni calore evaporando humorem, ad juſtam electuarii conſiſtentiam redigantur.

INTER blanda cathartica locum habet, & adultis ab uncia una ad duas præſcribitur.

ELECTVARIVM ORVIETANVM

REC. Radicum angelicæ, biſtortæ, carlinæ, contrayervæ, diptamni albi, ſcorzoneræ, vincetoxici ana libram dimidiam, radicum imperatoriæ

ratoriæ uncias novem, rad. mei, valerianæ ana libram unam, calami aromatici, tormentillæ, ana libras duas, muſci marini libram unam cum dimidia, ſcordii libram ſemiſſem, ſeminis caulium nigrorum libram unam, baccarum juniperi, lauri ana libram dimidiam, caſſiæ ligneæ, margaritarum aut matris perlarum præp., oſſium cordis cervi ana unciam unam, rhabarbari, uvarum quernarum exſiccatarum ana libram ſemiſſem, theriacæ optimæ uncias ſex, mellis deſpumati, in vino granatorum aut falerno diſſoluti, libras quatuor. M. F. l. a. electuarium.

CONVENIT cum theriaca, ſudorem movet, & inter medicamenta bezoardica, in peſte, febribus malignis, venenis animalibus, & quibuſdam vegetabilibus, aliisque morbis, qui diaphoretica & ſudorifera poſtulant, exhibenda, non infimum locum obtinet. Datur cum acero a drachma una, ad duas, tres.

ELECTVARIVM DE SVCCO ROSARVM

REC. Sachari albiſſimi, ſucci roſarum rubrarum depurati, ſantali citrini, albi, & rubri ana drachmas ſex, ſcammonii ſulphurati, ſpodii præparati ana drachmas tres, camphoræ ſcrupulum unum. Sacharo, cum ſucco roſarum ad juſtam conſiſtentiam cocto, reliquæ ſpecies, in pulverem ſubtilem redactæ, addantur, &, ſcammonio ultimo pariter mixto, inde conficiatur electuarium.

ALVVM blande ſubducit, & in morbis, a bile primario oriundis, v. g. in ictero, febre tertiana, diarrhœa biliosa &c. ſpecifice prodeſſe traditur. Vulgo ab uncia dimidia ad drachmas ſex exhibetur, ſed doſin minuere, & illud, a drachmis duabus ſaltem ad unciam dimidiam, præſcribere præſtat. Quævis enim electuarii drachma quinque grana ſcammonii ſulphurati, & ultra tria grana camphoræ complectitur. Camphora ab inventore refrigerandi fine addita fuit, at, parum refrigerii in morbis biliosis, qui camphorata non adeo bene perferunt, ab ea exſpectandum erit.

ELECTVARIVM STOMACHICVM CVM CINNAMOMO

REC. Acori conditi uncias tres, conſervæ meliſſæ, menthæ, ana uncias duas, conſervæ roſarum rubrarum uncias quatuor, pulveris caryophyllorum unciam ſemiſſem, cinnamomi electi, zingiberis albi, ſcindendo comminuti, ana unciam unam, ſachari albiſſimi, in ſufficienti quantitate aquæ roſarum diſſoluti, uncias ſex. M. F. l. a. electuarium.

VIRTVTE roborante ſtomachali pollet, & in vitiis adpetitus & digeſtionis, v. g. anorexia, dyſorexia, dyſpepſia, itemque in febribus in-

termittentibus, præſertim quotidiana & quartana, ut & in adfectibus flatulentis frigidis & diarrhœis mucoſis non contemnendum auxilium præſtat. Datur a drachmis aliquot ad unciam dimidiam.

MITHRIDATIVM DAMOCRATIS

REC. Myrrhæ drachmas undecim, cinnamomi acuti, ſpicæ nardi ana drachmas decem cum ſemiſſe, croci optimi, agarici bonæ notæ, zingiberis, olibani, ſem. thlaſpios, terebinthinæ ana drachmas decem, ſchœnanthi drachmas novem, ſeſeleos, olei nucis moſchatæ expreſſi, aut opobalſami, ſtœchados Arabicæ, zedoariæ, galbani, piperis longi, caſtorei, opopanacis, malabathri ſive folii Indi, ſtyracis calamitæ, ſucci hypociſtidis ana unciam unam, caſſiæ ligneæ, bdellii, ana drachmas ſeptem cum ſemiſſe, carpobalſami aut cubebarum, piperis albi, polii, ſeminis dauci Cretici, hb. ſcordii ana drachmas ſeptem, gummi Arabici, calami aromatici, cardamomi, gentianæ, fol. roſarum rubrarum, diptamni Cretici, nardi Celticæ, ſeminis petroſelini, opii Thebaici optimi ana drachmas quinque, ſem. aniſi, rad. mei utriuſque, ariſtolochiæ rotundæ, angelicæ, olſnichii ſive apii ſylveſtris, valerianæ, ſucci acaciæ, gummi ſagapeni, ſummitatum hyperici, ſcinci marini

rini ana drachmas duas cum ſemiſſe, baccarum juniperi, cibebarum ana drachmas duas, cyperi, aſphalathi ana drachmam dimidiam, mellis deſpumati libras decem, vini albi generoſi, quantum ſufficit. Pulveriſatis pulveriſandis, ſingula debite miſceantur, & fiat inde l. a. electuarium.

QVOAD naturam, vires & uſum, valde hoc electuarium cum theriaca, de qua mox plura dicendi locus erit, convenit, & adultis plerumque, a drachma dimidia ad drachmam unam, immo unam & ſemiſſem, exhibetur. Specierum enim drachma una circiter dimidium opii granum, & electuarii drachmæ tredecim vix unum & dimidium opii granum continent.

THERIACA ANDROMACHI

REC. Pulpæ ſcillæ, e ſcilla decorticata, in clibano prius juſta methodo cocta, ſecundum artem paratæ, uncias ſex, radicum diptamni albi, trochiſcorum de vipera, aut potius pulveris, e viperis aut ſerpentibus ſaltem noſtratibus, detractis exuviis, capite & cauda truncatis atque exenteratis, corde tamen & hepate ſervatis, debiteque in vitro calore balnei maris ſiccatis, parati, piperis longi, opii, aqua pluviali ſoluti, filtrati, & ad debitam conſiſtentiam rurſus inſpiſſati, ana uncias tres, olei nucis moſchatæ expreſſi,

loco opobalſami, cinnamomi acuti ana unciam unam & drachmas quinque, roſarum rubrarum exſiccatarum, radicum iridis Florentinæ, ſucci glycyrrhizæ, ſeminis napi agreſtris ſive buniadis, comarum ſcordii Cretici, aut noſtratis, agarici recens trochiſcati ana unciam unam cum dimidia, myrrhæ electæ, croci orientalis, ſeminis citri decorticati, caſſiæ ligneæ veræ, nardi Indicæ ana unciam unam, ſchœnanthi, coſti odorati aut zedoariæ ana drachmas ſeptem, olibani ſelecti, piperis albi & nigri, foliorum diptamni Cretici, comarum marrubii, rhabarbari optimi, ſtœchados Arabicæ, calaminthæ montanæ, ſeminis petroſelini Macedonici, terebinthinæ Cypriæ, zingiberis, radicum pentaphylli ana drachmas ſex, calami aromatici, macis, caryophyllorum, valerianæ ſeu phu Pontici ana drachmas quinque, comarum chamædryos, chamæpityos, polii Cretici, nardi Celticæ, comarum hyperici, rad. angelicæ, mei paluſtris ſeu olſenichii, gentianæ, ſeminis aniſi, ammeos, cardamomi minoris, fœniculi Romani, ſeſelios Maſſilienſis, thlaſpios, cubebarum, ſucci acaciæ, hypocyſtidis, gummi Arabici, ſtyracis calamitæ, ſagapeni, vitrioli martis, terræ Lemniæ veræ ana unciam ſemiſſem, radicum ariſtolochiæ rotundæ veræ, comarum centaurii minoris, ſeminis dauci Cretici,

Cretici, bituminis Iudaici, vel ejus loco ſuccini, opoponacis, galbani, caſtorei ana drachmas duas, camphoræ, xylobalſami, aut ligni aloes ana drachmam unam, aſpalathi, aſari, amaraci, mari veri ana ſcrupulos duos, maſtiches ſcrupulum unum, mellis deſpumati optimi, libras quindecim. Singulis, juxta receptam conſuetudinem in claſſes ſuas redactis, rite diſpoſitis, trutinatis ac debite examinatis, inde lege artis fiat electuarium.

ANTIQVA hæc antidotus, quæ ex ſpeciebus activis atque numeroſis componitur, magnam ubique famam, nec infimum inter pharmaca præſtantiora locum adepta eſt. Blandam enim diaphoreſin atque diureſin provocat, & humores variis hac ratione quiſquiliis liberat, placidum agrypnia laborantibus ſomnum conciliat, dolores ac vehementes partium ſolidarum contractiones ſpaſmodicas ſedat, fluxiones, præſertim ſeroſas, præternaturales atque exorbitantes cohibet, naturales ex adverſo ſolidorum contractiones, ſi nimis torpidæ exiſtant, excitat, & harum ope etiam fluxum menſtruum, lochialem, & hæmorrhoidalem, nec minus fœtus atque placentæ uterinæ excluſionem promovet; adeoque etiam notabile nonnunquam auxilium in peſte aliiſque febribus malignis, morſu & ictu animalium rabidorum ac venenatorum, adfectibus catarrhalibus, ſcabioſis, cachecticis, ac frigidis rhevmaticis, nec minus in vomitu, cholera, lienteria, cœliaca, diarrhœis, dyſen-

teria, torminibus ventris, cardialgia, colica, diabete, partu difficili &c. adferre consuevit. Quo vetustior existit, eo mitior deprehenditur, dum nimia activitas opii crudi, cujus granum unum in quatuor theriacæ scrupulis hæret, protracta fermentatione lenissima magis magisque minuitur; hinc nunquam etiam theriaca recentissime parata, sed ad minimum per sex menses adservata, in usum vocatur. Datur adultis per se, aut cum vino, vel aqua quadam destillata, succo citri, acero &c., a scrupulo ad drachmam unam, immo drachmas tres; infantibus tenellis autem a grano uno ad 2. 3. 4. 5. 6. Persæpe etiam aliis electuariis, nec minus pilulis, bolis, pulveribus atque mixturis liquidis dosi refracta additur.

THERIACA DIATESSERON ET THERIACA PRO FAMILIA

PRIOR ita componitur: Rec. radicum aristolochiæ rotundæ, gentianæ, baccarum lauri, myrrhæ electæ ana uncias duas, mellis despumati libras duas. F. l. a. electuarium. *Posterioris* præparatio sequens est: Rec. pulv. radicum angelicæ, gentianæ, olsenichii, petasitis, zedoariæ ana unciam unam, herbarum cardui benedicti, fumariæ, scordii ana drachmas sex, baccarum lauri unciam semissem, rob juniperi libram unam, rob sambuci, ebuli ana libram dimidiam, mellis despumati,

mati, quantum sufficit. M. F. l. a. electuarium.

ELECTVARIA hæc, licet ex paucis constent ingredientibus, inter selecta nihilominus & activa bezoardica, antiputredinosa, carminativa, & diaphoretica militant, anodyna vero virtute destituuntur, quoniam ea nihil opii ingreditur. Exhibentur a drachma una ad unciam dimidiam vel per se, vel cum vino, acero, succo citri & similis naturæ vehiculis. Præter hactenus descriptas theriacæ species in Officinis adhuc alia, quæ a QVERCETANO primum concinnata fuit, & *Theriaca cœlestis* dicitur, prostat; cujus tamen descriptione uberiori memet hoc loco commode supersedere posse existimo, quoniam theriacam Andromachi pretio quidem & ingredientium numero, neutiquam vero virtute superat.

PHILONIVM ROMANVM

REC. Piperis albi, seminis hyoscyami albi ana drachmas quinque, opii depurati drachmas duas cum semisse, cassiæ ligneæ, cinnamomi electi ana drachmam unam cum dimidia, apii, euphorbii, myrrhæ ana drachmam unam, seminis dauci Cretici, fœniculi, petroselini Macedonici ana scrupulos duos, croci optimi, nardi Indicæ, pyrethri, zedoariæ ana scrupulum unum, mellis optime despumati uncias octo. M. F. l. a. electuarium.

OB SEMINIS hyoſcyami, & largiorem quoque opii additionem, *theriacam* ANDROMACHI, cum qua ratione naturæ & virtutis quodammodo convenit, virtute anodyna, ſedativa & hypnotica ſuperat. Inventor quidem myrrham, crocum, zedoariam, piper & in ſpecie euphorbium addidit, ut iis nimiam vim narcoticam opii mitigaret; at omnes, qui opii naturam & operandi modum exactius cognoverunt, contrarium ſentiunt, & memoratorum ope vim narcoticam certius exaltari, quam minui, recte judicant. Exhibetur a ſcrupulo uno ad drachmam ſemiſſem, quippe quæ integrum opii granum continet. Proſtat etiam in Officinis *Philonium Perſicum*, quod natura quidem & virtute parum a deſcripto diſtinctum deprehenditur, rarius tamen, quam illud, in uſum vocatur.

LAVDANVM OPIATVM COMPLETVM

REC. Extracti opii, alibi pridem deſcripti, uncias duas, extracti croci unciam ſemiſſem, ſuccini albi præparati, coralliorum rubrorum præparatorum, margaritarum orientalium præparatarum, lapidis bezoar orientalis, terræ ſigillatæ Strigenſis ana drachmam unam, ambræ gryſeæ ſelectæ ſcrupulum unum, moſchi Alexandrini ſcrupulum ſemiſſem. M. F. l. a. Opiatum. Quando ambræ ac moſchi additio omittitur, *Laudani opiati incompleti* nomen gerit; & ſi incompleti unciæ uni & dimidiæ

midiæ extracti caſtorei drachma una cum dimidia miſcetur, *Laudani hyſterici* ſeu *mulierum* adpellatione inſignitur.

LAVDANA hæc magis inter maſſas pilularum, quam electuaria, locum obtinent, & merito potentioribus anodynis, ſedativis & hypnoticis adnumerantur. *Laudanum incompletum* ut & *hyſtericum* uſum habet ampliorem, quam completum, quod fœminæ plurimæ, ac multi pariter viri, ob moſchi & ambræ miſcelam, adſumere recuſant. Dantur per ſe a grano uno ad duo, tria, & frequentius adhuc aliis medicamentis parva doſi addúntur.

DIACYDONIVM SIMPLEX ET CVM SPECIEBVS

REC. Pulpæ cydoniorum, cum ſucco eorundem puriſſimo coctæ, ſachari albiſſimi clarificati, & ad juſtam conſiſtentiam coquendo inſpiſſati, ana libras octo. Exacte miſce, ut ſcatulis infundi poſſit, vel ad electuarii ſpiſſioris conſiſtentiam redige. Quando Diacydonii ſimplicis recens parati, & adhuc a foco calentis libræ uni ſpecierum pro morſulis Imperatoris, & flavedinis corticum citri minutiſſime conſciſſæ ana drachmæ quinque miſcentur, *Diacydonium compoſitum* ſeu *cum ſpeciebus* inde reſultat.

DIACYDONIVM *ſimplex*, quod alias etiam *Diacydoniatum lucidum* vocatur, virtute tempe-

rante atque ſubadſtringente pollet, adeoque in ipſis febribus ardentibus ac bilioſis nonnunquam exhibetur a drachma una ad unciam dimidiam; *Compoſitum* vero, præter vires refrigerantes & ſubadſtringentes, etiam roborantes atque ſtomachales poſſidet, & a drachma una ad drachmas duas præſcribitur.

LOOCH AD ASTHMA

REC. Scillæ aſſæ & præparatæ unciam dimidiam, hyſſopi, praſii ana drachmam unam, rad. iridis Florentinæ drachmas duas, croci orientalis, myrrhæ electæ ana drachmam ſemiſſem, mellis deſpumati quantum ſufficit. M. F. l. a. looch.

PROPTER validam virtutem incidendi, abſtergendi ac lubricandi in aſthmate pituitoſo, ſimilibusque pectoris adfectibus non contemnendum præſtat auxilium, & ordinario a ſcrupulo dimidio ad integrum exhibetur. *Looch*, *Lohoch* cæteroquin, teſte B. SCHVLTZIO, *a* Arabibus idem denotat, quod apud Græcos ἔκλειγμα, apud Latinos *linctus*, quoniam non ſimul & ſemel deglutienda, aut devoranda ſunt, ſed in ore detineri, ſenſimque eliquata ſorberi debent.

LOOCH DE PAPAVERE

REC. Amygdalarum dulcium recens decorticatarum, pinearum enucleatarum, gummi

a) L. c. p. 175.

mi Arabici, ſucci glycyrrhyzæ ana unciam unam cum ſemiſſe, amyli drachmas tres, ſachari albiſſimi libram dimidiam, papaveris albi uncias tres, mucilaginis, e ſeminis cydoniorum & portulacæ ana uncia dimidia aquæ tuſſilaginis ſufficienti quantitate extractæ, quantum ſufficit. Contuſa contundenda cum mucilagine, e ſeminibus extracta, ſubigantur, & cum addita ſyrupi de papavere compoſiti ſufficienti quantitate ad juſtam looch conſiſtentiam redigantur.

HVMORES tenues incraſſat, acres eorum partes obtundit, & ſolida eroſa demulcet; hinc in phthiſi etiam, febre hectica, raucedine, tuſſi acri ſalſa, eroſione faucium, ventriculi & inteſtinorum, dyſenteria, ardore urinæ, ſtranguria &c., utiliſſimum, præſertim, ſi recentius paratum fuerit, deprehenditur remedium. Datur a drachmis duabus ad unciam dimidiam & ultra.

LOOCH DE PVLMONE VVLPIS

REC. Pulmonis vulpis ſiccati & præparati, ſeminis aniſi, fœniculi, capillorum veneris, ſucci glycyrrhizæ depurati ana unciam unam, ſachari albiſſimi, in aqua veronicæ diſſoluti & clarificati, libram unam cum dimidia. Pulveriſata pulveriſanda miſceantur cum ſolutione

lutione ſachari, & piſtillo probe ſubigantur, ut inde juſtæ conſiſtentiæ looch reſultet.

PERTINET ad demulcentia ac leniter abſtergentia pectoralia, & phthiſicis atque hecticis ſpecifice prodeſſe creditur. Exhiberi poteſt ab uncia dimidia ad integram, non una tamen vice indicata quantitas devoranda, ſed lingendo adſumenda eſt, ut ſucceſſive per fauces ad ventriculum defluat.

LOOCH SANVM ET EXPERTVM

REC. Seminis aniſi, fœniculi, cinnamomi, calaminthæ, hyſſopi, rad. iridis Florentinæ ana unciam dimidiam, capillorum veneris manipulum unum. Singula probe comminuta in ſufficienti aquæ fontanæ quantitate per diem & noctem macerentur, & inde poſtea aquæ ſpirituoſæ libra una deſtillando abſtrahatur. Deinde recipe amygdalarum dulcium recens decorticatarum drachmas tres, pineolarum decorticatarum drachmas quinque; fiat inde cum prædicta aquæ deſtillatæ libra emulſio, eidemque primum ſachari albi libræ duæ, & deinde pulveris ſubtiliſſimi glycyrrhizæ, gummi Arabici, tragacanthi, amyli ana drachmæ tres, & radicum iridis Florentinæ drachmæ duæ addantur, ac ſingula probe miſceantur, ut inde looch juſtæ conſiſtentiæ fiat.

QVOAD

QVOAD virtutem & uſum cum *Looch de papavere* convenit, & in iisdem quoque morbis, in quibus illud conducit, locum habet. A drachmis quinque ad decem inventor MESVE, & quidem ſucceſſive lambendo, adſumere juſſit; quod præceptum circa pleraque pariter electuaria ac looch demulcentia atque pectoralia reliqua probe obſervandum eſt, ut eo majus auxilium in faucibus, & aſpera arteria, ſub paullatino ſuo per gulam deſcenſu, exſerere queant. Aliter comparatum eſt cum eclegmatibus, quæ alvum movere, aut alios uſus, poſt translationem ad ſanguinem, præſtare debent.

TRYPHERA MAGNA

REC. Radicum calami aromatici, cyperi, galangæ majoris, iridis Florentinæ, peucedani, corticum mandragoræ, foliorum roſarum rubrarum, ſeminis aniſi, apii, dauci, fœniculi, hyoſcyami, hyſſopi, naſturtii aquatici, ocymi, petroſelini, caryophyllorum, cinnamomi, coſti, galangæ minoris, nardi Celticæ, piperis, ſpicæ Indicæ, ſtyracis calamitæ, zedoariæ, zingiberis ana drachmam unam, mellis deſpumati uncias decem. M. F. inde l. a. electuarium.

Τρυφερὸν, uti B. SCHVLTZIVS ſcribit, [a] Græcis vocatur *delicioſum*, *voluptuarium*, tam ſenſu illo, quo denotatur aliquid ad voluptatem excitans,

a) Lib. cit. p. 408.

excitans, quam iſto, quo ſignificatur indolens, aut abſque doloris ſenſu agens. Sic apud GALENVM collyria tryphera vocantur, quæ conveniunt iis, qui nihil mordax perferre poſſunt: & SCRIBONIVS LARGVS *compoſ.* 230. hoc nomen tribuit medicamento, quod ſine dolore tollit externa vitia, quæ ferrum cum dolore ablaturum erat &c. Hæc, quæ rectius *Antidotus tryphera magna* dicitur, ad electuaria ſtomachalia, carminativa, cardiaca, exhilarantia, ac roborantia pertinet, & in melancholia, palpitatione cordis, debilitate ventriculi, torminibus ventris, anxietatibus præcordialibus, a flatibus in ventriculo & inteſtinorum canale incarceratis, præcipue oriundis, &c., opem ferre conſuevit: Aliqua præterea virtute anodyna ac ſedativa, quam ipſi ſpecies narcoticæ, v. g. cortices mandragoræ, & ſemen hyoſcyami largiuntur, inſtructa eſt; hinc non tantum ob plura, quæ recipit ingredientia, ſed ob majores pariter vires, quas præ mox deſcribenda minori poſſidet, *magna* vocatur. Vulgo a drachma una ad duas exhibetur; ſin opium vero, juxta *pharmacopœæ Auguſtanæ* præſcriptum, receperit, doſis ultra drachmam, quæ granum unum opii, & granum dimidium mandragoræ continet, nunquam adſcendere debet.

TRYPHERA MINOR

REC. Myrobalanorum belliricarum, chebularum, emblicarum, indarum, nucis moſchatæ ana drachmas quinque, aſari, cyperi,

peri, foliorum tamariſci, nardi Indicæ, olibani, piperis, ſchœnanthi, zingiberis, ſeminis ammeos, naſturtii, origani Cretici ana unciam dimidiam, chalybis, in aceto vini per quinque dies macerati, drachmas viginti. Myrobolani, butyro recenti non ſalito modice frixæ, & reliqua, oleo amygdalarum dulcium imbuta, cum mellis deſpumati triplo, libris circiter duabus, debite miſceantur, &, addita ſub finem moſchi drachma una, probe ſubigendo in electuarium redigantur.

VIRIBVS ſubadſtringentibus ac roborantibus *Antidotus tryphera minor* prædita deprehenditur, & ideo in imbecillitate ventriculi, cachexia, diarrhœis, fluore albo, aliisque fluxibus ſeroſis præternaturalibus, a drachma una ad duas, ægris nonnunquam cum fructu porrigitur. In Officinis adhuc alia tryphera, *Saracenica* dicta, proſtat, quæ valde, quoad naturam & virtutes, cum deſcripta tryphera magna convenit, præterquam, quod nulla virtute anodyna, ſtricte ita dicta, propter narcoticorum abſentiam, inſtructa inveniatur.

SECTIO

SECTIO XII

DE VNGVENTIS, BALSAMIS EXTERNIS, EMPLASTRIS CERATIS, ET MASSIS ODORATIS

CAPVT I

DE VNGVENTIS ET BALSAMIS EXTERNIS

§. I

VNGVENTA ſunt medicamenta topica, ſpiſſiuſcula, ex oleoſis, pinguibus, atque mucilagineis præcipue parata, ac leni affrictu corporis externi partibus adplicanda.

§. II

NONNIHIL ab illis LINIMENTA differunt, quippe quæ conſiſtentia longe tenuiori gaudent, & modo ex meris oleis, ac pinguedinibus liquidioribus, modo ex meris liquoribus ſpirituoſis, modo ex utriſque invicem mixtis, componuntur.

§. III

VSITATISSIMA unguentorum *excipientia*, uti ex præmiſſa pridem definitione quodammodo patet, *pinguedines animalium recentes*, *olea expreſſa*, *cocta* & *infuſa*, *ſucci plantarum mucilaginei expreſſi*, *mucilagines ſpiſſiores*, infuſionis aut coctionis beneficio extractæ, & ſubinde etiam *mel* & *acetum* conſtituunt. Hiſce deinceps ad activitatem aut conſiſtentiam augendam, vel novas plane virtutes inducendas, varia corpora alia, tum ſpiſſiuſcula aut liquida, tum, & quidem maxime, ſicca, in pulverem ſubtilem redacta, eaque nunc cruda naturalia, nunc chymice aut pharmacevtice præparata, *ſola* ac *ſimplici* interveniente *miſcela*, uniuntur.

§. IV

SPECIES unguentorum BALSAMI EXTERNI SPISSIVSCVLI exiſtunt, qui maxime ex *oleis deſtillatis æthereis* & *balſamis naturalibus*, ſufficienti quantitate cum *oleo nucis moſchatæ expreſſo*, protracta in aqua tepida lotura ad albedinem atque ceraceam conſiſtentiam redacto, aut ſuo duntaxat odore nativo per ſpiritum vini nonnihil ſpoliato, vel etiam, quanquam rarius, cum *oleo maceris expreſſo*, aut *unguento pomato recentiſſimo*, ſimplicis miſcelæ, aut blandæ ſuper igne leni liquefactionis ope conjungendis, conficiuntur. Si unguentum pomatum excipientis vice perfungitur, plerumque ceræ

pauxillum, ad juſtam balſamo conſiſtentiam conciliandam, additur, ac leni colliquefactione unitur: Sin vero oleum nucis myriſticæ expreſſum ac lotum baſin conſtituat, ceræ additione rariſſime opus eſt. Peracta ingredientium eſſentialium miſcela, balſami ita relinquuntur, vel novo quodam colore, per apta additamenta, pro lubitu tinguntur. Colorem *nigrum* v. g. pulvis boleti cervi, *rubrum* cinnabaris, ſanguis draconis pulveriſatus, *viridem* magiſterium menthæ, *flavum* pulvis croci aut curcumæ, *cæruleum* ultramarinum animale, & ſic colores alios concreta alia inducunt.

§. V

BALSAMI vel ſaltem, grati odoris cauſſa, in pyxide circumferuntur, vel temporibus, aliisque partibus, confortandi fine, inunguntur: Quod reliqua vero unguenta attinet, illorum uſus latius patet, dum illa ipſa, pro differenti ingredientium ſuorum indole atque virtute, nunc emolliendi, demulcendi aut humectandi, nunc abſumendi, ac corrodendi, nunc adſtringendi, conſolidandi, roborandi aut diſcutiendi &c. ſcopo, in morbis variis, poſtea, ſub quorundam deſcriptione ſpecialiſſima, ſparſim indicandis, externe adplicantur. Hoc unicum duntaxat hoc loco adji-

adjiciendum erit, unguenta, externi corporis partibus leni affrictu adplicata, vel in ſolam epidermidem & cutem ſubſtratam, ſi illæ ipſæ ſcilicet communi hoc integumento nondum denudatæ ſint, actionem ſuam exercere, vel inhalationis aut immerſionis beneficio, quoad particulas volatiles, aliasque ſubtiliores, blando corporis calore liquefactas, altius per vaſcula bibula penetrare, & ſolida æque ac fluida, pro differenti ſua indole, diverſimode pariter alterare. Sæpiſſime tamen priorum quoque actio, licet particulæ activæ ob craſſitiem altius ſeſe inſinuare nequeant, ob nexum membranarum ac nervorum arctiſſimum, a cute ad partes interiores extenditur, & variæ in illis motuum mutationes producuntur; quemadmodum id frequentiſſime ac luculentiſſime in cardialgia, colica, malo hyſterico, diarrhœis, dyſenteria &c., poſt emollientium, aut adſtringentium ac roborantium unguentorum adplicationem, obſervare licet. Externa enim abdominis, in cujus centro morbi memorati ſuam ſedem habent, integumenta, cum membranaceis muſculorum abdominalium involucris, hæc cum peritonæo connectuntur, peritonæum cum meſenterio cohæret, & iſtud denique externam inteſtinorum tunicam membranaceam format; adeoque facile concipiendum

est, cur relaxatio aut fortior constrictio, fibris integumentorum externorum per illita unguenta emollientia, aut adstringentia inducta, ad ventriculum, intestina, aliaque viscera connexa propagetur, & hac ratione dolores mitigari & fluxus præternaturales sisti ac cohiberi possint.

VNGVENTA ET BALSAMA EXTERNA VSITATIORA

Vnguentum Ægyptiacum.
- *de Althæa.*
- *clysmaticum.*
- *Comitissæ.*
- *contra rupturam.*
- *enulatum.*
- *pomatum.*
- *contra scabiem.*
- *potabile rubrum.*
- - *viride.*
- *fuscum commune.*
- - FEL. WVRTZII.
- *album camphoratum*
- *simplex.*
- *ad ambusta.*
- *citrinum.*
- *de minio.*
- - *lithargyrio.*
- *rosatum.*
- *sautolinum.*
- *alabastrinum.*
- *anodynum.*
- *de linaria.*

Vnguentum populeum.
- *basilicum.*
- *nervinum.*
- *pectorale.*
- *carminativum.*
- *stomachale.*
- *contra vermes.*

Balsamus apoplecticus cum moscho & ambra.
- *apoplecticus pro mulieribus.*
- *bezoardicus.*
- *cephalicus* Serenissimæ
- LOCATELLI.
- *contra vertiginem.*
- *sulphuris externus.*
- *succini.*
- *caryophyllorum.*
- *cinnamomi.*
- *citri.*
- *lavendulæ.*
- *majoranæ*
- *rosarum.*

VNGVEN-

VNGVENTVM ÆGYPTIACVM

REC. Æruginis drachmas sex, mellis puri uncias duas, aceti vini acerrimi unciam unam. Ærugo trita aceto diluatur, ac per setaceum trajecta, & melle remixta, igne moderato ad unguenti molliusculi, purpurei coloris, consistentiam coquatur.

LENI virtute cathæretica, antiputredinosa & abstergente pollet, adeoque etiam ad ulcera mundificanda, carnem luxuriantem, caruncu-las, in urethra &c. enatas, callositates fistularum, & varias alias excrescentias callosas ac carnosas præternaturales absumendas, nec minus gangrænæ ac sphaceli progressum cohibendum, frequentissime adhibetur, vel per se, vel cum fortioribus aliis debite combinatum.

VNGVENTVM DE ALTHÆA

REC. Radicum althææ recentium, minutim concisarum & contusarum, libram unam, seminis fœni Græci, sem. lini ana uncias sex, pulveris radicum curcumæ unciam semissem, aut quantum pro inducendo grato colore flavo sufficit, butyri majalis recentis non saliti, libras decem. Leni igne ad humiditatis consumtionem, & decentem consistentiam coquantur, posteaque per linteum colentur, ut decens inde unguentum nascatur.

EMOLLIENTE, demulcente & anodyna ſua virtute in ſpaſmis variarum partium dolorificis, ambuſtis, tumoribus duris, atque calloſis excreſcentiis ſeſe commendat, & perſæpe pariter ulceribus juſto ſiccioribus, atque partibus, per cauſtica eroſis, cum fructu adplicatur. Si mercurius ſublimatus eidem modica quantitate miſcetur, tutum inde exſurgit cathæreticum, immo, aucta mercurii doſi, ipſum cauterium potentiale, quo fonticuli, citra inflammationem graviorem, poſſunt excitari.

VNGVENTVM CLYSMATICVM

REC. Radicum althææ recentium, liliorum alborum ana uncias quatuor, herbarum biſmalvæ, brancæ urſinæ, malvæ, mercurialis, parietariæ, violariæ, ana manipulos quatuor, florum chamomillæ, meliloti ana manipulos tres. Singula hæc cum butyri recentis libris quinque conquaſſando miſceantur, macerentur per menſem in loco tepido, & deinde, poſt lenem ebullitionem, exprimantur atque colentur.

CLYSTERIBVS emollientibus, abſtergentibus, anodynis atque antiſpasmodicis, præſente dolore cardialgico, colico, iliaco, nephritico, hypochondriaco, hyſterico &c., injiciendis, ad aliquot drachmas, imo integram unciam, additur. Poteſt tamen etiam externe, loco unguenti de althæa, cum quo convenit quoad naturam & vires, adplicari.

VNGVEN-

VNGVENTVM COMITISSÆ

REC. Corticum mediorum caſtanearum, glandium, quercuum juniorum, acinorum uvarum, baccarum myrti, balauſtiorum, corticum fabarum, cupellarum glandium quernarum, equiſeti, foliorum capparis, plantaginis, pruni ſylveſtris, gallarum, meſpilorum ſiccatorum, radicum biſtortæ, tormentillæ, ſorborum immaturorum, ana uncias duas. Contuſa & conquaſſata in ſex circiter aquæ libris, uſque ad dimidiæ partis conſumtionem, coquantur, colaturæ expreſſæ addantur olei myrtillorum infuſi libræ duæ, coquantur ad plenariam humiditatis conſumtionem, &, denuo additis ac colliquatis olei maſtichini libra una & dimidia, itemque ceræ recentis unciis decem, paullatim pulvis ſubtiliſſimus, ex corticum mediorum caſtanearum, cort. glandium, quercus, acinorum uvarum immaturarum, baccarum myrti, boli Armenæ, nucis moſchatæ, ſanguinis draconis, ſorborum immaturorum ſiccatorum ana uncia dimidia, & trochiſcorum de carabe unciis duabus paratus, inſpergatur, & ſecundum artem fiat juſtæ conſiſtentiæ unguentum.

OB MERA propemodum ingredientia plus minusve ſtyptica, adſtringendo agit, &, abdomini, femoribus atque dorſo illitum, diarrhœas, dyſenteriam, nimium fluxum menſtruum

ſtruum & hæmorrhoidalem, nec minus intempeſtivam uteri hæmorrhagiam apud gravidas ſiſtere, adeoque etiam abortum præcavere dicitur. Si articulationibus quoque poſt prægreſſas luxationes, oſſe tamen prius repoſito, inungitur, ligamenta, nimia extenſione debilitata, iterum roborat.

VNGVENTVM CONTRA RVPTVRAM

REC. Butyri majalis recentis, illoti, nec ſaliti, libram unam, pinguedinis humanæ uncias tres, pinguedinis taxi uncias quatuor. Hiſce colliquatis ſucceſſive, præmiſſa tamen ſingulorum diſſectione atque conquaſſatione, immiſceantur radicum recentium biſtortæ, tormentillæ ana drachmæ tres, rad. bardanæ majoris, pentaphylli, ulmariæ ana uncia una, ſymphyti majoris uncia una & dimidia, herbarum recentium conſolidæ Saracenicæ, herniariæ, hyperici cum floribus, millefolii, perfoliatæ, plantaginis, pyrolæ, verbaſci, vincæ pervincæ, foliorum recentium hederæ arboreæ, quercus, florum roſarum rubrarum, balauſtiorum ana drachmæ ſex, baccarum myrti, cupularum glandium, nucum cupreſſi, ana uncia una, ſeminis plantaginis, ſumach ana uncia dimidia. Macerentur, donec omnia in maſſam collecta ſint, deinde, lento adhibito igne, ad plenariam humiditatis

tatis conſumtionem bulliant, tunc fortiter exprimantur, & tandem, admixta adhuc olibani, & ſanguinis draconis ſubtiliſſime pulveriſati ana uncia una, debitæ conſiſtentiæ unguentum inde fiat.

EX ingredientibus adſtringentibus, ſubadſtringentibus & balſamicis traumaticis, quorum activitas tamen per pinguedines paullulum debilitatur, conſtat, & ideo etiam ad hernias ſanandas, ulcera, carne nimis laxa ac ſpongioſa cincta, conſolidanda, & articulationes, aliasque partes relaxatas denuo roborandas adhibetur.

VNGVENTVM ENVLATVM

REC. Radicum enulæ recentium libram unam, pinguedinis porcinæ uncias ſex, olei olivarum puriſſimi uncias quatuor. Tundendo in mortario probe miſceantur, tum parum ſuper igne ebulliant, & colaturæ, fortiter expreſſæ, ceræ flavæ & terebinthinæ puræ ana unciæ duæ addantur, indeque fiat l. a. unguentum.

VVLGO ad ſcabiem & tineam capitis, præſertim floribus ſulphuris aut mercurio vivo remixtum, commendatur: At, proſpiciendum eſt, ne, intempeſtiva ejusdem inunctione, materiæ impuræ retropulſio efficiatur, præprimis, ſi nondum laxantia, aliaque purificantia præmiſſa fuerint.

VNGVENTVM POMATVM

REC. Caryophyllorum drachmas duas, cinnamomi drachmas tres, maceris ſcrupulos duos, florum lavendulæ drachmam unam, gummi benzoës electi, ſtoracis calamitæ ana drachmas tres, ligni aloes drachmas duas, ligni Rhodii drachmam unam, ſaſſafras drachmam dimidiam, radicum ireos Florentinæ unciam unam. Contuſa, & ſacculo lineo mundo incluſa, vaſi terreo optime vitreato imponantur, iisdemque addantur aquæ roſarum fragrantiſſimæ libra dimidia, pinguedinis porcinæ recentis, bis terve aqua ſimplici lotæ, libra una, pulpæ pomorum dulcium odoratorum unciæ ſex, ſevi hircini recentis mundi ac loti unciæ quatuor, coquantur igne leni aliquantiſper, deinde ab igne remota per triduum aut quatriduum ſtent in digeſtione, tum iterum, ad humiditatis evaporationem, igne leni coquantur, colentur, colatura refrigerata tamdiu aqua roſarum fragranti agitetur, donec albeſcat, & deinde olei ligni Rhodii guttæ viginti addantur, ac probe miſceantur, ut inde fiat unguentum.

VIRTVTE demulcente, & aliqua pariter nervina pollet, immo, inter coſmetica, præſertim, ſi eidem pauxillum mercurii præcipitati albi, aut magiſterii marcaſitæ additum fuerit, locum invenit. Frequentius ad labiorum, mammarum,

rum, aliarumque partium fiſſuras ſanandas commendatur, poteſt tamen etiam partibus, convulſione correptis, inungi.

VNGVENTVM POTABILE RVBRVM

REC. Pulveris radicum alkannæ unciam unam cum ſemiſſe, rubiæ tinctorum, tormentillæ ana unciam unam, rhapontici, ſerpentariæ ana unciam dimidiam, baccarum alkekengi drachmam unam, vini rubri odorati libram unam. Macerentur aliquot dies in loco frigido cum butyri majalis recentis, non ſaliti, libris tribus, poſteaque, additis prius viginti cancris fluviatilibus contuſis, ad humiditatis conſumtionem leni igne coquantur, colentur, exprimantur, colaturæ adhuc calenti ſpermatis ceti recentis, nondum rancidi, uncia una & dimidia addatur, ac inde l. a. fiat unguentum.

NON externo duntaxat, uti plurima unguenta reliqua, ſed interno etiam uſui deſtinatum eſt, & ad ſanguinem intus coagulatum, atque poſt prægreſſam contuſionem, rupturam, aut lapſum extravaſatum denuo reſolvendum, nec minus ad vulnera conſolidanda ſpecificum deprædicatur remedium, ſi ad unciam unam alteramve cum juſculo calido ægris porrigitur. Externe puerperarum abdomini inungitur, vel per ſe, vel cum oleo quodam nervino, v. g. oleo deſtillato menthæ, maſtichis, carvi, nuciſtæ &c., aut

aut oleo caſtorei infuſo remixtum, ut ventris tumorem, qui ſæpe poſt partum remanet, avertat.

VNGVENTVM POTABILE VIRIDE

REC. Herbæ abrotani, agrimoniæ, alchimillæ, artemiſiæ, bellidis minoris, betonicæ, bugloſſæ, burſæ paſtoris, cardui benedicti, caryophyllatæ cum radice, centaurii minoris, chærefolii, cichorii, conſolidæ majoris cum floribus et radicibus, conſolidæ Saracenicæ, hepaticæ nobilis, fœniculi, fragariæ, hyperici cum floribus, hyſſopi, lavendulæ, leviſtici, marrubii albi, menthæ, millefolii, nummulariæ, origani, parietariæ, petroſelini, pimpinellæ, prunellæ, pulegii, pulmonariæ maculoſæ, pyrolæ, rorismarini, rutæ, ſalviæ, ſaniculæ, ſcolopendriæ, ſerpilli, tuſſilaginis, verbenæ, veronicæ, vincæ pervincæ ana manipulos ſex, radicum tormentillæ recentium uncias tres. Singula, juſto tempore collecta, conciſa, & contuſa macerentur cum butyri majalis recentis inſulſi libris triginta, donec in unam maſſam collecta ſint, poſtea, ad humiditatis conſumtionem, leni igne coquantur, cum aliquali expreſſione colentur, & inde, additis prius ſpermatis ceti recentis unciis tribus, fiat unguentum.

EX NVMEROSIS quidem ac variæ naturæ ingredientibus componitur, cum præcedente nihilominus, quoad uſum & vires reſolventes atque travmaticas, convenit.

VNGVEN-

VNGVENTVM FVSCVM COMMVNE

REC. Olei communis libram unam cum ſemiſſe, diſſolve in eo ceræ flavæ recentis uncias quatuor, colophoniæ, picis navalis ana uncias duas, maſtiches, terebinthinæ ana unciam unam. Mixta colentur, & colaturæ nonnihil refrigeratæ gummi galbani, ſagapeni, thuris electi ſubtiliſſime triti ana uncia una, pulveris radicum ariſtolochiæ rotundæ uncia dimidia, præmiſſa tamen gummi galbani & ſagapeni in vino diſſolutione, depuratione, & aliquali rurſus inſpiſſatione, probe miſceatur, indeque lege artis conficiatur unguentum.

AD mundificantia, ſarcotica, & digerentia, generandæ ſcilicet materiæ purulentæ deſtinata, refertur. Sordes enim ex ulceribus atque vulneribus auffert, eademque moderato calore fovet.

VNGVENTVM FVSCVM FELICIS WVRTZII

REC. Colcotharis ſeu terræ vitrioli dulcis uncias duas, florum æris drachmas decem, aceti vini, in quo folia plantaginis ac chelidonii majoris recentia per aliquot dies macerata, & poſtea expreſſa fuerunt, uncias tres, phlegmatis vitrioli uncias duas, mellis deſpumati uncias ſex. Inſpiſſentur leni igne, continuo agitando, ad mellis conſiſtentiam.

VNGVEN-

VNGVENTO Ægyptiaco natura ac viribus anologum eſt, & vulgo ad ulcera detergenda atque nonnihil quoque exſiccanda, nec minus ad carnem luxuriantem & calloſitatem fiſtularum abſumendam, adhibetur.

VNGVENTVM ALBVM SIMPLEX ET CAMPHORATVM

VNGVENTVM *album ſimplex:* Rec. ceruſſæ tritæ, & cum aqua roſarum præparatæ, ceræ albæ ana libras duas, ſevi hircini, olei olivarum, olei roſati ana libram unam. Ceræ, cum oleis colliquatæ, ſevum hircinum, tandemque ceruſſa exacte contrita miſceatur, & inde fiat unguentum. *Vnguentum album camphoratum:* Rec. albuminum ovorum probe conquaſſatorum numero ſex, camphoræ, guttis aliquot olei roſati diſſolutæ, drachmas duas, ceræ albæ uncias tres, ceruſſæ Venetæ albiſſimæ ſubtiliſſime tritæ, olei roſacei ana libram unam. M. F. l. a. unguentum.

VTRVMQVE virtute refrigerante, demulcente & ſubadſtringente præditum eſt, adeoque etiam partibus ambuſtis, eroſis atque cuticula denudatis, itemque ulceribus venereis, aliisque ſerpiginoſis ac valde inflammatis, cum inſigni plerumque fructu, adplicatur.

VNGVENTVM AD AMBVSTA

REC. Corticum medianorum ſucculentorum ſambuci, corticum ſimilium tiliæ ana manipulum

nipulum unum, ſucci plantaginis, recenter expreſſi, unciam unam, ſucci ſempervivi unciam ſemiſſem, olei lini, recens expreſſi, uncias ſex. Coquantur leni igne ad humiditatis conſumtionem, deinde oleo colato ceruſſæ Venetæ ſubtiliſſime tritæ, & aqua roſarum lotæ, ſevi cervini aut hircini ana uncia una, ſachari drachmæ duæ, olei de vitellis ovorum, recens parati, uncia dimidia exacte in mortario plumbeo miſceantur, ut juſtæ conſiſtentiæ unguentum inde reſultet.

CVM unguento albo ſimplici convenit, & ideo non tantum partibus ambuſtis, ſed etiam eroſis, aut alia ratione cuticula denudatis, inungitur.

VNGVENTVM CITRINVM

REC. Adianthi præparati unciam unam, amyli, cryſtalli præparatæ, entalorum & dentalorum præparatorum, nitri cryſtallini, thuris electi, tragacanthi albiſſimi, umbilici marini præparati, ana drachmas tres, alabaſtri candidiſſimi ſubtiliſſime pulveriſati, boracis Venetæ ana drachmas duas, camphoræ drachmam unam, coralliorum alborum unciam ſemiſſem, gerſæ ſerpentariæ unciam unam, ceruſſæ ſubtiliſſime tritæ uncias ſex, pinguedinis porci caſtrati, recentis, ac mundæ libram unam cum ſemiſſe, ſevi hircini recentis

tis unciam unam & dimidiam, adipis gallinæ, recens eliquatæ, unciam unam. Pinguedini porcinæ & gallinaceæ colliquatæ tria poma citria aut limonia ſucculenta, in fruſta minora diſſecta, imponantur, ebulliant igne leni, donec citriorum aut limonum ſuccus maximam partem exhalando conſumtus ſit; quo facto, exemtis hiſce pomorum citriorum fruſtulis, pinguedini, adhuc paullulum ferventi, libra dimidia corticum, in fruſtula diſſectorum, miſceatur, iidemque, præmiſſa per menſem integrum in loco tepido maceratione, denuo eximantur, ac poſtea, ſevo hircino igne leniſſimo prius illiquato, pulveres reliqui ſubtiliſſime triti paullatim inſpergantur, tandemque, ſingulis probe ſubactis, camphora, ſpiritu roſarum ſoluta, addatur, & ſecundum artem fiat unguentum.

QVANQVAM unguentum hoc multa ingrediantur terrea, quæ ſub adplicatione, propter inertiam ſuam, parum vel nihil adferre poſſunt emolumenti, non penitus tamen rejiciendum eſt, quoniam paullulum, ob reliquas ſpecies, refrigerat, emollit, atque abſtergit, & ideo nimium faciei ruborem, lentigines atque ephelides curat, cuti aſperiori lævitatem decentem rurſus conciliat, & cicatricum fœditatem, quæ poſt ulcera ac vulnera conſolidata, aut cruſtas ſcabioſas & varioloſas exſiccatas perſæpe relinquuntur, emendat ac minuit.

VNGVEN-

VNGVENTVM DE MINIO

REC. Minii uncias tres, lithargyrii uncias duas, ceruſſæ unciam unam cum ſemiſſe, tutiæ præparatæ drachmas tres, ceræ citrinæ uncias duas, olei roſarum libram unam cum dimidia. Ceræ, cum oleo leni igne colliquefactæ, reliqua, in pulverem ſubtilem redacta, exacte miſceantur, ut inde fiat unguentum. Quando hiſce camphoræ, in oleo diſſolutæ, drachmæ tres adduntur, *unguentum de minio camphoratum* naſcitur.

INTER præcipua unguenta refrigerantia, exſiccantia & ſubadſtringentia militat; hinc partibus ambuſtis, eroſis & cuticula denudatis, nec minus ulceribus prurientibus, ſerpiginoſis, aut circumquaque inflammatis ſæpiſſime cum fructu adplicatur. *Camphoratum* a ſimplici parum differt, præterquam, quod majori virtute diſcutiente polleat, &, malis aut temporibus cum linteo aut corio, cui inungitur, adplicatum, in odontalgia & cephalalgia rhevmatica nonnunquam valde proficuum inveniatur.

VNGVENTVM DE LITHARGYRIO ALIAS ETIAM NVTRITVM DICTVM

REC. Lithargyrii ſubtiliſſime triti libram dimidiam, aceti vini acris libram unam, olei roſacei libras duas. Oleum & acetum cum lithargyrio alternatim & ſucceſſive, protracta

adjuvante tritura, in mortario plumbeo, aut alio, probe miſceantur, donec acetum penitus diſpareat, & inde juſtæ conſiſtentiæ unguentum enatum ſit.

QVOAD naturam, vires & uſum cum *unguento de minio ſimplici* convenit, majorem tamen virtutem refrigerantem, minorem vero exſiccantem obtinet, adeoque præcedenti etiam in ambuſtionibus præfertur.

VNGVENTVM ROSATVM

REC. Roſarum albarum recentium, a calículis & ſtaminibus mundatarum, ac modice in mortario marmoreo conquaſſatarum, libras duas, adipis porcini recentis, candidi, & aliquoties aqua ſimplici aut roſarum loti, libram unam. Miſceantur in vaſe fictili vitreato, deinde inſolentur aliquot dies in vaſe clauſo, tandemque, igne moderato ad humiditatis conſumtionem cocta, colentur, & unguentum enatum adſervetur.

VNGVENTO pomato perſæpe ſubſtituitur, & ſpecifice contra cephalalgiam calidam & ſimilem ventriculi atque hepatis intemperiem, nec minus contra herpetem & inflammationes eryſipelaceas externas commendatur. Quod me attinet, uſum hujus unguenti in pleriſque quidem morbis indicatis facile admittere poſſum, in inflammationibus eryſipelaceis vero, quæ unguinoſa, poros occludentia, haud perferunt, eundem non adeo tutum judico.

VNGVEN-

VNGVENTVM SANTALINVM

REC. Boli Armenæ drachmas ſex, florum papaveris erratici recentium unciam unam, roſarum rubrarum recentium uncias duas, ſantali albi, & citrini ana drachmas ſex, ſantali rubri drachmas decem. Pulveriſatis addatur olei roſacei libra una, coquantur ad conſumtionem humiditatis, exprimantur, colentur, & colaturæ camphoræ drachmæ duæ, ceræ albæ quantum ſufficit addantur, ut juſtæ conſiſtentiæ unguentum fiat.

VIRES exſerit nervinas, refrigerantes & ſubadſtringentes, adeoque etiam contra ruborem dolorificum faciei, ab æſtu inprimis ſolari contractum, commendatur, & in articulationum quoque debilitate, cum aliquali aridura conjuncta, proficuum deprehenditur.

VNGVENTVM ALABASTRINVM

REC. Florum recentium chamomillæ uncias duas cum ſemiſſe, roſarum Damaſcenarum, ſambuci ana uncias duas, herbarum recentium betonicæ, rutæ ana unciam unam & ſemiſſem, majoranæ unciam unam, radicum recentium althææ uncias duas. Contundantur & in olei roſacei libra una & dimidia coquantur ad humiditatis conſumtionem, tum exprimantur ac colentur, colaturæ alabaſtri ſubtiliſſime triti unciæ tres probe

miſceantur, tandemque ceræ albæ, quantum ſufficit, colliquetur, ut inde, ſingulis piſtillo ligneo tamdiu agitatis, donec refrixerint, juſtæ fiat conſiſtentiæ unguentum.

VIRTVTE anodyna & paregorica gaudet, & a multis medicis in cephalalgia acutiſſima, tum febribus continuis & phrenitidi junĉta, tum ſolitaria, nec minus in dolorificis oculorum paſſionibus, dolore pectoris, renum, veſicæ, colli &c. ſpefice commendatur: Non ſimpliciter tamen inungitur, ſed lintea, eodem imbuta, parti dolenti adplicantur. Iners cæteroquin pulvis alabaſtrinus conſiſtentiam quidem auget, nullam vero virtutem compoſitioni conciliat.

VNGVENTVM ANODYNVM

REC. Florum recentium chamomillæ libras duas, flor. malvæ, meliloti, verbaſci, foliorum recentium anethi, hyoſcyami ana unciam ſemiſſem, radicum althææ recentium uncias duas, ſeminis fœni Græci, lini, ana drachmas tres. Herbæ, radices ac ſemina, una cum floribus probe contuſa, macerentur in vini Rhenani libra dimidia, olei cheirini libra una, liliorum alborum libra dimidia, olei amygdalarum dulcium uncia una per diem & noctem, poſtea leni igne coquantur ad conſumtionem humiditatis, colaturæ colliquetur ceræ flavæ quantum ſufficit, & fiat ſecundum artem unguentum.

EMOL-

EMOLLIENDO agit, & præcipuum inter unguenta anodyna locum obtinet; hinc frequentiſſime in cardialgia, colica, paſſione iliaca, malo hypochondriaco & hyſterico, dolore nephritico, a ſpaſmis vehementioribus aut calculo oborto, pleuritide vera &c., nunc abdomini, nunc regioni lumbari, aut hypogaſtricæ, nunc pectori inungitur, & ſubinde quoque in ſiccitate & aridura partium, tumoribus frigidis induratis, excreſcentiis verrucoſis atque calloſis, hernia incarcerata, aliisque morbis, qui emollientia et paregorica poſtulant, in uſum vocatur.

VNGVENTVM DE LINARIA

REC. Foliorum ac florum viridium linariæ veræ manipulos duos, contuſa & conquaſſata macera in liquefacti adipis porcini recentis, aut butyri majalis recentis non ſaliti unciis ſex, macerata coque ad humiditatis conſumtionem, exprime, & expreſſis recentia folia cum floribus adde, macera, coque, exprime, atque expreſſis hiſce demum olei e vitellis ovorum unciam dimidiam, olei ſeminis hyoſcyami expreſſi drachmas duas, ſucci ſempervivi drachmas tres exacte miſce, ut inde reſultet unguentum.

VNGVENTIS paregoricis adnumeratur, & ſpecificum contra hæmorrhoides cæcas, valde dolentes, & ipſas quoque exulceratas deprædicatur remedium, quando per ſe, aut cum vitello ovorum nonnihil remixtum, goſſypio illinitur & adplicatur.

VNGVENTVM POPVLEVM

REC. Gemmarum populi arboris recentium libram unam cum ſemiſſe, contuſas in pinguedinis porcinæ recentis non ſalitæ libris tribus macera, & ita relinque, donec herbæ ſequentes, ſuo tempore collectæ, & contuſæ, ſucceſſive addi poſſint: Nimirum recipe hb. bardanæ, lactucæ, ſempervivi majoris & minoris, ſolani, violariæ, umbilici Veneris aut herbæ Paridis, foliorum hyoſcyami, mandragoræ, papaveris albi, cymarum rubi tenerarum ana uncias tres, ſecundum collectionis ordinem miſce, & cum ſucci ſolatri ſive ſolani vulgaris recens expreſſi libra dimidia, & aquæ roſarum unciis tribus, ad humiditatis conſumtionem, leni igne coque, cola atque exprime, ut ſic lege artis fiat unguentum.

VARIA narcotica unguentum hoc, cujus confectio, ob ſucceſſivam ſpecierum plerarumque collectionem atque miſcelam, paullulum tædioſa eſt, ingrediuntur; hinc non mirandum eſt, quod dolores atrociores mitiget, & agrypnia laborantibus ſomnum conciliet. Ordinario arteriis, in temporibus, carpo, ac pedibus pulſantibus, adplicatur.

VNGVENTVM BASILICVM

REC. Ceræ flavæ uncias duas, croci orientalis ſcrupulos duos, maſtiches, myrrhæ,

picis navalis, ſevi vaccini, thuris ana drachmas duas, reſinæ pini, terebinthinæ claræ ana unciam ſemiſſem, olei communis uncias tres. Thus, myrrha, maſtiche, & crocus in pulverem ſubtilem redigantur, deinde reliquis, blando igne prius colliquatis, addantur ac probe miſceantur, ut ſic juſtæ conſiſtentiæ unguentum naſcatur.

DISCVTIENDO ac leniter roborando operationem ſuam abſolvit, & proinde articulationibus, poſt prægreſſas luxationes debilitatis, nec minus membris paralyticis, aut convulſione correptis, immo, ipſis vulneribus, ab inflammatione liberis, mundificandi ac conſolidandi fine, adplicatur, ita tamen, ut in caſu poſteriori vitello ovorum aut melle roſarum, quæ additamenta virtutem digeſtivam & mundificantem augent, paullulum remiſceatur.

VNGVENTVM NERVINVM

REC. Herbarum recentium betonicæ, chamæpytios, majoranæ, menthæ, paralyſeos cum floribus, rorismarini, rutæ, ſalviæ, foliorum recentium lauri, florum recentium chamomillæ, hyperici, lavendulæ, liliorum convallium, meliloti, ſambuci, ſummitatum anethi recentium ana manipulum unum, baccarum juniperi, lauri ana unciam unam, radicum pyrethri drachmas duas; Conciſa & contuſa infundantur, ac macerentur unam

alteramve ſeptimanam in olei anethini, hyperici, lumbricorum terreſtrium, vulpini ana unciis tribus, quibus leni prius colliquefactione unita fuit medullæ cervinæ, pinguedinis caninæ, cati ſylveſtris, humanæ, urſinæ ana uncia dimidia, terebinthinæ claræ uncia una, poſtea, ad humiditatis conſumtionem, blando igne coquantur, exprimantur, colentur, & colaturæ gummi benzoës, in unciis duabus ſpiritus vini rectificatiſſimi diſſoluti, drachmæ ſex, ceræ unciæ tres, maſtiches electæ ac pulveriſatæ uncia dimidia, & terebinthinæ unciæ quatuor addantur, ut inde, mediante exacta miſcela, unguentum juſtæ conſiſtentiæ confici queat.

EX temperatioribus conſtat balſamicis, & partes ſolidas debilitatas ac relaxatas blande roborat; hinc membris paralyticis, articulationibus debilitatis, nec minus ſpinæ dorſali in epilepſia idiopathica, aliisque partibus in reliquis convulſionum ſpeciebus, quæ nunc majorem, nunc minorem corporis partem torquent, cum fructu inungitur. Major ipſi activitas, in caſibus quibusdam neceſſaria, per olea deſtillata ætherea, modica quantitate addita, conciliari poteſt.

VNGVENTVM PECTORALE

REC. Ceræ albæ uncias tres, croci drachmam ſemiſſem, radicis iridis Florentinæ, ſubtiliſſi-

tiliſſime pulveriſatæ, drachmas duas, adipis anatis, gallinæ ana uncias duas, butyri recentis, aqua violarum loti, uncias ſex, olei amygdalarum dulcium, olei chamomelini, violacei ana uncias tres. M. F. l. a. unguentum.

PECTORI illitum dolores laterum punctorios in pleuritide mitigat, & contra tuſſim, & aſthma, præſertim convulſivum atque ſanguineo-ſpasmodicum, itidem prodeſſe creditur. Agit enim emolliendo, ac leniter diſcutiendo, & hac ratione contractiones membranarum ſpaſmodicas nonnihil minuit.

VNGVENTVM CARMINATIVVM

REC. Baccarum lauri unciam dimidiam, florum recentium chamomillæ manipulos duos, flor. meliloti, ſummitatum recentium abrotani, hederæ terreſtris, menthæ criſpæ, tanaceti ana manipulum unum, ſeminis cumini, leviſtici ana drachmas duas. Contuſa & conquaſſata infundantur in olei chamomelini libra una, olei anethi, rutæ ana uncia dimidia, adipis porcini recentis libra una, macerentur dies quatuordecim, deinde leniter, ad humiditatis conſumtionem, coquantur, & colaturæ expreſſæ ceræ citrinæ unciæ duæ, ſtyracis liquidæ drachmæ ſex, olei deſtillati aniſi, carvi, menthæ ana drachma una addantur, ut inde lege artis unguentum confici queat.

ABDOMINI illinitur, &, dum operationem ſuam diſcutiendo, & nonnihil quoque emolliendo abſolvit, in colica, cardialgia, paſſione hyſterica, torminibus ventris vulgaribus & tympanitide valde proficuum deprehenditur. Perſæpe etiam clyſteribus, in morbis memoratis, emolliendi, abſtergendi atque diſcutiendi fine, injiciendis, utiliſſime miſcetur.

VNGVENTVM STOMACHALE

REC. Herbarum abſinthii, menthæ criſpæ, florum chamomillæ recentium, roſarum rubrarum, ſpicæ nardi Indicæ ana unciam ſemiſſem, radicum calami aromatici, caryophillorum, cinnamomi, maſtiches, nucis moſchatæ, ſantali citrini ana drachmas duas, baccarum lauri, ligni aloës ana drachmam unam cum ſemiſſe. Pulveriſatis pulveriſandis, cæterisque debite conquaſſatis vini rubri optimi, olei abſinthii, cydoniorum, maſtichini ana unciæ quatuor adfundantur, igne leni ad conſumtionem vini coquantur, & cum colatura expreſſa tantum ceræ citrinæ, quantum ſufficit, colliquefactionis ope combinetur, ut inde mediocris conſiſtentiæ unguentum reſultet.

VIRTVTE roborante & carminativa inſtructum eſt, adeoque etiam, abdomini circa umbilicum, nec non ſcrobiculo cordis inunctum, non contemnendum ſubinde auxilium in debilitate

litate ventriculi, adfectibus flatulentis, vomitu, diarrhœis, dyſenteria, lienteria, cœliaca, cholera, colica flatulenta, tympanitide, immo ipſa anaſarca præſtare valet. Si medico placet, etiam membris paralyticis, aut alio modo debilitatis, cum fructu inungi poterit.

VNGVENTVM CONTRA VERMES

REC. Herbarum recentium abrotani, abſinthii, centaurii minoris, perſicariæ, ſcordii, tanaceti ana manipulum unum, radicum diptamni albi, gentianæ, ebuli ana unciam ſemiſſem, ſucci foliorum perſicorum, ſucci allii ana unciam unam, olei abſinthii, rutæ infuſi, ana libram dimidiam, butyri recentis uncias tres. Herbis conquaſſatis atque radicibus probe contuſis ſucci & olea cum butyro addantur, macerentur per noctem, poſteaque, ad humiditatis conſumtionem, leni igne coquantur, expriimantur, colentur, & colaturæ ferventi olei ſpicæ uncia una cum ſemiſſe, fellis taurini, ad mellis conſiſtentiam inſpiſſati, unciæ duæ, aloes hepaticæ uncia una, ceræ flavæ quantum ſufficit, &, omnibus hiſce debite colliquatis, camphoræ, in ſufficienti ſpiritus vini rectificati quantitate ſolutæ, drachmæ duæ miſceantur, ut juſtæ conſiſtentiæ unguentum fiat.

SPINÆ dorſali, ac toti corpori, itemque capillis, ad crinones, acaros, aliosque vermiculos enecandos, illinitur, & poſtea aqua ſaponacea, aut decocto, ex aqua, ſale quodam alcalico fixo, & amaris atque balſamicis, v. g. radice zedoariæ, herba ac floribus tanaceti, millefolii, abrotani, ſummitatibus abſinthii, fumariæ, ſemine ſantonico &c. parato, rurſus eluitur, atque abluitur.

BALSAMVS APOPLECTICVS CVM MOSCHO ET AMBRA

REC. Olei nucis moſchatæ expreſſi unciam unam, olei deſtillati cardamomi, caryophyllorum, cinnamomi, lavendulæ, majoranæ, rorismarini, ſuccini albi, balſami Peruviani ana ſcrupulum unum, ambræ gryſeæ drachmam ſemiſſem, moſchi optimi ſcrupulum unum, zibethi ſcrupulum ſemiſſem, eboris, ad nigredinem calcinati, & ſubtiliſſime triti, quantum ſufficit ad juſtam balſami conſiſtentiam, miſce & fiat lege artis balſamus.

VSVM ſolummodo externum habet, & vertici, temporibus atque naribus apud ſyncopticos aut apoplexia pituitoſa laborantes, excitandi ac confortandi ſcopo, illinitur. Abſtinendum tamen erit ab ejus uſu in apoplexia ſanguinea, & lipothymia hyſterica, quoniam hyſtericis, ob ambræ, moſchi & zibethi odorem, inimicus eſt, & in apoplexia ſanguinea cruoris expanſionem, adeoque nervorum ac tubulorum medullarium compreſſionem, auget.

BALSAMVS APOPLECTICVS PRO MVLIERIBVS

REC. Olei macis expreſſi drachmas duas, olei deſtillati galbani drachmam dimidiam, olei lavendulæ, ſuccini ana ſcrupulum unum, olei deſt. majoranæ, meliſſæ, pulegii, rorismarini, rutæ, ſalviæ ana ſcrupulum ſemiſſem, pinguedinis caſtorei grana ſex, ſpiritus ſalis ammoniaci guttas aliquot. M. F. l. a. balſamus.

OB ambræ, moſchi & zibethi abſentiam etiam apud fœminas locum invenit, & in lipothymia hyſterica, atque ejuſdem originis cephalalgia, loco præcedentis, partibus indicatis inungitur.

BALSAMVS BEZOARDICVS

REC. Olei deſtillati angelicæ, citri, majoranæ, rutæ ana ſcrupulum ſemiſſem, olei ſuccini rectificati guttas quinque, olei ſalviæ, myrrhæ, zedoariæ ana guttas quindecim, olei nucis moſchatæ expreſſi unciam ſemiſſem, camphoræ grana ſex, ambræ gryſeæ grana ſeptem. M. F. l. a. balſamus.

GRATA fragrantia ſeſe commendat, & naribus, tempore peſtis, aliarumque ægritudinum contagioſarum, ad halituum virulentorum ingreſſum in os, ventriculum atque pulmones prohibendum, aut eorundem tamen virulentiam corrigendam, admovetur cum pyxide, aut ipſis plane inungitur, immo, pauxillum ſubinde ore excipitur ac lente deglutitur.

BALSAMVS CEPHALICVS SERENISSIMÆ

REC. Olei nuciſtæ expreſſi drachmas ſex, olei deſtillati lavendulæ, rutæ ana ſcrupulos tres cum ſemiſſe, olei deſt. majoranæ, ſalviæ ana guttas quindecim, camphoræ, ſufficienti quantitate olei recentis amygdalarum dulcium diſtemperatæ, ſcrupulum unum. M. F. l. a. balſamus.

AD CEREBRVM, ejuſdemque involucra corroboranda, in apoplexia pituitoſa, adfectibus ſoporoſis, melancholia, vertigine, epilepſia, imbecillitate generis nervoſi, hebetudine ſenſuum externorum, coryza diuturna, hemicrania, cephalalgia, &c., non tantum naribus admovetur, ſed etiam vertici atque temporibus inungitur.

BALSAMVS LOCATELLI

REC. Ceræ citrinæ uncias octo, mumiæ tranſmarinæ drachmas duas, ſanguinis draconis unciam ſemiſſem, foliorum florum bellidis minoris manipulum unum, fol. lauri, ſummitatum rorismarini ana manipulum dimidium. Cera, ac mumia ſubtiliſſime pulveriſata, in olla terrea vitreata, cum foliis ac ſummitatibus minutim diſcerptis, leni colliquefactione ſuper carbones, & ſæpius repetita cum ſpatula agitatione, uniantur, donec bullire incipiant. Durante hoc opere, in

in alia olla grandiori & ſatis capaci, igni mediocri admoveantur ſtoracis liquidæ libra dimidia, terebinthinæ Venetæ unciæ quatuor, olei hypericonis uncia una, olei olivarum libræ duæ cum ſemiſſe, aquæ roſarum rubrarum, aquæ plantaginis ana libra una, aquæ fontanæ ſimplicis libræ duæ cum ſemiſſe, bulliant leniſſime per horæ quadrantem, ita tamen, ut perfecta præcaveatur ebullitio, deinde cera cum reliquis huic brodio in olla majori jungatur, tandemque balſami Peruviani & ſcobis ſubtiliſſimæ ligni ſantalini rubri ana uncia una addatur, & mixta igne paullo intenſiori valide bulliant, ſub continua tamen cum ſpatula lignea agitatione, ne ſcobs ſantalina ad fundum ſecedat; tum trajiciantur per ſetaceum, atque colatura in loco quieto reponatur, ut refrigeſcat, & balſamus, colore ac conſiſtentia zibethum referens, & a liquore reliquo ſecedens, ad ſuperficiem adſurgat, atque coaguletur; quo viſo, in fruſtula diſſecatur, &, a liquore ſeparatus, ſeorſim rurſus liquatur, in vaſcula teſtacea transfunditur, &, vaſis probe clauſis, in loco ſicco & temperato adſervatur. Citra virium enim jacturam & corruptionis labem per viginti annos durare ſolet, ſi vaſcula probe obturata, & in loco temperato repoſita ſint. Liquor reliquus in lagenis vitreis clauſis ſeorſim adſervatur.

TRAV-

TRAVMATICIS internis & externis hic balſamus adnumeratur, & interne contra contuſiones, atque ulcera renum & veſicæ, iſchuria cumprimis ſtipata, a drachma una ad unciam dimidiam, adſumitur; externe autem ambuſtis, ulceribus & vulneribus, præſertim ſclopetis bombardarum inflictis, adplicatur. Reſiduus quoque liquor, ſeorſim adſervandus, uſu non penitus caret, ſed utiliter ad ulcera impura eluenda adhiberi poterit.

BALSAMVS CONTRA VERTIGINEM

REC. Olei nuciſtæ expreſſi, olei macis expreſſi ana drachmam unam, olei deſtillati caryophyllorum, lavendulæ, majoranæ, ſuccini, ana guttas ſex, moſchi, ambræ ana grana tria. M. F. l. a. balſamus.

EX OLEIS ſelectioribus componitur, & cum *balſamo apoplectico completo*, quoad naturam, vires & uſum, convenit. Proſtat adhuc alius *abſque moſcho et ambra* paratus.

BALSAMVS SVLPHVRIS EXTERNVS

REC. Florum ſulphuris, aut ſaltem ſulphuris citrini crudi pulveriſati unciam unam, olei lini vel nucum expreſſi libram ſemiſſem, olei ſeminis hyperici expreſſi, hyoſcyami & papaveris expreſſi ana drachmas duas. Solvantur leni igne arenæ, ac probe miſceantur.

HVMO-

HVMORES tenues, acres, ichoroſos nonnihil incraſſando, decentem ulcerum ac vulnerum ſuppurationem atque conſolidationem adjuvat, & nimium quoque ad ea affluxum prohibere traditur. Præter deſcriptum, varii adhuc alii *ſulphuris balſami*, nimirum *amygdalatus*, *aniſatus*, *juniperatus*, *ſuccinatus*, *terebinthinatus* &c., qui ex parte una florum ſulphuris, & partibus ſex olei amygdalarum dulcium expreſſi, aut olei aniſi, juniperi, ſuccini ac terebinthinæ deſtillati, blanda, eaque diuturniori, in balneo arenæ digeſtione, ac paullatina ſolutione, conficiuntur. Hi externo non ſolum liquidiores ſunt, ſed longe etiam calidiori indole, excepto duntaxat balſamo ſulphuris amygdalato, pollent, & internum præcipue uſum obtinent. *Amygdalatus* enim demulcendo ac temperando agit, & ad omnia ulcera interna, a guttis 5. ad 10. 15., propinari poteſt: *Aniſatus* effectum diſcutientem, pectoralem & carminativum edit, & contra cardialgiam ac colicam flatulentam, variosque pectoris adfectus pituitoſos commendatur: *Juniperinus* inter diuretica, carminativa & emmenagoga militat, & in ulcere renum & veſicæ, ſi febris lenta abſit, nec minus in iſchuria, nephritide pituitoſa & calculo ſpecifice prodeſſe creditur: *Succinatus* urinam & ſudorem movet, flatusque diſcutit, adeoque in adfectibus catarrhalibus, frigidis rhevmaticis, itemque flatulentis & nephriticis, a copioſa materia mucida & fibrarum laxitate primario oriundis, conducit; & *terebinthinatus* denique vir-

tute abſtergente, diuretica atque travmatica ſeſe commendat, & interne frequentius in ulcere renum, fluore albo & gonorrhœa virulenta venerea, externe autem ad ulcera ac vulnera partium tendinoſarum, valde dolentia ac madentia, adhibetur. Caute cæteroquin cum uſu horum balſamorum interno mercandum erit, ne, intempeſtive, aut juſto majori doſi oblati, ob valde calidam ſuam naturam, plus noceant, quam profint, & nimiam cumprimis humorum commotionem, immo, ipſas hæmorrhagias præternaturales & exorbitantes, apud ſubjecta plethorica, vel noxiam exſiccationem & parium bilioſarum rarefactionem apud ſubjecta ſicca, cholerica, ſenſibilia, efficiant. Dantur interne a guttis 3. ad 5. 8 10., terebinthinatus vero, externe etiam in partium tendinoſarum ulceribus ac vulneribus adplicandus, triplo ſpiritus vini rectificatiſſimi prius diluitur.

BALSAMVS SVCCINI

REC. Olei deſtillati ſuccini rectificati drachmam unam, olei nucis moſchatæ expreſſi quantum ſufficit, ſalis ſuccini volatilis ſcrupulum ſemiſſem. M. F. l. a. balſamus.

NARIBVS admovetur, & temporibus ac vertici, excitandi ac confortandi fine, in morbis, ubi cephalica roborantia proſunt, illinitur, immo, regioni lumbari, ad urinam promovendam, ſubinde inungitur.

BAL-

BALSAMVS CARYOPHYLLORVM

REC. Olei deſtillati caryophyllorum drachmam unam, olei nucis moſchatæ expreſſi quantum ſufficit. Miſcendo fiat balſamus, eidemque pulvere ſubtili caryophyllorum concilietur color. Obſervata eadem methodo, & ingredientium quantitate atque proportione, etiam *Balſami cinnamomi*, *citri*, *lavendulæ*, *majoranæ*, *roſarum* &c. parantur. Nihil amplius enim opus eſt, niſi, ut drachma una olei deſtillati genuini cum ſufficienti olei nucis moſchatæ expreſſi quantitate, mediante exacta miſcela, combinetur, & balſamus deinde *pulvere cinnamomi*, *lacca Florentina*, aut *alio corpore colorato* tingatur, vel ita ſtatim, citra novi coloris inductionem, quod circa balſamum citri ſolenne eſt, relinquatur.

VIRTVTES horum atque ſimilium balſamorum facile ex additi olei deſtillati ætherei natura determinari poſſunt, & ordinario nervinæ, cephalicæ, cardiacæ, ſtomachales, carminativæ & roborantes ſunt. Ob odoris gratiam, æque, ac præcedentium plerique, naribus admoventur, vel vertici, temporibus, & ſubinde etiam ſcrobiculo cordis & regioni umbilicali, roborandi atque diſcutiendi ſcopo, illinuntur.

CAPVT II
DE
EMPLASTRIS, CERATIS ET MASSIS ODORATIS

§. I

EMPLASTRA ſunt medicamenta topica, linteo, ſerico, aut alutæ, adplicationis tempore inducenda, adeoque longe majoris tenacitatis atque craſſioris, quam unguenta, conſiſtentiæ, ex reſinoſis, gummoſis, pinguibus, oleoſis & ſimilibus, quibus plerumque ſicca pulverulenta variæ naturæ ac virtutis adduntur, compoſita.

§. II

PRÆTER *recentem* aut *lotam terebinthinam* & *ceram albam* atque *flavam*, quæ poſterior frequentiſſime adhibetur, ad conſueta emplaſtrorum ingredientia multa alia *concreta reſinoſa* ac *gummoſa probe depurata*, nec minus *pinguedines*, *olea expreſſa* & *cocta*, *mucilagines*, *ſucci expreſſi*, *mel*, *balſami naturales liquidi*, *olea ætherea deſtillata*, ut & *farinæ* ac *pulveres ſicci*, ex variis triplicis regni ſpeciebus activis parati, referuntur; quorum priora tamen magis *excipientium*, poſteriora autem, nimirum balſami naturales, olea deſtillata, farinæ & pulveres ſicci, magis *excipiendorum* nomine veniunt.

§. III

§. III

AD IPSAM emplaſtrorum præparationem nullo alio ſingulari artificio, niſi *exacta* ſaltem ingredientium *miſcela*, *blanda* plerumque ſuper leni igne *colliquefactione*, & *continua* cum ſpatula *agitatione* promovenda, opus eſt. Sedulo tamen proſpiciendum erit, ut, pulveriſatis pulveriſandis, juſtus mixtionis ordo obſervetur, & primo liquabilia ſpiſſiora, v. g. cera, terebinthina lota &c., deinde tenuiora, ut pinguedines, tandem liquida oleoſa, mucilagines, antea nonnihil calefactæ, & pulverulenta ſicca reſinoſa, gummeo-reſinoſa, atque fixioris naturæ alia, & ultimo demum olea deſtillata ætherea, atque concreta ſicca volatilia vaſi immittantur.

§. IV

RECTE emplaſtrorum ſpecies æſtimantur CERATA, *Cerota*, *Ceratomalagmata*, ut & DROPACES ſive *Dropaciſmi;* quanquam illa ordinario emplaſtris paullo molliora exiſtant, & hi modo cataplaſmatis, modo emplaſtri tenaciſſimi conſiſtentia gaudeant. *Dropaciſmi* in *ſimplices* & *compoſitos* dividuntur: Simplices ex ſola *pice*, cum *oleo communi* colliquata, compoſiti autem ex memorata *maſſa oleoſa-picea*, & ſpeciebus acrioribus aut exſiccantibus, v. g. *euphorbio*, *pipere*, *radice*

dice pyrethri, *cubebis*, *caryophyllis aromaticis*, *granis paradiſi*, *ſale communi*, *ſalibus fixis alcalicis*, *ſulphure vivo minerali* &c., in pulverem ſubtiliorem redactis, conficiuntur.

§. V

EMPLASTRIS etiam jungi merentur CATAPLASMATA & SINAPISMI, quoniam priora pultis conſiſtentiam obtinent, adeoque parum ab externa emplaſtri forma recedunt, poſteriores autem, qui vulgo ex *ſinapi ſemine pulveriſato*, *ſale*, *fermento*, *raphano ſylveſtri*, *aceto* &c. componuntur, nunc cataplaſma ſpiſſius, nunc ipſum emplaſtrum conſiſtentia referunt.

§. VI

RESPECTV virtutis medicæ generalioris emplaſtra commode ad ſex claſſes genericas redigi poſſunt; quarum *prima* emollientia & antiſpaſmodica, *ſecunda* diſcutientia, reſolventia atque ſuppurantia, *tertia* roborantia, *quarta* adſtringentia, *quinta* travmatica, & *ſexta* denique rubefacientia ac veſicantia, quorſum etiam *Dropaciſmi*, & *Sinapiſmi* pertinent, complectitur.

§. VII

EMPLASTRA *emollientia* ad partes ſolidas nimium exſiccatas humectandas, aut ſpaſmodice

dice conſtrictas, nunc immediate, nunc mediate, relaxandas, nec minus ad tumores duriores, calidos, frigidos, aut plane calloſos emolliendos adhibentur; *reſolventia*, *diſcutientia*, ac *ſuppurantia* in inflammationibus, tumoribus ſcirrhoſis & ſeroſo-lymphaticis vulgaribus, itemque in doloribus catarrhalibus, rhevmaticis, aliisque locum habent; *roborantia* ſolidis membranaceis, tendineis, nervoſis atque ligamentis relaxatis ac debilitatis, vel graviori etiam atque frequenti convulſione vexatis, *adſtringentia* potentiora rupturis, herniis atque fracturis, itemque partibus luxatis, & *travmatica* ulceribus ac vulneribus imponuntur; *rubefacientia*, quibus, uti antea pridem dictum, etiam *Dropaciſmi* ac *Sinapiſmi* adnumerantur, membris paralyticis, ad calorem & ſenſum validiori irritatione revocandum, vel etiam nuchæ, ſcapulis, dorſo, brachiis, ſuris, tibiis, &c., ad humores ſuperfluos aut impuros a partibus, diuturniori ac nimio affluxu & decubitu debilitatis, avocandos, & aliorſum derivandos, & *veſicatoria* denique variis corporis locis, ad veſicam excitandam, ac ſerum acre educendum, vel ſubide etiam ad motum ſolidorum oſcillatorium ſuſcitandum atque augendum, adplicantur; quemadmodum de hiſce, ac modo operandi commodior in ſequenti-

bus, ſub ſpecialiſſima ſingulorum deſcriptione, differendi locus erit.

EMPLASTRA ET CERATA VSITATIORA

Emplaſtrum de meliloto.
- *de ſpermate ceti.*
- *miraculoſum ſive Norimbergenſe.*
- *de ammoniaco.*
- *diachylon ſimplex.*
- - *compoſitum.*
- *diaphoreticum* MYNS.
- *oxycroceum.*
- *ſpleneticum.*
- *de ranis cum mercurio* VIGONIS.
- *de baccis lauri.*
- *de cruſta panis.*
- *de tacamahaca.*
- *epilepticum.*
- *nervinum.*

Emplaſtrum ſantalinum.
- *ſtomachale.*
- *pro temporibus.*
- *album coctum.*
- *de ſpermate ranarum.*
- *ad hernias.*
- *citrinum.*
- *defenſivum.*
- *griſeum.*
- *diaſulphuris* RVLANDI.
- *ſlicticum* CROLLII.
- *opopeldoch.*
- *veſicatorium.*

Ceratum ſantalinum.
- *ſtomachale.*
- *pro bregmate.*

EMPLASTRVM DE MELILOTO

REC. Florum cum foliis meliloti uncias ſex, flor. chamomillæ, foliorum abſinthii, majoranæ, baccarum lauri, radicum althææ, ſeminis fœni Græci ana drachmas tres, ſem. ammeos, apii, cardamomi, caſſiæ ligneæ, radicum cyperi, iridis Florentinæ, ſpicæ nardi Indicæ ana drachmam unam cum ſemiſſe, caricarum pinguium numero duodecim, gummi ammoniaci, cum aceto depurati,

rati, drachmas decem, gummi bdellii, ſtyracis calamitæ depuratæ ana drachmas quinque, ceræ citrinæ uncias ſex, reſinæ pini, ſevi hircini ana uncias duas cum ſemiſſe, olei majoranæ, nardini ana uncias tres, terebinthinæ unciam unam cum dimidia. Gummi ammoniacum & ſtyrax calamita primum cum terebinthina, deinde cum cera, reſina atque ſevo colliquefacta, & cum oleo fervente mixta, removeantur ab igne, &, poſtquam maſſa ſpiſſiuſcula nonnihil refrigerata eſt, addantur pulveres reliqui, iiſdemque probe ſubactis, tandem ficus, piſtando in pulpam redactæ, debite miſceantur, ut inde juſtæ conſiſtentiæ emplaſtrum fiat.

OB ingredientia mucilaginea, cum diſcutientibus balſamicis & aromaticis mixta, emolliendi ac reſolvendi virtutem obtinet, & ſpecificum inprimis in frigidis glandularum, præſertim ſalivalium, tumoribus, nec minus in hepatis, lienis, ventriculi, aliarumque partium duritie deprehenditur remedium. Non adeo tenaciter adhæret, & moleſtum plerumque pruritum in parte, cui aliquandiu adplicatum fuit, excitat; hinc partem, ante emplaſtri impoſitionem, oleo amygdalarum dulcium nonnihil inungere præſtat.

EMPLASTRVM DE SPERMATE CETI

REC. Ceræ albæ uncias quatuor, galbani depu-

depurati unciam unam, ſpermatis ceti uncias duas. Ceræ, igne leni liquatæ, ſperma ceti, & deinde galbanum immiſcendo, fiat lege artis emplaſtrum.

INTER emollientia atque reſolventia non infimum ſibi locum vindicat, & ſingulares in ſugillationibus, contuſionibus, nec non doloribus atque tumoribus mammarum, poſt ablactationem infantum, vel ſtatim poſt partum apud puerperas non lactantes, a lacte ſubſiſtente & coagulato obortis, nec minus in ſcrophulis ac ſtrumis, aliisque tumoribus duris, vires monſtrat. Virtus emolliens maxime a ſpermate ceti, reſolvens atque diſcutiens autem magis a reliquis ingredientibus derivanda eſt; poſſunt tamen etiam poſteriora aliquid ad tumores emolliendos conferre. Non ſola enim mucilaginea, pinguia, & oleoſo unguinoſa, lubricis ſuis particulis in poros fibrarum penetrando, & compagem earum reddendo laxiorem, emolliunt, ſed interdum reſinoſa quoque, gummoſa, aliaque calidioris naturæ concreta ſpiſſiora, tumorum emollitionem præſtare valent, dum ſcilicet cuti tenacius adhærentia, poros craſſis atque tenacibus particulis ſuis obſtruendo, partium mobilium ſeroſarum, aliarumque ſubtilium exhalationem impediunt, & hac ratione efficiunt, ut illæ, continuo affluxu magis magisque auctæ, humores craſſos, coagulatos & impactos rurſus, diluendo ac commovendo, fluidiores reddant, adeoque ipſis meandi ac remeandi habitudinem reſtituant; qua igitur reſtituta præternaturalis vaſorum repletio, violenta diſtenſio, & per conſequens etiam tumor partis atque durities ceſſare debent.

EMPLASTRVM MIRACVLOSVM VVLGO NORIMBERGENSE DICTVM

REC. Ceruſſæ, minii, ana libram unam, olei olivarum libras duas cum ſemiſſe, ſaponis Veneti bene ſiccati uncias tres. Sapo, minutiſſime diſſectus, oleo, ſuper igne moderato in diplomate ferventi, immiſceatur, deinde ceruſſa & minium, ſubtiliſſime trita, alternatim inſpergantur, & mixtura continue atque diligentiſſime rudicula lignea agitetur, ne graves pulveres ad fundum deſcendant; quo facto, igne, ad præcavendam nimiam ebullitionem, ſaltem moderato, coquatur, donec colorem ſubfuſcum induere incipiat, & juſtam emplaſtri ductilis conſiſtentiam, guttulæ in lapidem frigidum inſtillatione explorandam, adquiſiverit: Tum ab igne removeatur, & dimidia pars in ſcatulas aut aquam frigidam effundatur, donec tractabilis fiat, ac inde manibus, oleo delibutis, malaxando magdaleones efformari queant; altera vero pars dimidia, rurſus igni pauliſper impoſita, cum

cum aluminis usti drachmis duabus exacte misceatur, &, in scatulas effusa, aut in magdaleones malaxando redacta, seorsim adservetur.

RESOLVENDO, exsiccando ac leniter adstringendo agit, & ideo multum auxilii in ulceribus, vulneribus, doloribus catarrhalibus & rhevmaticis, nec minus in odontalgia ac cephalalgia, si temporibus aut malis imponatur, adfert: An vero panchrestum sit, uti nonnulli adserunt, & in adfectibus, ubi emplastra conducunt, miracula præstet, nondum mihi experiri licuit.

EMPLASTRVM DE AMMONIACO

REC. Mucilaginis seminis fœni Græci, lini, olei irini ana drachmas sex, pinguedinis anatis, anseris, gallinæ ana drachmam unam cum semisse, unguenti de althæa drachmas duas. Coquantur igne moderato ad humiditatis consumtionem, iisdemque deinde ceræ flavæ recentis unciæ duæ, resinæ pini drachmæ sex colliquefactione uniantur; quo facto, ab igne remotis uncia una terebinthinæ, in qua gummi ammoniaci depurati uncia dimidia & galbani depurati drachma una solutæ ac liquefactæ fuerunt, misceatur, tandemque furfurum triticeorum uncia dimidia, pulveris radicum bryoniæ, iridis Florentinæ ana drachmæ duæ, bdellii, aceto rosaceo distemperati, drachma

drachma una, massæ emplastri de meliloto drachmæ sex addantur, ut inde lege artis fieri possit emplastrum.

VVLGO emplastris resolventibus atque discutientibus adnumeratur: Verum, quum gummi ammoniacum, licet ab eodem nomen gerat, non adeo magna quantitate mixtionem ingrediatur, & oleosa præterea, mucilaginea, ac pinguia reliquas species calidiores involvendo paullulum debilitent, magis emollientes, quam discutientes vires exserere videtur. Partes induratas cæteroquin valide emollit, suppurationem promovet, fibras spastice constrictas relaxat, adeoque partibus profunde inflammatis, tumoribus hepatis & lienis, tuberculis duris mammarum, scrophulis ac strumis, bubonibus venereis, porris, verrucis atque clavis pedum, herniis incarceratis refractariis, nec minus scrobiculo cordis, aut regioni umbilicali, hypochondriorum, hypogastricæ, lumbari, præsente vehementiori dolore cardialgico, colico, iliaco, hypochondriaco, hysterico, & nephritico, non sine notabili emolumento, imponitur; præsertim, si in casibus nonnullis, ubi discutientia, carminativa, & resolventia potentiora necessaria sunt, crocus, camphora, olea destillata adpropriata, balsamus Peruvianus, mercurius vivus &c. decenti quantitate cum eodem misceantur.

EMPLASTRVM DIACHYLON SIMPLEX ET COMPOSITVM

REC. Lithargyrii libram unam cum semisse, muci-

mucilaginis radicum althææ, mucilaginis seminis fœni Græci, seminis lini ana libram unam, olei puri libras tres. Coquantur leni igne, sub continua agitatione, ad plenariam humiditatis consumtionem, & justam emplastri consistentiam. *Compositum* ita paratur: Rec. emplastri diachyli simplicis, jam descripti, libram dimidiam, gummi depuratorum ammoniaci, galbani, opopanacis, sagapeni ana drachmas duas, ceræ, terebinthinæ ana unciam unam, croci scrupulum unum, olei chamomillæ, liliorum alborum ana unciam semissem. M. F. l. a. emplastrum.

SIMPLEX, si adhuc recens existat, emolliendo, demulcendo, temperando, & poros occludendo operationem suam primario absolvit; hinc satis bene quoque maturationem tumorum, suppurationem inflammationum, & ulcerum atque vulnerum consolidationem adjuvat. *Compositum*, ob mixtas species calidiores balsamicas, adhuc potentius est, & simplex virtute resolvente ac discutiente longe superat, adeo, ut emplastro de gummi ammoniaco commode substitui queat.

EMPLASTRVM DIAPHORETICVM MYNSICHTI

REC. Gummi bdellii uncias quatuor, ceræ flavæ uncias novem, colophoniæ uncias quatuor, gummi ammoniaci, cum aceto depurati,

rati, uncias duas, mastiches electæ, olibani ana unciam semissem, sandaracæ, unciam unam, succini flavi uncias tres, terebinthinæ puræ uncias duas. Ceræ, ac colophoniæ colliquefactis, & paullulum, post remotionem ab igne, refrigeratis, terebinthina, cum gummi ammoniaco liquata, tandemque, prædictis tamen debite prius mixtis, reliqua, in pulverem redacta, addantur, & exacte pariter subigantur.

INTVITV virtutis discutientis hoc emplastrum plerisque reliquis hujus commatis præferri meretur, & proinde in tumoribus & obstructionibus, tum glandularum, tum aliarum partium, nec minus in doloribus catarrhalibus, frigidis rhevmaticis, immo, in ipsis inveteratis ischiaticis, cæterisque arthriticis, ut & in tumoribus œdematosis, post luxationes membrorum atque fracturas supervenientibus, egregie sese commendat. Plerumque cum camphora, quæ vires discutientes auget, remiscetur.

EMPLASTRVM OXYCROCEVM

REC. Croci, gummi ammoniaci, aceto depurati, galbani ana uncias duas, mastiches, myrrhæ, olibani, terebinthinæ, ceræ, colophoniæ, picis ana libram semissem. Cera & colophonia, primum cum pice colliquefactæ, colentur, & illis, post remotionem ab igne, nonnihil refrigeratis, gummi galbanum & ammo-

ammoniacum, terebinthina ſolutum, mox & reliqua ſubtiliſſime pulveriſata addantur, atque exacte pro emplaſtro miſceantur.

QVOAD naturam & vires valde cum *emplaſtro diaphoretico* MYNSICHTI convenit, & in contuſionibus, luxationibus & refractariis doloribus rhevmaticis proficuum in primis deprehenditur.

EMPLASTRVM SPLENETICVM

REC. Succi cicutæ expreſſi, ebuli ana uncias duas, ſucci nicotianæ unciam unam, ſucci florum geniſtæ unciam ſemiſſem, olei de capparibus libram dimidiam. Coquantur in diplomate, igne moderato, ad conſumtionem humiditatis, deinde colatis, & ab igne remotis, gummi ammoniaci unciæ duæ, cum ceræ flavæ recentis libra dimidia, reſinæ pini unciis tribus, & ſtyracis calamitæ drachmis ſex prius colliquatæ, addantur, & lege artis ad emplaſtri conſiſtentiam redigantur.

AD infarctus & tumores duros atque ſcirrhoſos hepatis & lienis expediendos ac reſolvendos, ſplenisque inflationem, apud ſcorbuticos, hypochondriacos &c., diſcutiendam præcipue quidem commendatur, cum fructu tamen aliis quoque tumoribus duris atque ſcirrhoſis imponi poterit; præſertim, ſi virtus reſolvens croci, camphoræ, aut emplaſtri de gummi ammoniaco & oxycrocei &c. miſcela exaltetur.

EMPLA-

EMPLASTRVM DE RANIS VIGONIS CVM MERCVRIO

REC. Ranarum viridium numero decem, lumbricorum terreſtrium, per ſtupam depuratorum, uncias quatuor, herbarum matricariæ, ſchœnanthi, ſtœchadis ana manipulum unum, ſucci radicum ebuli, rad. helenii, olei anethini, chamomelini ana uncias duas, olei liliorum alborum, laurini ana unciam unam cum ſemiſſe, olei ſpicæ unciam dimidiam, pinguedinis vitulinæ libram ſemiſſem, pinguedinis viperinæ aut ſerpentinæ uncias duas. Ad humiditatis conſumtionem coctis & colatis miſceatur lithargyrii ſubtiliſſime pulveriſati libra una, bulliant mixta ulterius, ſub continua tamen cum ſpatula agitatione, donec aliqualem adepta fuerint conſiſtentiam, deinde addantur ceræ flavæ recentis unciæ ſex, pulveris euphorbii drachmæ quinque thuris ſelecti uncia una, croci optimi drachmæ duæ, tandemque ab igne remotis argenti vivi optime depurati, & cum terebinthinæ claræ unciis duabus atque ſtyracis uncia una & dimidia mixti, ac probe ſubacti, unciæ quatuor miſceantur, & ad emplaſtri conſiſtentiam redigantur. Proſtat adhuc aliud in officinis *abſque mercurio* præparatum, quod ideo etiam *Emplaſtrum de ranis ſine mercurio* vocatur.

VTRVMQVE tumoribus duris ac frigidis emolliendis atque resolvendis dicarum est; prius tamen, cum mercurio vivo mixtum, posteriori potentius deprehenditur, & multum ad bubones venereos, aliosque tumores refractarios, qui in hac lue enasci consueverunt, discutiendos valet.

EMPLASTRVM DE BACCIS LAVRI

REC. Baccarum lauri, in pulverem subtilissimum redactarum, uncias duas, cerae flavae unciam semissem, costi, cyperi, mastiches, myrrhae, thuris ana unciam unam, olei laurini, terebinthinae Venetae ana unciam semissem, mellis despumati quantum sufficit. Ceraе, cum oleo & terebinthina liquefactae, & ab igne remotae, reliqua successive misceantur, ut inde fiat justae consistentiae emplastrum.

INTER carminativa, discutientia ac roborantia stomachalia militat, & frequentissime, nunc per se, nunc camphora amplius aut adpropriatis oleis destillatis remixtum, superiori aut inferiori abdominis regioni in cardialgia ac colica flatulenta, imbecillitate ventriculi, vomitu, diarrhoea, dysenteria, lienteria, coeliaca, passione hypochondriaca & hysterica, nec minus in hydrope ascite, anasarca tympanitide, dolore vesicae &c. imponitur. Non contemnendum praeterea auxilium praestat, si dorso, praesente uteri prolapsu, adplicetur.

EMPLA-

EMPLASTRVM DE CRVSTA PANIS

REC. Crustae panis abunde fermentati, mediocriter tostae, & aceto forti dimidium horae macerati, ceraе citrinae ana unciam unam, mastiches electae unciam semissem, menthae pulverisatae drachmas duas, olei cydoniorum, mastichini, terebinthinae ana unciam unam. Ceraе, cum terebinthina liquefactae, olea & reliqua addantur, ac probe misceantur pro emplastro.

QVOAD naturam, vires & usum cum *emplastro de baccis lauri* convenit, eidemque in quovis casu commode substitui poterit.

EMPLASTRVM DE TACAMAHACA

REC. Gummi animae, mastiches, sandaracae, succini ana drachmas tres, gummi tacamahacae unciam unam, ceraе uncias tres, olei mastichini drachmas tres, terebinthinae drachmas duas. M. F. l. a. emplastrum.

EX selectis constat speciebus roborantibus balsamicis, & frequentissime, ob virtutem suam nervinam, cephalicam & stomachalem, temporibus, aut scrobiculo cordis, regioni umbilicali &c., in cephalalgia, hemicrania, vertigine, epilepsia, melancholia, defluxionibus catarrhalibus, debilitate ventriculi, fluxibus alvinis, adfectibus flatulentis, vomitu, cholera, & morbis similibus, qui externa quoque roborantia postulant,

nec minus ſpinæ dorſali in prolapſu uteri, abortu imminente, fluore albo &c., itemque partibus, poſt rupturam, fracturam aut luxationem valde debilitatis, non absque inſigni emolumento, adplicatur.

EMPLASTRVM EPILEPTICVM

REC. Succini albi, thuris, maſtiches, ana drachmam unam cum ſemiſſe, galbani, opopanacis ana ſcrupulum unum, viſci querni drachmas duas, ambræ gryſeæ grana ſex, moſchi grana tria, ſeminis pœoniæ maris drachmam ſemiſſem, ladani drachmam unam cum dimidia, olei nucis moſchatæ guttas aliquot. M. F. l. a. emplaſtrum.

OB ſelecta ingredientia balſamica, & nonnulla quoque ſubadſtringentia, egregia pollet virtute nervina ac roborante; hinc egregium pariter auxilium ſpondet in adfectibus convulſivis, epilepticis, paralyticis, ſoporoſis, melancholicis, diuturnis catarrhalibus, imbecillitate ſenſuum & memoriæ, vertigine, nec minus in debilitate ventriculi, vomitu, diarrhœis, dyſenteria, fluore albo, prolapſu uteri & inteſtini recti, gonorrhœa ſimplici, abortu imminente, tumoribus laxis œdematoſis, qui parvum ſaltem ambitum habent, & variarum partium, maxime autem articulationum, eminentiori debilitate; ſi nimirum, pro differenti morborum atque cauſſarum ſede, modo temporibus, nuchæ, immo ipſi capitis vertici, modo ſpinæ dorſali, modo ſcrobiculo cordis, regioni umbilicali, hypogaſtricæ, pubis, modo aliis adhuc partibus, quas morbi conditio medico facile indicabit, imponatur.

EMPLASTRVM NERVINVM

REC. Radicum rubiæ tinctorum drachmas decem, herbarum betonicæ, centaurii minoris, equiſeti, rorismarini, hyperici cum foliis, floribus & ſemine ana manipulum unum, gummi depurati ammoniaci, galbani, ſagapeni ana drachmas tres, elemi, maſtiches ana drachmas decem, lithargyrii utriusque ana uncias duas cum ſemiſſe, lumbricorum terreſtrium, ſtupa depuratorum, uncias tres, minii uncias duas, olei chamomelini, roſarum, ana uncias duas, olei lini, maſtichini, terebinthinæ, picis navalis, reſinæ pini ana unciam unam cum ſemiſſe, ſevi hircini, vitulini ana uncias duas cum dimidia, terebinthinæ depuratæ uncias quatuor, ceræ quantum ſufficit. Lithargyrio & minio, cum oleo chamomelino, maſtichino atque roſarum, ut & pulpa lumbricorum terreſtrium conquaſſatorum, ad humiditatis conſumtionem, & juſtam conſiſtentiam, coctis, cera, reſina, pix ac ſevum, prius ſeorſim colliquefacta & colata, addantur, deinde ab igne remotis, & nonnihil refrigeratis reliqua, in pulverem redacta, ut & gummi ammoniacum, elemi,

galbanum, ſagapenum, terebinthinæ illiquata, tandemque oleum terebinthinæ debite miſceantur, ut inde fiat emplaſtrum.

DIGERENDO, reſolvendo ac roborando agit, & articulationibus, ſpinæ dorſali, aliisque partibus nervoſis, vel ſaltem debilitatis, vel dolore, tumore, convulſione, immo ulcere ac vulnere correptis, adplicatur.

EMPLASTRVM SANTALINVM

REC. Pulveris croci drachmas duas, aluminis, maſtiches, myrrhæ, olibani ana drachmam unam cum ſemiſſe, pulveris ſantali rubri unciam unam & dimidiam, ceræ recentis uncias quatuor, reſinæ uncias quinque cum ſemiſſe. Crocus & ſantalum ſpiritu vini diſtemperentur, & una cum pulveribus reliquis reſinæ, cum cera liquatæ, colatæ atque nonnihil refrigeratæ, debite miſceantur, ut inde juſtæ conſiſtentiæ fiat emplaſtrum.

EMPLASTRVM hoc, quod alias etiam *incognitum* dicitur, ob vires reſolvertes ac roborantes, contra obſtructiones & tumores duros hepatis, lienis &c. adhibetur, & ſubinde etiam partibus debilitatis, aut dolore rhevmatico & catarrhali vexatis, quin ipſis ulceribus ac vulneribus, imponitur.

EMPLASTRVM STOMACHALE

REC. Radicum calami aromatici, cyperi rotundi, galangæ, florum chamomillæ, roſarum rubrarum ana drachmam unam cum dimidia, cimarum abſinthii, foliorum menthæ ana drachmas duas, folii Indici, baccarum lauri, caryophyllorum, cubebarum, nucis moſchatæ, ſantali citrini ana drachmam unam cum ſemiſſe, ſeminum carvi, cumini, coriandri, cinnamomi, zingiberis ana drachmam unam, ladani unciam unam, maſtiches, thuris electi ana drachmas duas, olei maſtichini, menthæ, myrtillorum, abſinthii ana unciam ſemiſſem, ceræ, reſinæ ana uncias duas, terebinthinæ uncias quatuor. Ceræ, cum reſina liquatæ, primum olea addantur, iisdemque unitis, & ab igne remotis, terebinthina, cum maſtiche, thure, & ladano ſubtiliſſime tritis prius mixta, tandemque pulveres reliqui ſucceſſive immiſceantur, ac probe ſubigantur pro emplaſtro.

EGREGIA virtute roborante, nervina, cephalica, carminativa ac ſtomachali pollet, & ideo in ſingulis morbis, in quibus *emplaſtrum de baccis lauri*, *de cruſta panis*, & *epilepticum*, quibus natura ac viribus analogum eſt, proſunt atque prodeſſe creduntur, cum fructu adplicari poterit.

EMPLASTRVM PRO TEMPORIBVS

REC. Gummi elemi, galbani, carannæ ana uncias duas, ſolve illa igne leniſſimo in olei florum

florum chamomillæ unciis quatuor, ſolutis & colatis primum gummi tacamahacæ, animæ, benzoes ana unciam unam, thuris, maſtiches ana unciam ſemiſſem, deinde, poſt præmiſſam leni igne colliquefactionem ſolitariam & colaturam, ceræ flavæ, reſinæ pini ana uncias tres, terebinthinæ Venetæ uncias duas, &, hiſce quoque exacte mixtis, ab igne remotis, atque nonnihil refrigeratis, olei nucis moſchatæ expreſſi unciam unam cum ſemiſſe, opii, in ſufficienti ſpiritus vini quantitate diſſoluti, & ad aliqualem rurſus conſiſtentiam inſpiſſati, uncias tres adde, tandemque, ſingulis probe ſubactis, pulveris ſubtiliſſimi ariſtolochiæ rotundæ, balauſtiorum, boli Armenæ præparatæ, croci martis adſtringentis ana unciam ſemiſſem, ſanguinis draconis uncias duas, ſub continua agitatione, inſperge, ac leniſſimi caloris ope exactius miſce, ut juſtæ conſiſtentiæ emplaſtrum inde reſultet.

QVODAMMODO cum *emplaſtro de tacamahaca* convenit, eidemque natura ac viribus analogum eſt, præterquam, quod opium ſimul recipiat, & majores eapropter vires anodynas, ſi temporibus imponatur, in atrocioribus capitis doloribus exſerere, & interdum quoque agrypnia laborantibus ſomnum nonnihil conciliare ſoleat.

EMPLA-

EMPLASTRVM ALBVM COCTVM

REC. Ceræ albæ uncias quatuor, ceruſſæ libram unam cum ſemiſſe, olei libras duas. Oleo, ſuper leni igne bullienti, ceruſſa, pauxillo aceti conſperſa, & ſubtiliſſime trita, exacte miſceatur, iisdemque ad juſtam conſiſtentiam coctis, cera pariter colliquefactione uniatur, ut ſic juſtæ conſiſtentiæ emplaſtrum evadat.

DEMVLCENDO, exſiccando, ac leniter adſtringendo operatur, & ſpecificum in eroſione partium, intertrigine, atque ulceribus ichoroſis judicatur remedium.

EMPLASTRVM DE SPERMATE RANARVM

REC. Ceræ albæ & citrinæ ana uncias octo, ceruſſæ Venetæ ſubtiliſſime tritæ libras decem, lithargyrii, mucilaginis de ſpermate ranarum, per linteum colatæ, olei olivarum ana libram unam, ſachari ſaturni uncias duas cum ſemiſſe, terebinthinæ communis uncias octo. Mucilago ſpermatis ranarum cum oleo, ad humiditatis conſumtionem, coquatur, & deinde cera, terebinthina ac pulveres reliqui addantur, ac probe miſceantur pro emplaſtro.

PARVM quidem a præcedente ratione naturæ diſtinctum eſt, majores tamen, quam illud, vires refrigerantes & adſtringentes poſſidet, quæ a

largiori saturninorum miscela præcipue derivandæ sunt: Locum igitur non tantum in ulceribus laxis ac valde inflammatis, sed subinde etiam in ipsa gangræna, ubi tubuli, nimium a sanguine impacto distensi, vi contractili penitus propemodum spoliati sunt, invenit.

EMPLASTRVM AD HERNIAS

REC. Exuviarum anguillæ, recens siccatarum, non salitarum quantum placet, ablue eas aqua calcis vivæ, postea forti lixivio coque, ut in glutinosam redigantur mucilaginem, quam marmori infunde, ut refrigeretur, & illius quatuor unciis deinde lapidis hæmatitæ præparati, sanguinis draconis præp., sachari saturni crystallisati, calcis cinerum Iovis subtilissime tritæ ana drachmas tres, gummi ammoniaci, aceto depurati, & sufficienti olei myrtini quantitati coctione uniti, uncias tres exacte, leni cinerum calore, misce, ut inde tenacioris consistentiæ emplastrum fiat.

EMPLASTRVM hoc, a PETRO DIONISIO in *Descriptione Operationum chirurg. edit. germ.* p. 363. primum exteris communicatum, ob validas vires incrassantes & adstringentes, egregium in herniis cujuscunque generis, sola excepta hydrocele, remedium est, & effectus ejus sæpissime voto respondet, præsertim, si subjecta adhuc juniora sint, & simul, repositis prius intestinis prolapsis, & adplicato emplastro, conveniens

veniens bracherium adhibeatur. Vtilissime præterea membris fractis atque luxatis post repositionem imponitur.

EMPLASTRVM CITRINVM

REC. Ceræ flavæ libras duas, resinæ libram unam, sevi hircini aut cervini uncias novem, terebinthinæ uncias octo, olei liliorum albo-rum aut florum hyperici unciam semissem. M. F. l. a. emplastrum. Nonnunquam singulis hujus emplastri libris binæ æruginis drachmæ miscentur, & tunc *emplastrum viride*, der grüne Zug, vocatur.

EMPLASTRVM citrinum consolidationem & cicatricis generationem satis bene promovet, & ideo adplicatio ejus in vulneribus recentibus atque vulgaribus proficua deprehenditur; sin viridi æris autem remixtum fuerit, magis in ulceribus, præsertim, si caro luxurians consolidationem impedit, locum habet.

EMPLASTRVM DEFENSIVVM

REC. Pulveris subtilissimi cerussæ, lithargyrii ana uncias sedecim, olei florum sambuci, olei de sperma te ranarum ana libram unam, unguenti populei uncias sex, aceti rosacei, sambucini ana uncias octo, succi plantaginis, per residentiam depurati, uncias decem. Coquantur in diplomate, aut vase terreo probe vitreato, igne leni, ad humiditatis

ditatis consumtionem, & mollioris, sub continua agitatione, emplastri consistentiam, postea ab igne remotis successive addantur ceræ flavæ recentis unciæ quatuor, croci optimi uncia dimidia, lapidis calaminaris, cum succo plantaginis præparati, h. e., optime triti & exsiccati, masticbes electæ, pulveris rosarum rubrarum, radicum iridis Florentinæ ana uncia una cum semisse, pulveris liquiritiæ, myrrhæ electæ ana uncia una, misceantur ac probe subigantur pro emplastro.

PERTINET ad emplastra saturnina, quæ leniter adstringendo ac refrigerando, adeoque justo largiorem humorum affluxum arcendo, ulcerum atque vulnerum consolidationem adjuvant, eademque contra varia incommoda, a nimio affluxu humorum metuenda, defendunt; hinc magis etiam labiis, quam centro eorum, imponuntur.

EMPLASTRVM GRISEVM, SIVE DE LAPIDE CALAMINARI

REC. Ceræ flavæ uncias sex, camphoræ drachmam unam, cerussæ præparatæ unciam semissem, lapidis calaminaris præparati, lithargyrii ana uncias duas, masticbes, myrrhæ, olibani, pulveris subtilissimi radicum aristolochiæ rotundæ ana drachmas duas, resinæ uncias duas, sevi hircini aut cervini uncias quatuor, terebinthinæ unciam unam cum semisse.

misse. Ceræ, terebinthinæ, & sevo colliquefactis ac paullulum refrigeratis reliqua, in pulverem redacta, misceantur, & inde, probe subigendo, fiat emplastrum.

QVOAD naturam, vires & usum cum præcedente convenit, majori tamen virtute exsiccante gaudet, & melius proinde cicatricis generationem promovet.

EMPLASTRVM DIASVLPHVRIS RVLANDI

REC. Balsami sulphuris RVLANDI uncias tres, ceræ unciam semissem, colophoniæ drachmas tres, myrrhæ ad pondus omnium. Omnibus, præter myrrham, liquefactis, & probe commixtis myrrha subtilissime pulverisata inspergatur, deinde per horæ quadrantem, leni igne, sub continua agitatione cum spatula, coquantur, & ab igne remota ulterius spatula subigantur, donec refrigescant.

NON contemnenda virtute vulneraria instructum est, & tumores quoque strumosos resolvere dicitur.

EMPLASTRVM STICTICVM SIVE STYPTICVM CROLLII

REC. Minii, lapidis calaminaris ana libram semissem, lithargyrii utriusque ana uncias tres, olei lini, olivarum ana libram unam & dimi-

dimidiam, olei laurini libram ſemiſſem, ceræ, colophoniæ ana libram unam, vernicis, terebinthinæ ana libram dimidiam, gummi, aceto deſtillato depuratorum, ammoniaci, bdellii ana uncias tres, galbani, opopanacis, ſerapini, elemi, oleo ſoluti & colati, ſuccini citrini electi, olibani, myrrhæ Alexandrinæ, aloes hepaticæ, radicum ariſtolochiæ longæ & rotundæ, coralliorum præp., matris perlarum præp., ſanguinis draconis, terræ ſigillatæ Strigenſis, vitrioli albi, camphoræ ana unciam unam, mumiæ transmarinæ, lapidis hæmatitæ præparati, magnetis ana unciam unam cum ſemiſſe, florum antimonii, croci martis ana drachmas duas. Oleo lini, & olivarum, cum utroque lithargyrio aliquandiu cocto, primum lapis calaminaris ſubtiliſſime tritus, poſtea minium ſucceſſive addatur, & ſufficienter, probe ſimul agitando, bulliant, tum oleum laurinum ac vernix, tandem cera & colophonia, poſt præviam liquefactionem ſolitariam & colaturam, miſceantur: Quibus, ab igne remotis, & paullulum refrigeratis, ammoniacum, elemi, galbanum, opopanax, gummi ſerapinum, terebinthinæ prius illiquata, jungantur ac ſubigantur, tandemque camphora, in ſufficienti olei juniperini, e baccis deſtillati, quantitate diſſoluta, & reliqua, in pollinem redacta, exacte immiſceantur, ut inde juſtæ conſiſtentiæ emplaſtrum reſultet.

QVANQVAM hoc emplaſtrum ulcerum & vulnerum conſolidationem, ut & ſpiculorum aliorumque heterogeneorum expulſionem, teſte experientia, valide promoveat, panchreſtis tamen illud cum CROLLIO aliisque adnumerare non audeo, multo minus eo me patiar induci, ut credam, vires ſpicula extrahendi a mixto magnetis pulvere derivandas eſſe.

EMPLASTRVM OPODELDOCH PARACELSI

REC. Pulveris ariſtolochiæ longæ atque rotundæ, lapidis calaminaris, maſtiches electæ, myrrhæ rubræ, olibani ana unciam unam, ſanguinis draconis, ſarcocollæ ana unciam ſemiſſem, aloes hepaticæ drachmas duas, colcotharis, optime edulcorati, uncias duas, lithargyrii aurei libram unam cum ſemiſſe, olei laurini unciam unam, olei olivarum libras duas, ceræ flavæ recentis libram dimidiam, gummi, aceto ſoluti ac depurati, rurſusque ad juſtam conſiſtentiam inſpiſſati, ammoniaci, bdellii, galbani, opopanacis ana unciam unam. Lithargyrium cum oleis & cera igne moderato ad colorem fuſcum coquatur, deinde concreta gummeo-reſinoſa ſucceſſive ac fruſtulatim addantur, iisdemque probe mixtis, pulveres, paullatim inſperſi, ſpatula ſubi-

ſubigantur, & poſtremo terebinthinæ puræ ac claræ unciæ quatuor jungantur, indeque fiat emplaſtrum, oleo roſaceo, aut chamomelino malaxandum.

PRÆCEDENTI natura, virtute & uſu ſimillimum eſt, eidemque proinde, quoties ejusmodi medicamentis opus eſt, commode ſubſtitui poteſt.

EMPLASTRVM VESICATORIVM

REC. Fermenti acerrimi ſpiſſioris conſiſtentiæ uncias duas. Diſtemperetur aceti ſcillitici duabus circiter drachmis, poſtea addantur pulpæ recentis ſcillæ uncia dimidia, pulveris ſubtiliſſimi cantharidum drachmæ quinque, camphoræ, in ſufficienti ſpiritus vini rectificati quantitate diſtemperatæ, drachma dimidia. Hiſce mixtis, inſpergatur pulveris ſubtilis maſtiches, myrrhæ ana drachma una cum ſemiſſe, tandemque terebinthinæ claræ, cum æquali ceræ flavæ quantitate prius liquatæ, uncia una & dimidia, jungatur, & ſingula, exacte ſubigendo, ad emplaſtri conſiſtentiam redigantur.

AD veſicam excitandam cuti in variis corporis locis, præſertim muſculoſis, corio prius inductum, adplicatur. Particulæ enim fermenti, ſcillæ, & maxime cantharidum, acres atque ſubtiles, calore corporis magis magisque animatæ, epider-

epidermidem perforant, et cutis ſubſtratæ tubulos, pungendo ac vellicando, ad fortem criſpaturam & ſpaſmodicam conſtrictionem impellunt; hinc aliter fieri nequit, quin humores, præprimis lymphatici, ob tranſitum in canaliculis, memorata conſtrictione ac criſpatura obſtructis, ſufflaminatum, valde adcumulentur, tandemque ex vaſculis tenerrimis, a mole, per continuum a tergo affluxum ſenſim ſenſimque aucta, violenter diſruptis, effluant, adeoque, inter cutem & cuticulam effuſi, poſteriorem a priori ſeparent, attollant, & ſic veſicam forment. Vſus hujusmodi emplaſtrorum late patet: Dum impuros enim atque ſuperfluos humores, uti ſupra pridem indicatum fuit, non tantum educunt, & a partibus, quibus nimio ſuo affluxu atque decubitu nocuerunt, avocant, verum etiam ſubſiſtentes et coagulatos, vividiorem motum oſcillatorium in ſolidis excitando, denuo reſolvunt, ac priſtinam iis circulandi libertatem reddunt, perſæpe in rebellibus adfectibus catarrhalibus et rhevmaticis, nec minus in hemicrania, obauditione, ſuſurro & tinnitu aurium, gutta ſerena, ophthalmia ſeroſa, adfectibus ſoporoſis, paralyticis, & apoplecticis, pleuritide &c., mirifice proſunt, immo, exanthematum expulſionem & revocationem, ſi forſan retropulſa, aut retrogreſſa fuerint, valide adjuvant; quemadmodum de hiſce BAGLIVVS *in Operibus ſuis* p. 655., aliique, qui de methodo medendi et therapia, vel ſaltem ſeorſim de veſicantium, ceterorumque ſtimulantium

tium usu & abusu dissertationes, aut libros spissiores ediderunt, ulterius consulendi sunt. Activitas hujus emplastri valde intenditur, quando eidem, jam supra alutam extenso, pauxillum pulveris cantharidum inspergitur. Nonnunquam etiam globuli, pisa magnitudine æquantes, ex eo formantur, & fonticulis siccioribus, ad debitum fluxum revocandum, immittuntur; diu tamen in iis haud relinquendi erunt, ne rosione sua pessimum ulcus generent. Caute quoque cum hujusmodi emplastrorum adplicatione procedendum erit, quoties tibiis, aliisque partibus membranaceis sensibilioribus, stimulandi, derivandi aut revellendi fine, præsertim tempore calido, & apud subjecta sicca, imponenda sunt. Quando pulveris cantharidum quantitas minuitur, vel ejusdem drachma semis cum emplastri de meliloto uncia dimidia, & balsami Peruviani guttis decem miscetur, selectum inde *rubefaciens* emergit, quod, nuchæ adplicatum in variis capitis adfectibus chronicis, egregiam præstat utilitatem.

CERATVM SANTALINVM AVGVSTANORVM

REC. Rosarum rubrarum unciam unam cum semisse, ligni santali rubri drachmas decem, santali albi & citrini ana drachmas sex, boli Armenæ drachmas septem, spodii drachmas quatuor, camphoræ drachmas duas, olei rosati libram unam, ceræ albæ uncias sex, vel quantum sufficit. Ceram in oleo liquando,

do, & reliquos tandem pulveres exacte miscendo, fiat ceratum sive mollioris consistentiæ emplastrum.

PARVM ab emplastro hujus nominis, ratione naturæ ac virium, differt, & plerumque regioni hypochondriorum dextræ aut sinistræ, præsente hepatis aut lienis tumore atque obstructione, discutiendi ac roborandi fine, imponitur.

CERATVM STOMACHICVM AVGVSTANORVM

REC. Rosarum rubrarum, mastichos ana uncias duas cum semisse, foliorum absinthii drachmas quindecim, spicæ nardi drachmas decem, olei rosacei libram unam cum dimidia, ceræ flavæ quantum sufficit. Ceræ, cum oleo liquatæ, & ab igne remotæ, reliqua, in pulverem subtilissimum redacta, exacte misceantur.

EMPLASTRO stomachali, supra descripto, analogum est, & ideo, regioni umbilicali, hypogastricæ, aut scrobiculo cordis adplicatum, eundem fere, quem illud, usum præstat, præterquam, quod paullo remissius operetur.

CERATVM PRO BREGMATE

REC. Pulveris radicum betonicæ, mastiches, olibani ana drachmas duas, mumiæ transmarinæ drachmam unam cum semisse, ceræ flavæ, resinæ pini, terebinthinæ ana uncias duas. Ceræ & resinæ liquefactis primo terebinthina, tandemque pulveres, paullatim insperfi, subigendo misceantur, ut inde justæ consistentiæ fiat ceratum.

TEMPORIBVS, immo vertici deraſo, in memoriæ debilitate, vertigine, dolore capitis rebelli, diuturnis defluxionibus catarrhalibus &c. imponitur, & ipſis quoque capitis vulneribus perſæpe cum fructu adplicatur, quoniam non contemnendis viribus roborantibus, diſcutientibus atque travmaticis inſtructum eſt.

* * *

MASSA PRO FORNACE COMMVNIS ET OPTIMA

MASSA *pro fornace communis:* Rec. corticum thymiamatis, gummi benzoes, ſtoracis calamitæ, olibani ana unciam unam, ladani uncias quatuor, ligni aloes, Rhodii, maſtiches ana unciam ſemiſſem, florum lavendulæ drachmas duas, ſachari albi unciam unam, ſtoracis liquidæ, ceræ recentis, terebinthinæ claræ ana uncias duas, gummi tragacanthi, in ſufficienti quantitate aquæ roſarum fragrantiſſimæ ſoluti, unciam unam aut quantum ſufficit. Miſceantur, fiat maſſa, indeque, ſi placet, bacilli formentur. *Maſſa pro fornace optima:* Rec. Aſæ dulcis uncias quatuor, gummi ladani, ſtoracis calamitæ ana unciam unam, ſachari albiſſimi unciam ſemiſſem, ambræ gryſeæ, ſpiritu roſarum diſtemperatæ, moſchi Alexandrini optimi ana ſcrupulum ſemiſſem, zibethi grana ſex, liquidambræ, olei ligni Rhodii ana drachmam dimidiam, olei caryophyllorum deſtillati ſcrupulum unum, ol. lavendulæ ſcrupulum ſemiſſem, balſami Indici quantum ſufficit. Miſce, fiat l. a. maſſa, ſuper tabula ænea tepida, pauxillo olei nucis moſchatæ oblita, in tenues formanda cylindros.

OB aliquam, tum intuitu ingredientium, tum conſiſtentiae analogiam, binas haſce maſſas odoratas, quae in officinis proſtant, ſubjungere placuit. Fornaci calefactæ illinuntur, ut conclave grato odore repleant, & aerem humidum, aut corruptis atque contagioſis exhalationibus inquinatum, corrigant.

INDEX

INDEX RERVM SPECIALIOR

A

Aceta 15-18
Acetum bezoardicum 81
- deſtillatum 79
- mulſum 636
- prophylacticum 82
- rutaceum 83
- ſcilliticum 84
Alcohol 116. 118
Algeroth 489
Alkaheſt Glauberi 392
Alumen 47
Ambra 326
Anima rhabarbari 350
Antihecticum Poterii 516
Antimonium crudum 308
- diaphoreticum 509
- martiale cachecticum 515
Aquæ deſtillatæ 257
Aqua flor. acaciæ 265
- agrimoniæ ibid.
- anagallidis 266
- anhaltina 133
Aqua apoplectica Langii 267
- - pauperum 134
- - c. moſcho ibid.
- artemiſiæ 265
- arthritica 135
- antiſcorbutica 267
- aſthmatica 268
- benedicta Mynſ. 141
- betonicæ 265
- borraginis 266
- bugloſſi ibid.
- burſæ paſtoris ibid.
- calcatrippæ ibid.
- calcis vivæ 293
- contra calculum March. 137
- - ex nucleis 138
- carbunculi optima 269
- cephalica imperat. 136
- ceraſorum nigrorum 265
- cichorii 266

Aqua cinnamomi borraginata 271
- - simplex 265
- chamæmeli ibid.
- chærefolii ibid.
- contra colicam 139
- cordialis temperata 271
- cornu cervi e tenellis 272
- corti citri 265
- flor. cyani 266
- embryonum 273
- epileptica Langii 139
- euphrasiæ 266
- flor. fabarum ibid.
- fumariæ 266
- hirundinum interna 274
- - Zwelferi 275
- lavendulæ 265
- liliorum alborum 266
- - convallium 265
- majoranæ ibid.
- mastichina 140
- melissæ 265
- menthæ ibid.
- mulsa 636
- nymphææ 266
- papaveris erratici ibid.
- poconiæ ibid.
- primulæ veris 265
- pulegii ibid.
- rorismarini ibid.
Aqua rutæ 265
- salviæ ibid.
- sambuci 266
- scabiosæ ibid.
- serpilli composita 141
- tiliæ fl. 266
- contra vertiginem 275
- virtutum 141
- vitæ mulierum 142
- - stomachica ext. 353
- - stomachalis rubra 354
- vulneraria s. sclopetaria 143
Arcanum corallinum 473
- duplicatum 415
- tartari 423
Aurum fulminans 479

B

Balsami liquidi 370
- spissiusculi 689
Balsamus apoplecticus c. m. & a. 716
- apoplect. pro mulieribus 717
- bezoardicus ibid.
- caryophyllorum 723
- cephalicus Sereniss. 718
- embryonum 273

Balsamus fœtidus Wedel. 244
- Locatelli 718
- succini 722
- sulphuris externus 720
- - amygdalatus 721
- - anisatus ibid.
- - juniperatus ibid.
- - succinatus ibid.
- - terebinthinatus Ibid.
- contra vertiginem 720
- vitæ officinarum 374
- compendiosior 375
Bezoardicum joviale 516
- martiale 515
- minerale 514
- solare 517

C

Calces chemicæ 503
Calx viva 30. 294
Camphora 123
Castoreum 330
Cataplasmata 726
Cellulæ plantarum oleosæ 204
Cera 242
Cerata 725
Ceratum pro bregmate 755
- santalinum Aug. 754
- stomachicum Aug. 755
Cerussa antimonii 510
Chermes minerale 497
Cinnabaris antimonii 453
- factitia vulg. 451
Clysti 14
Clyssus antimonii sulphuratus 69
Coliothar 35
Conservæ 637
Conserva rosarum 657
Confectiones liquidæ 659
Corallia 321
Cremor & crystalli tartari 380
Crocus vegetabilis 126
Croci chymici 506
- martis varii 526
- - adstringentes 529
- - aperitivi ibid.
Crocus martis antimoniatus 527
- aperitivus Stahlii ibid.
- sacharinus 526
- sulphuratus ibid.
- vitriolatus 527
Crocus metallorum Rulandi 531

D

Diacydonium ſimplex 681
- cum ſpeciebus ibid.
Decoctum avenaceum Loweri 292
- hordaceum comp. 291
Dropaces 725

E

Elæoſacharum 636
Electuaria 659
Electuarium de baccis lauri 661
- benedictæ laxativæ 662
- caryocoſtinum 663
- diacatholicum ibid.
- diacorum Meſuæ 664
- diaphœnicum 665
- diaſatyrionis 666
- diaſcord. Tracaſt. 667
- - Sylvii ibid.
- hieræ picræ ſimplicis et compoſitæ 670
- lenitivum Florenzolæ 671
- orvietanum ibid.
- de ſucco roſarum 672
- ſtomachicum cum cinnamomo 673
Elixiria 299
Elixirium antipeſtilentiale Crollii 361
Elixirium antifebrile Mynſ. 360
- proprietatis antiſcorb. 366
- - dulce ibid.
- Helmontii alb. 363
- Paracelſi c. acido 364
- - ſine acido 365
Elixirium vitæ Mathioli 367
- - vitrioli Mynſ. 368
- - uterinum Crollii 369
Emplaſtra 724
Emplaſtrum album coctum 745
- de ammoniaco 732
- de baccis lauri 738
- citrinum 747
- de cruſta panis 739
defenſivum 747
- diaphoret. Mynſ. 734
- diaſulphuris Rulandi 749
- diachylon ſimplex 733
- - compoſ. ibid.
- epilepticum 740
- gryſeum 748
- ad hernias 746
- de meliloto 728
- miraculoſum 731
- nervinum 741
- Norinbergenſe 731
- opodeldoch Paracelſi 751
- oxycroceum 735

Empla-

Emplaſtrum de ranis Vigonis 737
- ſantalinum 742
- de ſpermate ceti 729
- - ranarum 755
- ſplenicum 736
- ſtomachale 742
- ſtypticum Crollii 749
- de tacamahaca 739
- pro temporibus 743
- veſicatorium 752
Ens veneris Boylæi 35
Eſſentiæ 299
Eſſentia abſinthii compoſ. 331
- alexipharmaca St. 334
- ambræ 326
- anodyna Ludov. 332
- anthyſterica Off. 342
- carminativa Off. 339
- - Wedelii 340
- caſtorei 329
- croci 340
- fuliginis Clauderi 341
- jalappæ 343
- juniperi 345
- lignorum 346
- myrrhæ ibid.
- rhabarbari 350
- ſeminis ſantonici ibid.
- ſplenetica 352
- ſtomachica ibid.
- ſuccini 327
- ſummitatum pini 351
- theriacalis 357
- travmatica offic. 358
Eſſentia travmatica Wedelii 359
- uterina 358
Extracta 535
Extractum abſinthii 542
- aloes 550
- angelicæ 543
- cardui bened. 542
- catholicum 554
- centaurii min. 542
- chamomillæ 543
- cholagogum Querc. 557
- croci 545
- diacarthami comp. 558
- diptamni albi 542
- enulæ ibid.
- epilepticum 559
- fumariæ 542
- gentianæ rubræ ibid.
- imperatoriæ 543
- leviſtici ibid.
- ligni Gvajaci 549
- mei 543
- meliſſæ ibid.
- millefolii ibid.
- myrrhæ 548
- opii 547
- panchymagogum 555
- pimpinellæ albæ 542
- rhabarbari 553
- ſcordii 542
- ſcorzoneræ ibid.
- ſolutivum 557
- ſpec. aromat. roſat. 561
theriacale 560

F

Feculæ 571
Fecula alcalina 490
Febrifugum Craanii 521
Fermentum anodynum 566
Ferrum 316
Flores 458
- benzoes 464
- ſalis ammoniaci mart. 463
- ſulphuris 462

G

Gelatinæ 539
Gilla Theophraſti 35

H

Hepar antimonii 531
- ſulphuris 42
Hydromeli 636

I

Jalappa 344
Julepi 636
Julepus roſarum 656
- violarum ibid.

L

Lac animantium 284
- ſulphuris 493
Lapis prunellæ 408
Laudanum opiatum 680
Liquor anodynus mineralis 155
- cornu cervi ſuccinati 176
Liquores medicati diffuſiores 281
Liquor terræ foliatæ tartari 424
Looch 659
- ad aſthma 682
- de papavere ibid.
- de pulmone vulpis 683
- ſanum & expertum 684

M

Magiſteria 469
Magiſterium alcalinum 490
- antimonii diap. 483
- benzoes 484
- bismuthi 482
- cinci 483
- coralliorum 486
- cranii humani ibid.
- cryſtalli mont. ibid.
- hepaticum rubrum 383
- lab. cancrorum 486
- - percarum ibid.
- margaritarum ibid.
- matris perlarum ibid.
- ſaturni 481

Magneſia alba 489
Materia perlata Crügeri 483
Maſſa pro fornace communis 756
- - - optima ibid.
Mel anthoſatum 657
- roſatum ibid.
Mercurius dulcis 447
- præcipit. albus 476
- præcipitat. ruber 473
- ſublimatus 443
- vitæ 487
Mithridatium Damocratis 674
Miva cydoniorum 564
Mixtura ſimplex 359
Morſuli 620
Morſuli antimoniales Kunckelii 625
- contra ardorem ſtomachi 623
- imperatoris cum fruct. 624
- contra peſtem 623
- de rhabarbaro 625
- contra vermes 624
Mucilagines 540

N

Nitrum ammoniacale Wed. 408
- antimoniatum 411
- depuratum 405
- fixum 392
- flammans 422
Nitrum tabulatum 403
- vitriolatum 415

O

Offa Helmontii 121
Olea 178
Oleum abſinthii 253
- amygdal. dulc. 250
- anethi 254
- animale Dippelii 236
- capparum 255
- caryophyllorum 226
- caſtorei 256
- ceræ 241
- chamomelinum 252
- fl. cheiri ibid.
Olea cocta 245
- empyreumatica 229
- eſſentialia ætherea 178
- - unguinoſa 245
- expreſſa ibid.
- fœtida 231
Oleum gemmarum populi 254
- hyperici 252
- liliorum alborum 254
- lumbricorum 255
- menthæ 252
- nymphææ 254
- roſarum ibid.
- rutæ ibid.
- ſanguinis 243
- ſcorpionum 252
- ſuccini 239
- verbaſci 254
- vitrioli acidum 24

Oleum vitrioli dulce 146
Opium 332
Oxymeli ſimplex 653
- ſcillitum ſimplex 654
- - compoſ. 655
Oxyſacharum ſimplex ibid.
- compoſitum ibid.

P

Panácea Anglica 490
- Edinburgenſis 501
- Glauberiana 497
- Holſatica 415
- Stahlii 36
Philonium romanum 679
Pilulæ 609
Pilulæ alœphanginæ 612
- de aloe & maſtiche 611
- de aloe roſata 612
- de ammoniaco 613
- cochiæ Rhaſis 614
- de cynogloſſo ibid.
- gummoſæ alterant. Sylvii 615
- - evacuant Sylvii 616
- morocoſtinæ ibid.
- maſtichinæ ibid.
- peſtilentiales Avicennæ 617
- - Ruffi ibid.
- de ſuccino Crat. 618
- de ſtyrace ibid.
- de terebinthina 619
Præcipitata 614
Pulveres compoſiti 570
Pulvis contra abortum Off. 578
- alexi pharmacus Off. 573
- Algerotti 489
- bezoardicus Off. 573
- - Ludovici 574
- - Sennerti ibid.
- - Wedelii ibid.
- eachecticus Queriet. 576
- carminativus Off. 578
- carthuſianorum 498
- contra caſum 579
- - colicam ibid.
- comitis de Palma 490
- cordialis communis 582
- - pro pauperibus ibid.
- dentificius absque a. & m. 592
- dyſentericus Off. 583
- Cepaticus ruber Dreſdenſ. 383
- epilepticus March. 585
- - Off. 584
- pro fumo communis 592
- Haly contra pthiſin 580
- mantuanus 585

Pulvis mulierum 586
- pannonicus ruber 587
- parturientium 588
- pleuriticus Off. ibid.
- præcipitans 589
- puerorum communis 590
- ſtegnoticus Gutmanni ibid.
- ſternutatorius communis 593
- ſtomachicus Querc. 591
- contra vermes 581

R

Reguli 503. 508
- antimoniales compoſiti 523
Regulus antimonii jovialis 525
- martialis 523
- medicinalis 521
- ſimplex 518
- metallorum 525
Reſinæ 539. 540
Reſina jalappæ 567
- ligni Guajaci 569
- Scammonii ibid.
Rob 539
Rob baccarum ebuli 561
- berberum ibid.
- ceraſorum ibid.
- juniperi 563
Rob mororum 562
- ribium 561
- ſambuci ibid.
Roſa mineralis antimonii 488
Rotulæ 620
Rotulæ diaireos ſimplicis 629
- manus Chriſti ſimplices & perlatæ 628
- de rhabarbaro 627
- ſtimulantes Mynſ.
- contra vermes Lent. 628

S

Sacharum lactis 439
- penidium 441
Salia acidi & acidula 377
- alkalia fixa 385
- - urinoſa 460
- enixa 398
- eſſentialia 377
media 398
- neutra ibid.
- ſicca volatilia pura 460
- ſulphureo acidula 437
unguinoſa dulcia ibid.
- volatilia oleoſa 167. 461
Sal acetoſellæ 382
- ammoniacum 93
- ammoniacum fixum 94

Sal ammoniacale secretum Glauberi 421
- antifebrile 412
- aperitivum ibid.
- card. benedicti 397
- Carolinarum 432
- centauri minoris 397
- digestivum Sylvii 412
- diureticum ibid.
- embryonatum ibid.
- Ebshamense 428
- fixum fumariæ 397
- mirabile Glauberi 413
- polychrestum 417
- Seidlizense 435
- de Seignette 418
- tartari ord. 390
- - extempor. 392
- trifolii fibrini 397
- vini essentiale 423
- vitrioli vomitivum 384
- volatile salis ammoniaci 466
- - eboris 467
- - oleosum Sylvii
- - oleos. cephal. 175
- - succini 467
- - unguæ alcis ibid.
Sapæ 539
Sapo chymicus 121
Sapones medici 390
Serum lactis acidulum 289
- lactis dulce 284
Sinapisini 726
Soda 419
Species 570
Species aromaticæ rosatæ
- cephalicæ pro cucuph. 606
- cordiales temperatæ 597
- decocti pectoralis 598
- diacinnamomi ibid.
- diaireos 599
- diambræ ibid.
- dianthos 600
- diabenidiorum 601
- diarrhodon Abbatis ibid.
- diatragacanti frigidi 602
- diaxylaloes 603
- pro epithemate capitis 607
- - cordis 608
- hieræ picræ Rhasis 605
- de hyacintho 604
- morsulorum Imperat. 606
Specificum cephalicum Mich. 593
- stomachicum Poterii 515
Spernicola Crollii 595
Spiritus 4
Spiritus acidi ibid.
- acidi dulcificati
- alcalico - urinosi 85
- ardentes 102
- inflammabiles ibid.

Spiritus urinoso - oleoso inflammabiles 167
- absinthii 127
- aceti 79
- aluminis 46
- anhaltinus 133
- anisi 127
- aperitivus Penoti 65
- benzoinus 127
- carminativus Sylvii 131
- carminat. de tribus 164
- ceraforum nigrorum 128
- cochleariæ 127
- cornu cervi simplex 97
- succinatus 176
- cranii humani 99
- cydoniorum 129
- dentis hippopotami 100
- eboris 99
- formicarum 166
- fragorum 129
- juniperi baccarum 128
- lavendulæ 127
- ligni Gvajaci 79
- liliorum convall. 129
- lumbricorum terrestr. 100. 127
- mastichinus
- matricalis 132
- mellis 77
- nitri anticoficus 165
- dulcis 152. 159
Spiritus flammificus 160
- rorismarini 127
- rosarum 129
- sacchari 74
- salis acidus 57
- - dulcis 152. 161
- salis ammoniaci urinosus 92
- - vinosus 172
- - anisatus 173
- sambuci 129
- sanguinis 100
- sulphuris vulgaris 37
- - volatilior 39
- tartari 71
- theriacalis simplex 130
- - camphoratus ib.
- vitrioli vulgaris 24
- - volatilis St. 32
- - dulcis 155
- - philosophicus 64
- vini rectificatissimus 116
- - camphoratus 122
- - crocatus 125
- tartarisatus 120
Sublimata stricte sic dicta 442
Succi inspissati 539
Succinum 240
Sulphur commune 40
Sulphura antimonii 495
Sulphur antimonii auratum ibid.
- fixum 498

Sulphur martiale 499
- ſolare ibid.
Stibium diaphoret. nitrat. 511
Syrupi 634
Syrupus fl. acaciæ 647
- acetoſæ 639
- acetoſellæ ibid.
- acetoſitatis citri 638
- althææ Fernelii 640
- fl. aquilegiæ 647
- berberum 639
- de betonica 641
- fl. borraginis 647
- - bugloſſi ibid.
- cardui benedicti 461
- ceraſorum nigr. 639
- de cichorio cum rhabarbaro 642
- de cinnamomo 643
- cort. aurantiorum 641
- - citri 644
- coralliorum 645
- cydoniorum 639
- de eryſimo Lobelii 646
- de farfara 641
- fragorum 639
- de fumaria 641
- de glycyrrhiza 647
- de hedera terreſtri 641
- hyſſopi 648
Syrupus jujubinus 649
- maſtichinus 650
- meliſſæ 641
- de mentha ibid.
- myrtillorum 639
- myrtinus compoſ. 650
- nymphææ 647
- papaveris albi 651
- - erratici 647
- fl. perſicorum 646
- - pœoniæ 647
- de quinque rad. aper. 651
- ribium 639
- roſarum 647
- rubi idæi 639
- de ſcordio 641
- - ſtœchade 652
- - ſymphyto Fern. 653
- tunicæ 647
- de tuſſilagine 641

T

Tartarus 72
Tartarus regeneratus 423
- ſolubilis 422
- tartariſatus 425
- vitriolatus 413
- emeticus 438
Terra foliata nitri 490
- tartari 423
- japonica 356
- vitrioli dulcis 385

Theriaca Andromachi 675
- cœleſtis 679
- diateſſeron 678
- pro familia ibid.
Tincturæ 299
Tincturæ antimonii hepaticæ 308
- regulino-acidæ ibid.
Tinctura antimonii acris 311
- - tartariſata 306
- antiphthiſica 313
- fl. anagallidis 349
- - aquilegiæ ibid.
- - bellidis ibid.
- benzoes 335
- bezoardica Michael. 336
- - Ludovici 338
- - Wedelii ibid.
- caſtorei 329
- coralliorum adſtring. 320
- - purificans 321
- laccæ 348
Tincturæ martis aperitivæ & adſtringentes 317
Tinctura martis Freindii 316
- - helleborata 315
- - pomata ibid.
- - cum vino malvatico ibid.
- - vulgaris 314
Tinctura metallorum 312
- fl. papaveris errat. 349
- rhabarbari 350
- roſarum rubrar. 349
- ſuccini 327
- ſulphuris 325
- terræ japonicæ 356
- tartari 355
- veneris Helvetii 318
- violarum 349
Trochiſci 620
Trochiſci athandal 629
- alkekengi 630
- bechici albi 631
- - nigri ibid.
- de carabe 632
- galliæ moſchatæ 633
Tryphera magna 685
- minor 686
- ſaracenica 687
Turpethum minerale 477
- rubrum Zwelferi 478

V

Vnguenta 688
Vnguentum ægyptiacum 693
- album ſimplex & camphoratum 702
- alabaſtrinum 707
- de althæa 693
- de ambuſta 702
- anodynum 708
- baſilicum 710

Vnguentum carminativum 713
- citrinum 703
- clysmaticum 694
- comitissæ 695
- enulatum 697
- fuscum commune
- - Felicis Wurtzii ibid.
- de linaria 709
- de lithargyrio 705
- de minio ibid.
- nervinum 711
- nutritum 705
- pectorale 712
- pomatum 698
- populeum 710
- potabile rubrum 699
- potabile viride 700
Vnguendum rosatum 706
- contra rupturam 696
- santalinum 707
- stomachale 714
- contra vermes 715
Vina medicata 277
Vinum antifebrile & stomachale 283
- roborans 282
Vitriolum 28. 29
Vitriolum martiale ibid.
- martis factitium 383
- venereum 30
Vitra medica 509
Vitrum antimonii hyacinthinum 532
- - succineum ibid.

ADDENDA AC CORRIGENDA

Pag. 29. lin. 12. & 14. lege *limatura*, & lin. 26. lege *acido*. p. 31. l. 27. pro *quin* lege *quominus*. p. 34. l. ult. pro *quinquaginta duas* lege *viginti & unam*. p. 35. l. 1. pro *centum & quatuor* lege *quinquaginta duas*, & lin. 2. pro *quinque* lege *septem*. p. 38. l. 2. & 22. lege *tubulatis*. p. 51. l. 17. pro *vini* lege *nitri*. p. 54. l. 16. pro *sex* lege *quinque*. p. 84. l. 2. lege *exsiccatæ*. p. 122. l. 1. lege *volumus*. p. 161. l. 12. lege *hac*, & lin. 15. lege *instillatus*. p. 162. l. 4. pro *methodo* lege *modo*. p. 195. l. 3. lege *eadem*. p. 203. l. 23. pro *quam* lege *quum*, & lin. 25. lege *largiantur*. p. 220. l. 23. pro *vim contractilem* lege *contractionem*. p. 221. l. 19. lege *eorum*. p. 224. l. 22. lege *justos*. p. 253. l. 1. lege *paratur*, & l. 16. lege *longe*. p. 259. l. 1. lege *ipsa*. p. 274. lin. ult. lege *frustra*. p. 275. l. 10. lege *quorum*. p. 289. l. ult. lege *pulverisatæ*. p. 291. l. 9. lege *citri*. p. 296. l. 18. lege *blande*. p. 302. l. 14. lege *solvens*. p. 309. l. 20. lege *concentrentur*. p. 310. l. 17. lege *hepaticis*. p. 313. l. 5. lege *aquæ*. p. 337. l. 3. lege *soluta*. p. 339. l. 3. lege *propinata*, & l. 5. lege *adplicata*. p. 368. l. 2. pro *cujus* lege *quorum*. p. 390. l. 13. post *fixa* adde *tam sicca, quam liquida*. p. 402. l. 5. post *spiritu* adde *vini*. p. 414. l. 4. post *ita* adde *acito*. p. 429. l. 25. pro *spurium* lege *factitium*. p. 434. l. 20. lege *& in crucibulo*. p. 472. l. 16. post *sal medium* adde *culinare*. p. 525. l. 3. pro *tartarus* lege *tantus*. p. 539. l. 11. lege *concisa*. p. 550. l. 11. pro *gummosi* lege *resinosi*. p. 566. l. 16. lege *concisæ*. p. 588. l. 6. lege *cinnamomo*. p. 664. l. 23. lege *concisas*. p. 708. l. 10. lege *specifice*. p. 753. l. 23. lege *susurru*. Hinc inde etiam pro *prolicitus, prolicita, prolicitum* &c. lege, si placet, *prolectus, prolecta, prolectum* &c.

